



In Acta Apostolorum Heinrychi Bullingeri commentariorum libri VI

<https://hdl.handle.net/1874/428392>

fe

2

IN ACTA APOSTO- LORVM HEINRYCHI BVLLINGERI

COMMENTARIORVM LIBRI VI. AB AVTHORE

recogniti ac denuo iam excusi.

Hoc opere traditur amice LECTOR, quæ fuerit Ecclesiæ sanctæ infantia, qui auctus, quæ ecclesiæ iustæ facies: quæ doctrina Apostolorum, qui ueteris ecclesiæ ritus, quæ studia, quæ religio, fides doctrinaq; uera uel falsa, uetus uel noua: qui ueri uel falsi doctores, qualia utrorumq; ingenia: qualia sint mundi studia, qualis persequentium animus, successus, qualiæue fata, Sed hæc omnia Elenchus uerfis aliquot folijs copiosius recensabit. Vale.



I E S V S.

Hic est filius meus dilectus in quo placata est anima mea, ipsum audite.
Matthæi 17.

TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM FROSCHO-
uerum, Mense Augusto, Anno M. D. XXXV.

IN ACTA APOSTOLICA
SACRORUM PATRUM
CONGREGATIONIS
SACRORUM RITUS
DIE 17 FEBRUARII 1868

Hic processio...
et...
et...
et...
et...



1868
Hic est...
et...

TERTIO ABDO CHRISTOPHORVM BROTCH
Mense Augusto Anno M. D. XXXV

CLARISSIMO SENATVI POPVLOQVE

FRANKFVRDIENSI AD MOENVM HEINRYCHVS BVL

lingerus Gratiam & uitæ innocentiam à domino.



ABVERVNT HOC SIBI FAMILIARISSIMVM prophetæ & patres uetusti, ut libros suos non ijs modo inscriberent quibus cum conuersabantur, sed ijs quoq; qui facie incogniti proculq; diffiti alias terras inhabitabant: quorum exemplo fretus hosce Commentariorum libros uobis quoq; uiri clarissimi fratresq; in Christo uenerãdi inscribere uolui. Non quòd existimem ecclesiam uestram nostra institutione aut cõmentatione de uera pietate egere. Habetis enim uerbi ministros claros & in doctrina Euangelij laudatos: sed circumferenti oculos, quibus hoc argumenti maxime cõpeteret, uos primum occurrebatis quibus hoc multis nominibus uidebatur congruere. Etenim exponit hic liber quomodo Euãgelij fulgor in omnes gentes, terras ac populos coruscarit. Et uestra urbs nobile omnino Germaniæ emporium ea hactenus fuit, è qua omnis generis authores optimi, maxime autem uetusti in uniuersam penè Europam prodierunt: quorum opera religio uera & literæ bonæ melius coeperunt habere. Ut enim aliæ urbes propter authores & imprimendi, aut si quis malit typis scribendi, peritiam atq; diligentiam celebres sunt: ita uestra in propagandis illis longissimeq; in remotissimas quascq; Europæ oras deportandis multo clarissima est. Noluitis hactenus more quorundam imprudentium suppressione proscriptioneq; optimorum & librorum & authorum ciuitatis uestre gloriam libertatemq; obscurare. Qua re & insignem pietatem & prudentiã omnibus alijs approbastis ciuitatibus. Siquidem destomachatur & diuus Hieronymus in eos qui sua quoq; ætate pro inepta morositate ob errores quosdã optimos simul & p̄s̄simos aspernabantur authores. Eius enim uerba ad Tranquillinum hæc sunt: Ego Origenem & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos sic legendos arbitror ut bona eorum eligamus uitemusq; contraria, iuxta Apostolũ dicentem, Omnia probate, quæ bona sunt tenete. Cæterum qui uel in amorem eius nimium, uel in odium stomachi sui prauitate ducuntur, uidentur mihi illi maledicto prophético subiacere, Væ his qui dicunt bonum malum, & malũ bonum: qui faciunt amarum dulce, & dulce amarum. Non enim propter doctrinam eius praua suscipiẽda sunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quos Commentarios in scripturas sanctas utiles ædidi penitus respuendi sunt. Cuius equidem sententię & præclarum illum Alexandria Dionysium fuisse author est in historia Ecclesiastica Eusebius. Deinde uero cum nouæ ecclesiæ incrementa, auctus & iustam fa-

ciem describat hoc opere Lucas, iterum non potuit alijs dedicari com-
 modius quàm ecclesiæ Frankfurdianæ, utpote quæ & ipsa euangelicâ
 amplexa sinceritatem palàm cœpit nomen suum ueritati dedere, & ad
 ritus ueteris ecclesiæ aspirare. Demonstrabitur autem hoc libro uetu-
 stissimam ueritatem esse quâ hodie temerarij quidam & male sani ho-
 mines decennalem fidem nouamq; nuncupant hæresim. Demons-
 trabitur præterea quanto cum periculo, & quibus cum hostibus, in ueræ
 ecclesiæ circo pro auita ueritate non modo recuperanda, sed & retinen-
 da pugnandum sit, quibus armis uincendum, quid pro nomine Chri-
 sti patiendum, quomodo item impiorum artibus sit occursandum.
 Nam mirus est hac in re Lucas. Aiunt poëtarū principem Homerum
 insigni opere suo describere uoluisset boni uiri officia & felicitis reipubli-
 cæ faciem: ego uero multo uerius dixerim hac historia Lucæ Christia-
 ni hominis munia & ecclesiæ statum absolutissimū absolutissime esse
 expressum. Et argumēti nobilitas utilitasq; permouit ut in elegantissi-
 mum amœnissimumq; librum adornarem Commentarios. Accesser-
 runt & fratrum preces, qui subinde conquerebātur nihil aut certè pau-
 cula quæpiam in hunc nobilem nostrisq; temporibus accommodatis-
 simum extare authorē. Querebar ego multa mihi deesse quæ tantam
 rem tractaturo uidebantur necessaria: expectaturū ergo donec alijs hæ-
 rum rerum peritiores, quales nostrum sæculum habet plurimos, pro-
 darent & felicitus hoc opus enarrarent. Sed dum nemo interim prodit,
 urgent illi, ut saltem talentum meum mihi à domino creditum in fœ-
 nus exponam, alijs nihilominus liberum manere scribere malint an si-
 lere: & hætenus quidem uicerunt. Accessit ad hoc quod uir incompa-
 rabilis D. Ioachimus Vadianus communis patriæ nostræ Heluetiæ
 decus, stipularetur ea se absoluturum quæ essent geographica, quod
 & Epitome ædita præstitit. Et de ea quidem silere melius puto quàm
 parum dicere: quod uel multis nemo facile expresserit eius operis præ-
 tium & utilitatem amplissimam, eruditionem absolutam, & iudiciū
 emunctissimum. Præterea suppeditata sunt à fratribus nonnullis di-
 ctata quædam quæ uir ille ante annos aliquot Christianis quibusdam
 auditoribus Sangalli dictauit, quibus me haud modice iuuari posse
 sperabam. Nec fefellit opinio. Eiusmodi enim erant, ut si recognouisset
 euulgassetq; haudquaquã hoc labore meo fuisset opus. Equidem
 aliquot iam annis speraueram id ipsum facturū. Nam ante annos ali-
 quot id Meccenati meo omniumq; studiosorū patrono D. Vuolph-
 gango Iouero quondam Capellæ Tigurinorum abbati, pollicebatur:
 sed illū ne præstaret, negotia quibus ducitur captiuus obstitere: hunc
 uero ne extorqueret præmatura mors præripuit. Nuper enim infau-
 sto ad Capellas prælio fortiter pugnans occubuit. Si ergo nunc in hoc
 opere desyderentur plurima, ego uel hoc nomine uenia dignus ero,
 quod

quod in argumento difficili & grauissimo parum habuerim admini-
culi, nisi ea quæ iam iam recensui dictata. Nihil enim extat in hoc opus
quod ego quidem sciam post Erasmi Roterodami Germaniæ deco-
ris diligentissimas & doctissimas lucubrationes, Annotata inquam &
Paraphrases. Nam ex uetustis paucissima quædam supersunt. Chry-
sostomus enim pro more suo declamationibus deditus uel partius Lu-
cæ uerba perstringit, uel recitando transit. At Bedæ Anglosaxonis ui-
ri doctissimi annotamenta, aut si quis malit Scholia dicere, breuiora
sunt quàm quæ simplicioribus satisfacere possint. Quæ uero lusti lo-
næ titulo nuper euulgata circumferuntur, eiusmodi sunt, ut is crassa,
quod dici solet, Minerua, uel lineis quibusdam ductis futurum opus
adumbrasse uideatur. Neq; uidi si quid extet præterea. Quid autem
uetustos mouerit quod in hunc Lucæ tam egregium & utilem librum
nihil scripserunt, non satis constat. Forsan rei difficultatem horruerunt;
quod si uerū est, ego profecto stolidus sum qui istud ausim quod
tanti uiri horruerunt. Cæterum malui me fratrum gratia in apertum
dare periculum, quàm extra periculum tot indies fratrum querelas au-
dire. Si uero isti tam facile crediderunt argumentum esse, ut nulla co-
piofiori opus fuerit expositione, iudicabit diligens Lector quàm ue-
rum hoc sit, ubi singula paulò diligentius expendit. Prima sanè fron-
te exposita esse uidentur quæ dilucida satis narratur historia, sed si ad
ipsa penetremus mysteria, longe plus in recessu habere dicemus, q̄
fronte promittat. Equidem utcunq; res habeat, nihil in hoc neq; labo-
ris neq; diligentiæ omisi: quin de candore & fidelitate mihi optime sum
conscijs. Legi omnium quos habere potui expositiones, sed & alio-
rum nonnunquam recensui sententias, ueterum tamen maxime: non
quòd existimem in literas sacras hominum placita aut explanationes
esse inferendas. Ex sacris enim, uel Hilario teste, simplex & genuinus
sensus decerpendus, idemq; ipsis scripturis sacris, hoc est regula fidei
& charitatis, locis similibus aut dissimilibus, circumstantijs & ratio-
bus, sed ex scriptura petitis, confirmandus est. Diuus quidem Hiero-
nymus, cuius maxima interpretandi scripturas gloria est, non modo
in Præfatione ad secundum in Micheam Commentariorū librum, sed
ad ipsum quoq; Aurelium Augustinum, Ingenue fateor (inquit) me
maiorum scripta legere & in Commentarijs secundum omnium con-
setudinē uarias ponere explanationes, ut è multis sequatur unusquisq;
quod uelit. Atqui diuus Augustinus Hieronymo respondens, Ego
uero fateor charitati tuæ (inquit) solis eis scripturarum libris, qui iam
Canonici appellatur, didici hunc honorem timoremq; deferre, ut nul-
lum eorum authorem scribēdo aliquid errasse firmissime credam. At
si aliquid in eis offendero literis, quod uideatur contrarium ueritati,
nihil aliud quàm uel mendosum fuisse codicem, uel interpretem non

Aliorum enar-
rationes.

assequutum esse quod dictum est, uel me minime intellexisse, non ambigam. Alios autē ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo uerum putem quia ipsi sic senserunt, sed quia mihi uel per illos authores canonicos, uel probabili ratione quod à uero nō abhorreat, persuadere potuerūt. Nec te mi frater sentire aliquid aliter existimo, prorsus inquam te non arbitror sic legi tuos libros uelle tanquam prophetarum & apostolorum, de quorum scriptis quod omni errore careāt, dubitare nepharium est. Hæc Augustinus. Proinde nos aliorum expositiones tum maxime protulimus cum ipsos scopum attingisse crederemus: deniq; & in hoc protulimus, ne illi qui oraculi loco habent quod Lira, Hugo, Scotus atq; Thomas ille Aquinas prodiderit, subinde calumniari possent explanationes illas quas nos conscribimus nuper esse domi nostræ natas. Aliās quod ueteres olim protestantur, & nos semper in omnibus alijs opusculis nostris testati sumus, idem & in præsentiarum ingerimus hæc iudicāda iuuandi studio esse uulgata. Per me enim pijs Lectoribus expendere licet quid pium, quid necessarium, quid utile, quid genuinum, quid ascititium, quid superuacaneum uel affectatum sit. Nolo enim meis scriptis ut Canonicis credi. Nolo sanctis & doctis huius æui hominibus præiudicare. Quod si alteri melius quippiam fuerit reuelatum, non inuidebo. Ego enim hac lege scribo, mihi ut integrum sit curra producere, obscurius dicta illustrare, inuoluta explicare, singulaq; rectius (si necesse sit) instituere. Cur enim mihi iam trigessimū agentī annum non liceat, quod Augustino plus q̄ sexagenario Retractationes scribenti ueterano utiq; episcopo licuit? Scio equidem faciendi libros (ut propheta ait) nullum esse finem, & quod poëta dicit,

Scribimus indocti doctiq; poëmata passim.

Atqui hæc nostra in illum librum, in quem pauca extabant, non ingrata fore credidi, quibus & ad scripturas legendas incitare uolui magis quàm humana commentatione à scripturis auocare. Cæterum quum omne incrementū solius dei sit, hunc oramus ut ipse gloriam uerbi sui quā hæcenus mille quingentis annis (totidem enim anni hoc XXXIII. supra millesimum quingentesimum numerantur, ex quo de Zion exiit Lex, & uerbum domini de Ierusalem) inuitis omnibus aduersarijs potestatibus quàm latissime (ut hoc libro Lucas indicat) prouexit, & uictrix uirtute protexit, in finem usq; quàm latissime propaget, in cordibus hominū cōfirmet, & ab impiorum manu asserat. Et uos qui dem, uiri clarissimi fratresq; in Christo uenerandi, obtestor per domini nostri Iesu Christi uirtutem & aduentū eius, ut neglectis mundi minis, artibus & promissis, uni deo per filium eius Iesum in uera fide secundum scripturas sanctas firmiter adhærere pergatis. Paulus ille celestis sapientiæ præco, Prædicatio mea (inquit) non erat in persuaso-

rijs

rijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostentatione spiritus ac potentiæ, ut fides uestra non sit in sapientia hominū, sed in potentia dei. Reiectis itaq; commentis humanis fundamento Christo innitimini, quem nemo purius docere potest scriptura sancta. Multa sanè Christi nomine patienda esse tradit spiritus sanctus, sed qui perseverauerit in finem usq; dicit dominus, hic saluus erit. Fidunt alij in periculis fœderibus, armis, opibus, per se quidem minime malis: uos autem deo fidite, cui qui se uere credit in æternum non peribit. Dominus ille omnipotens, clemens & misericors per Christum dominum fidem in uobis semper augeat, & quod coepit confirmet, Amen. Tiguri XXV. Augusti. Anno à Christo nato M. D. XXXIII.

COMMENTARIORVM HEINRYCHI

BVLLINGERI IN ACTA APOSTO-

LORVM INDEX

A Brahe filij, dei ueri cultores	52	Aethiops si profelytus fuerit uel gentilis,	
Abraam deo seruiuit digne absq; tem		Candacis reginæ	69
plo & ritibus externis	52	Aethiopibus cum Iudæis familiaritas	69
Absoluunt à peccatis Christus & ministri,		Aethiopes etiam legis & prophetarum sen-	
sed uarie	4	sum habuerunt	69
Absoluuntur Iudæi non expectata satisfac-		Afflictionibus peruenitur ad felicitatē	116
tione	21	Agabus uerbo & factis prophetat	174
Acceptio personarū nulla apud deum	85	Ager nomē sortitur ex pretio & re gesta	10
Actorum liber non minima pars euangeli-		Agrum negligere probro habitū apud Ro-	
cæ historię	1	manos	148
Actorum libri argumentum breue	1	Agrippæ augustum nomen multis fuit ter-	
Actorū liber partim in Græcia, partim Ro-		rori	93
mæ conscriptus	1	Agrippæ tres filię	93
Actorum libro semper honor maximus ha-		Agrippa rex filius Herodis & Bernice	200
bitus est in ecclesia à sanctis	1	Agrippa non malus princeps, tamen uanus	
Actorum liber Euangelio secūdum Lucam		erat	201
iungendus	2	Agrippa ex maioribus suis profelytus	202
Admonitio adiungenda consilio & institu-		Albis induuntur angeli, triumphatores, au-	
tioni	22	lici	6
Adolescentiæ habenda ratio in causis homi-		Alexandri Cæsaris in impostorē quendam	
nis tractandis	203	sententia & supplicium	102
Adorari à Cornelio Petrus recusat	83	Amazias filijs Seir præcipitiū indixit	10
Adulatio quæ regibus fit damnatur	97	Ambrosius Symacho respondet de causis	
Adulatoribus aures non præbendæ	132	malorum	91
Adrumetina nauis unde dicta	208	Amicitia dirimitur, si panis frāgatur	25
Agyptiorū stultitiæ inuenta sunt idola	139	Amyclæ tacendo perierunt	191
Aegyptij falsi prophetæ historia	179	Amos prophetæ locus citatur & exponi-	

I N D E X.

tur pagina	56	mino æqua potestas	10
Ananiæ mittitur Saulus arcanorum dei in- stitutione imbuendus	73	Apostolatui quis dignus in locū Iudæ pro- ditoris substituendus	11
Anacharis de miseria nauigantium	107	Apostolicæ habitationis in monte Sion & apud cerdonem simplicitas	8
Anacharis Scythæ querela de magistrati- bus	93	Apostoli quibus linguis loquuti & intelle- cti	16
Ananias ad exēplū corruit hypocritarū	39	Apostolorum quales fuerint prædicatio- nes in ecclesia	22
Ananias hypocritarū typus in ecclesia	38	Apostoli sua dicta scripturis confirmant. pagina	17
Ananiæ probitas, & magisteriū in Paulum conuersum	181	Apostolorum doctrina euangelica erat	22
Ananias pontifex iniquus	183	Apostoli miraculi gloriā sibi derogant	23
Anathemata qua ratione templis inferūtur apud ethnicos & Iudæos	188	Apostoli soli non cedunt persequutioni lu- daicæ	62
Anaxilas in adulatores diuitem	97	Apostoli docebant etiam in singulis domi- bus	46
Angeli testes mysteriorum Christi	6	Apostolorum sæculum iniquissimum pro- batur	92
Angeli duo in albis Christo de coelis iterū uenturo testes	6	Ad apostolos & apostolicos uiros pertinet quæstio de fide	119
Angeli quomodo honorandi ex Augusti- no	29	Apostolorū decreta præter scripturam fal- so iactantur	129
Angeli specie uocatur Cornelius ad Chri- sti ecclesiam	80	Apostolorum autoritas uindicatur mira- culo Ananiæ	38
Angeli delegati hominibus à natiuitate pro- custodia	95	Apostoli uestes qua ratione excutiant	109
Angustia præcedunt res angustas & diui- nas	17	Apostolorum processus ad ecclesiam qua- lis	27
Animam non sanctificari externis operi- bus uel ceremonijs, sed fide in Deum. pagina	205	Apostolorum & Nazaræorum differentia dogmata	120
Anni historix Actorum tot descripti, quot capita habet hic Actorum liber	1	Apostolicos quæ deceat sollicitudo	127
Annorum numerus quadringentorum & quingentorum, de quo Paulus, quomo- do sumendus	104	Apostolicorum hæresis qualis	37
Animæ hominum non oberrant post mor- tem extra corpus	95	Apostoli ceduntur per ignobile sæuumq; uulgus	133
Antiochena ecclesia primitiæ gentium san- ctissimæ	89	Apostoli à Iudæis seditionum accusantur. pagina	137
Antiochenæ ecclesiæ laudes	99	Apostolorum patientia iuncta prudentiæ. pagina	135
Antiochia libera, morigera, tutaq; ciuitas. facie	117	Apostolorum & presbyterorum discrimen & officium	116
Antiochia asylum Christianorum	ibid.	Aqua sacramentalis in baptisate	72
Allegoria nominibus adest, dum in sacris historijs cum interpretatione scribun- tur	37	Aquilas duos memorant historix	148
Apologia utitur Petrus ad superuenientes Iudæos corā gentibus cum quibus con- uersabatur	84	Arrhabonem carnis in Christo ascendente dominus accepit	7
Apollo Pythius unde dictus	132	Aratus Romanæ ecclesiæ diaconus	12
Apollo laudes multiplices	153	Arati Phenomenis hemistichium	145
Apollo catechumenus	153	Aratus quis, unde, & quid scripserit	146
Apollos pietati iunxerat eloquentiam	154	Armamenta nauium	209
Apostolis omnibus data est à Christo do-		Artium liberalium studium necessarium sa- cris literis tractandis	208

I N D E X

Argumentum signum est per quod fides fit rei alioqui dubiæ	3	sto dedicamur	28
Argumenta resurrectionis Christi	ibid.	Baptismus signum gratiæ diuinitus conferendæ	89
Aristotelis de deo sententia	144	Baptismus quid sit, & quibus debeat	87
Arma impiorum pro suis erroribus	77	Baptisma doctrinæ docetur	153
Arma pastoralia, gratia & uerbum dei	171	Baptismus sequitur doctrinam in adultis, facie	156
Armis Romanorū Paulus bene usus est	191	Baptismus signum est populi dei, sicut circuncisio in Israëlitis	156
Artificij nihil noscens, urbe excludendus	148	Baptismus initiatio populi dei est	66
Ascensionis Christi mysterium	7	Baptismus datur in nomine domini	88
Ascensio approbata testimonijs clarissimis, pagina	6	Baptismus cur fidei succedere debeat	71
Ascensio Christi putatur facta in sabbato	8	Baptismus eunuchi ex fonte	72
Ascensionis Christi locus quare designatur	7	Baptismo interiore solus Christus baptizat per dei gratiam & indulgentiam	155
Ascensio domini cōprobat diuinitatis Christi fidem	8	Baptismus unus Christi & Ioannis	155
Asylum miserorum tutissimum deus precibus adendum	35	Baptismus dandus etiam non credere potenti per ætatem	ibid.
Asiæ nomine quæ intelligendæ prouinciæ	130	Barnabam quare Iouem dixerint Lycones	112
Asia usurpatur pro ipsa Epheso	160	Barnabas uir consolationis dicitur	37
Asiatici Iudæi inquieti & iniuriosi	196	Barnabas qualis fuerit, & quomodo Paulū cōmendarit fratribus cunctabundis	77
Athenienses præstant ceteris hominibus ut aquila auibus	133	Barnabæ sancti uiri prædicatio in ecclesia Antiochena	90
Athenienses sapientiæ fama & literarū claritate illustres	138	Bariehu & Elymas quomodo accipiēda nomina	100
Athenienses superstitiosiores reliquis idololatræ	139	Benedicere est etiam ualedicere	6
Atheniensium inconstantia	141	Beneficia dei patriarchis olim in ueteri lege exhibita	104
Athenis consilia duo qualia fuerint	141	Beneficia à mundo pro maleficijs puniuntur	133
Augusti nomen felix & faustum imperatoribus	207	Berrhceensium laudatur fides & diligentia	137
Athenienses irrident Pauli doctrinā	147	Bernice regina quæ fuerit, uariatio authorum diuersa sentientium	202
Auaritiæ lætalis aculeus	132	Blasphemia in deum & ueritatem tormentis & morte perniciosior	204
Auarorum in ueritatem conuitia	132	Bona tribuuntur à deo uno, à quo solo petenda fidelibus, non à diuis	115
Aziarus rex Amasorum	197		
B			
Baptisma Ioannis & Christi quidam distinguunt	154	C	
Baptisma mentalibus oculis considerandum	72	Caius Caligula reipublicæ Rom. pestis nocentissima	84
Baptisma Christi & Ioānis quo differāt	4	Calceamenti solutio ad reuerentiam pertinet in ueteri lege	55
Baptisma Ioannis idem cum Christi & discipulorum	ibidem	Candace reginis Aethiopū commune nomen, non proprium habetur	69
Baptizat Christus solus igne	4	Canes apud Paulum apostolum qui dicantur	23
Baptismum domini ordinationē non contemnendum	22	Capnionis, qui idē & Reuchlinus, laus non indigna	78
Baptizati adulti, paruulos suos non neglexerunt	ibidem		
Baptismo recipimur in dei ecclesiā, & Christi			

I N D E X

Carceris custos conuertitur, docetur, baptizatur	134	Christus qua diligentia & fide à Petro prædicetur	18
Caro nostra in ueritate resurget	3	Christi anima quomodo ad inferos descendit	19
Caro Christi necessario translata in cœlũ	7	Christi meritũ mortuis quoq; profuit	19
Caro Christi finita, quanquã clarificata	74	Christianæ rei summa	19
Caro & sanguis ad uerbum dei redduntur attonita	74	Christum Dauid quomodo nominat dominum	ibidem
Caro & sanguis usurpât regnũ dei in Christo	7	Christus à patre accipit promissum	20
Carnis affectus mors est, in spiritu uita	13	Christũ damnarunt antistites religionis	32
Charitas, nota celebris discipulorum Christi	173	Christo illudi Iudæos deus non patitur	33
Charondas concludit de populo	93	Christi ui sola & merito saluat mundus	33
Charondas de inconstantia plebis	115	Christi typus producitur Moses	56
Castitatis uotum illicitum, non habentibus gratiã continēdi, habentibus nõ utile	189	Christus unice colendus & timendus	86
Castitatis uotũ aut stultitia aut impietas,	189	Christus Iesus iustus, quia nostra iustitia	59
Castor & Pollux quare relati in deos	215	Christus sedere dicitur & stare à dextris in cœlo	60
Catachresis uocis abusus	68	Christus diuina generatione sempiternus est	72
Cœnæ mysticæ signa & res quales	14	Christi domini natiuitas, humilitas, infirmitas, iustitia, pax, peccati satisfactio, patientia, gloria, diuinitas, crux, sepultura, hostia, resurrectio ex Iſaia propheta	70, 72
Cœna dominica quomodo peragenda ritu apostolico	24	Christiani de more primum dicebantur discipuli	73
Cœna dñica in cœtu sacro celebranda	27	Christus uiuit in suis & patitur	ibid.
Cœnaculum æditior in ædibus locus	8	Christus ut Romæ prædicetur à Paulo	217
Centurionis quale officium	80	Christus in dextera patris sedens, Paulo uis detur	74
Centurio quomodo uir pius & religiosus siue quali fide	80	Christi mysterium uarijs uarie reuelatum gentibus	85
Ceremonijs abusi sunt Iudæi	58	Christi uenturi fide saluati sunt ueteres	85
Ceremonias Iudaicas perniciosas esse Christianis & mortiferas	119	Christianorũ nomen primum Antiochiæ ceptum dici	90
Ceremonias contemnit Paulus, Christo contentus	151	Christiani quare nominentur cultores Christi	ibidem
Ceremoniæ liberæ Christianis permant	167	Christianos Christũ ignorare non licet	90
Cæsareæ habuit domicilium Philippus	72	Christianorũ quoq; affectus, turbæ, & motus	95
Cæsarea quæ & Turris Stratonis.	80	Christi mortis causa non suã, sed nostrum peccatum	105
Cæsarea duplex Palæstinæ & Cappadociæ	152	Christus suadetur recipiendus à Iudæis	104
Cæsarem Paulus appellat, non sine dei pro uidentia	200	Christus Messias, à Dauidis profapia ortus	105
Christus ueritas mentiri non potuit	3	Christi totius negotij testimonium ex Psalmo 15,	106
Christus quare moritur, resurgit, cœlos ascendit, & spiritum misit	7	Christus quid orbi donarit	106
Christus uictor in cœlis, & pro nobis intercessor	7	Christianæ religionis capita recensita breuius	124
Christus qua forma abierit, & sit rediturus	7	Christi diuinitas probata Tiberio, non senatui	133
Christus secundum corpus non ubiq; diffusus	7	Christo templum facere uoluerant Seuerus &	
Christianæ fidei maxima autoritas	11		
Christus crucifixus Conss., Rubellio Gemino, & Rufio Gemino	8		

I N D E X.

& Adrianus Cæsares	133	Concilij Hierosolymitani epistolare decre-	
Christum uerum esse Messiam Apostolus		tum	125
prædicat	136	Cõfessio libera Pauli Iudæis causa fuit dis-	
Christianæ doctrinæ aduersant placita Epi-		scensionis	198
cureorum & Stoicorum	139	Confitentur credentes peccata superstitio-	
Christus est per quẽ mundus restituit	147	num suarum	153
Christus est lumen mundi	147	Confessio auricularis non probatur	ibid.
Christus magnus dei legatus in mundũ	147	Confitenda deo peccata quomodo	ibid.
Christũ uirum uocat Paulus, non sine cau-		Coniugiũ sacerdotibus nõ interdiciendũ	173
sa	ibidem	Consiliũ pœnitentię ex scripturis captadũ	27
Christus iudex cõstitutus mundi, etiam ex-		Consiliũ & impietas tyrannorũ uitrea	34
terorum prænunciationibus	ibid.	Consilia impiorũ frustratur à dño	42
Christo fidere possunt qui credunt prophe-		Consilijs sanis obsequi non minima felici-	
tis	264	tas	49
Christiani dicunt p̄bri gratia Nazaræi	194	Cõsilia nõ æstimãda personarũ respectu	108
Christianũ dogma nouum non esse	205	Consilia impiorum fallit dominus	62
Cibi liberi sunt Christianis ad uescendũ	82	Consilia secreta principum celanda	192
Circũforanei qui dicantur & quare	136	Consiliorũ qualis authoritas & regula	119
Circumcisio testamenti sacramentum	52	Cõsolatur suos dñs in medijs angustijs	150
Circumcisione intelliguntur cætera cuncta		Confortium malum prorsus uitandum	22
legalia	120	Constantia consummatrix omnium	9
Circumcisionis in locum succedit fides & ti-		Constantia unde discẽda in periculis	32
mor dei	122	Constantia docetur episcoporum	175
Cyprianus Demetriano respondet de cau-		Consuetudinis prauæ uana persuasio	115
sa malorum	91	Cõuersio peccatorum fit dei misericordia,	
Claudij prophanissimi imperium in pro-		non humanis tantum uiribus	73
phanos	ibidem	Conuersionis Pauli modus	ibidem
Claudius mulierum amore attonitus, impe-		Conuersio Pauli Agrippæ recitatur	204
rij & uitæ obliuiscitur	91, 92	Correctio indurantur impij	74
Cleophas Simonis auus ex matre Iosephi		Corinthus urbs Achaiæ celeberrima	148
fuit nutritij Christi frater	8	Corinthus Græciæ lumen	ibidem
Claues apostolorum quales, & qui	109	Corinthi Paulus prædicauit annum & sex	
Claues non habent qui peritiam uerbi dei de-		mensibus	150
stituti sunt	110	Cornelij & monachorum comparatio	80
Clauium occulta uis dicitur per errorem in		Cornelij confessio & gratiarũ actio	84
sacerdotibus	ibidem	Cornelij summæ quædam uirtutes	ibid.
De clauibus sententia D. Augustini	ibid.	Cornelium Petro dominus præparat, & Pe-	
Cogendi perditij filij ad ecclesiam	74	trum Cornelio	80
Cognatorum necessitudo curanda	83	Cornelij maiores, officium, pietas	79
Cohors Augusta primaria quare dicta	207	Coronas quare Tertullianus detestatur	113
Cohortes decem in legione	ibidem	Corpus Christi clarificatum, quomodo in-	
Collegia habuerũt studiosorũ oēs gentes	15	telligendum	3
Colendi deũ ritus quis deo placeat	195	Corpus Christi tale resurrexit, quale posi-	
Cõmunia omnia apud apostolos quomo-		tum fuit in monumento ex August.	3
do erant	26	Corpus Christi si clausa ianua exierit, & a-	
Cõmentaria hæc quare distincta in libros.	1	postoli	42
Concordiæ author & cohabitator spiritus		Corpori necessaria & moderata cura impẽ-	
sanctus	14	denda	76
Concordia & constantia in publico	26	Corporis & sanguinis mysteria quomodo	
Concordia malorum bonis noxia	185	celebranda	167
Concordia potissima res est in ecclesia cum		Creatura ubiq; creatori suo obsequitur	6
oratione & perseuerantia	9	Creaturarum cultum uanum esse	113

I N D E X.

Credendum non facile, quiduis simulanti-		gibus	235
bus	77	Deus non nouus nec ignotus à Paulo præ-	
Credendum non nimium difficulter	77	dicatur	142
Crucis infame mortis genere, Christus in-		Dei ueri & unius assertor Paulus	142
ter latrones	71	Deus mundi & omnium conditor	143
Credulitas uulgi ad præstigia	65	Deum gentes cognoscere potuerunt	143
Crux Euangelium continuo sequitur	107	Deo nostro debemus etiam animam	144
Cruce non eximunt promissiones dei	151	Deus omnia agit & conseruat	ibidem
Crux emergit ex ueritate	160	Deum esse incircumscriptibilem	145
Crucis Christi in sanctis occasio	119	Dei uirtus maxime relucet in homine	145
Custodes Petri elapsi, cur à tyrāno cæsi	96	Deus in homine quomodo	145, 146
Cultus dei uerus fit fide, spe, amore recti &		De deo dicitur, Ex illo, per illum, & in illum	
iusti	53	omnia	145
Cultus hominum etiam diuorum impro-		Deum unum qui & patrum, Paulus confi-	
batur	97	tetur, non nouum	195
Cultus dei constat innocentia & fide	205	Dextera dei exaltatus exponit Christus	20
D		Dextera dei patris quæ & quomodo dica-	
Dauidis facta & uerba etiam de Christo		tur	ibidem
accipienda	19	Diuis homines uirtutem arrogat & meri-	
Dare beatius quàm accipere, contra mona-		tum	28
chos	172	Diuis nostris ut probentur sacrificia & cul-	
Delubrum quid dicatur	160	tus	113
Demetrii improbum consilium	161	Diui non colendi sed imitandi propter san-	
Demetrius argentarius seditiosus	160	ctimoniam	113, 114
Dæmon spectra multa affingere consuevit		Diui omnem cultum in deum dirigi deside-	
impijs	97	rant	114
Dæmonis artes deteguntur à Paulo	131	Diaconi in ecclesia quales eligendi	48
Dæmonum uerbis phaleratis & fucis non		Diaconia quale ministerium notet	47
credendum	132	Diaconorū in ecclesia prima ordinatio	48
Dæmones ne optimis quidē uerbis inqui-		Dialecticæ qualis fit ratio	202
rendi	132	Dianæ delubra argentea	160
Dæmones deorum filij appellati ab Atheni-		Diana numen in ueneficijs	161
ensibus	140	Diana triformis dicta	161
Descendit ad inferna, non habitum in Sym-		Diana uenatrix una, alia multimāmia	161
bolo olim	19	Dianæ templum Democritus descripsit in-	
Deuotione deuouimus nos, in malam par-		tegro libro	ibidem
tem	187	Dianæ Ephe & simulachrum cælo lapsum	
Deuouere quid sit	ibidem	dicitur si	162
Deuotiones impiæ artes sunt uenandi dia-		Dianæ loco celebrantur hodie decem Ma-	
bolo	ibidem	riæ	ibidem
Deus quomodo in homine, & in deo quo-		Dicēdi libertas in apostolis, sicut apud gen-	
modo fit homo	7	tes olim	34
Dei uoluntas plenissime reuelanda prædici-		Dicendi artificium ex dialectica	202
tur à Ioël	17	Diei extremæ articulus non curiose riman-	
Deus unus multis nominibus appellatus à		dus	5
gentibus	112	Dies sabbatorum diuisæ in horas ad oran-	
Deus fons aquarum uiuentiū, & copiæ cor-		dum	27
nu bonorum	114	Dierū peregrinationis Pauli supputatio	173
Dei unius docetur religio, & cultus ab apo-		Dionysius Areopagita si libros uulgatos	
stolis	ibidem	scripserit	147
Deo à sæculis nota sunt omnia sua opa	122	Dysenteria morbus	215
Deus non habetur nisi ex Romanorum le-		Dissidiū pontificiorū & euangelicorum	119
		Docendi	

I N D E X.

Docendi functio ex pharisæis pendebat	31	Ecclesia colligēda ex Indæis & gentibus	82
Dioscuri nauis insigne	215	Ecclesia gentium quomodo à Christo uocata obedierit	89
Doctores ueritatis ingens beneficium sunt domini	68	Ecclesiam suam deus præmonet per prophetas de futuris malis	91
Doctores, licet dissidentibus, non protinus abiicienda doctrina	128	Ecclesiæ primitiue maxima afflictio	93
Doctores p̄i præcipuum ornamentum ecclesiarum	99	Ecclesia ardentissime orat pro Petro dormiente	95
Doctores & prophetæ aliquo differunt	99	Ecclesia est sanctorum communio, cœtus scilicet Christi fidelium	125
Doctrina dicitur alicubi baptismus	153	Ecclesiastica potestas fit in ædificationē	174
Doctrina quæuis probanda scripturis factis	137	Ecclesiarum uisitatio episcopalis	152
Doctrina uel hæresis noua aut antiqua quæ dicenda	195	Electiois diuinæ euidencia	150
Dogma primariū Christianæ pietatis	117	Elymas cognominatus Bariesus	101
Dogma nouū & impiū excutit Paulus	195	Elymas quare diaboli filius dicitur, pro Bariehu	102
Dolus nunquam inuentus in Christo	71	Episcoporum præcipua & peculiaris functio	48
Dño permittenda futurorum dispensatio, nostrum est pietati insistere	6	Episcopus & diacon⁹ quomodo differūt	66
Dominica dies dicta una, id est prima sabbatorum	166	Episcopi quale habeant testimonium	128
Domus nomine intelligitur tota familia	131	Episcoporum institutio & exhortatio	168
Domus uniuersa custodis carceris baptizatur	134	Episcopi sunt ecclesiarum ministri, non domini	170
Dona dei non primum orbi data in die pentecostes	13	Episcopi cogitent de sua sorte	ibidem
Dogmata fulta sint certis scripturis	211	Episcoporum uigilantia super gregem	ibid.
Dona omnia dat deus non uni	153	Episcopi nomenclatura	170
Dorcadis exemplo commendatur studium misericordiæ	78	Episcoporum auaritia & luxus notatur	174
Dormit qui mortuus in spe resurrectionis futuræ	61	Episcopatus censentur magnarū opum accessione	172
Drusilla quæ & qualis Felicis uxor	197	Ecclesiæ uiri boni cōmendari possunt	154
Duci ad supplicium quid dicatur	95	Ephesiorū periculose artes & sacrilegæ	159
Durum contra stimulū calcitrare adagium exponitur	73	Errores in ecclesia unde prodierint	11
		Errore intellecto honestū est respiscere	76
		Error idololatrarum unde & qualis, sicut & felicitas	114
		Error non est exemplo quouis stabilendus	129
		Errorem mundi deus tulit, & uoluit eliminari per Christum	147
		Euangeliū animi dotes pollicetur, non temporalia	5
		Euangelium secundū Lucam complectitur facta & doctrinam Christi	2
		Euāgelico negotio attinet baptismus & doctrina Ioannis	11
		Euangelica doctrina quæ dicatur	22
		Euangelij prædicati uirtus & functio	45
		Euangelium inuitis impijs diffunditur	42
		Euangelio non utendum pro compendio seculari	67
		Euangelij fundamentum est, Christum filium dei esse	76

I N D E X.

Euangelij prædicatio infimulatur causa ma-	sanctorum	199
lorum in mundo	91	
Euangelij persequutores causa sunt malorū	Fastum detestantur apostoli pontificū tem-	32
in mundo	pli	32
Euangelio multi uarie afficiuntur	Felix nihil præter mundum norat	198
107	Felicis largitiones corrupta iudicia & auari-	198
Euangelij persequutorum ingenium & ty-	tia damnantur	198
pus	Felix si diu Iudæis præfederit	ibid.
108	Felix corrupto & prophano animo	ibid.
Euangelij prædicatio prolatio est & usus cla-	Fœminæ non raro uel paucis imperant	69
uium	110	
Euangelij prædicatores non terreantur faci-	Fœminas non excludi à salute euāgelica	132
le minis	128	
Euangelium solatur trepidos & desperabun-	Fellis metaphora explicatur	67
dos	134	
Euangelij hostes maximi qui	Festi tumor & iactantia	201
136	Fidei uirtus magna est	210
Euangelium odor uitæ & mortis	ibidem	
Euangelium non tollere magistratum	Fides nō prorsus tollit humana præfidia	212
137	Fides eadem in omnibus per mundum ec-	
Euangelicæ doctrinæ partes pœnitentia &	clesiis	25
fides	209	
Euangelica mysteria omnia scripturis præ-	Fidendum non creaturis, sed dño	78
dicta	209	
Euangelio traduntur duo, pœnitentia & fi-	Fides catholica ubiq; prædicata ab aposto-	
des in Christum	lis	23
118	Fides nostra & patriarcharum eadem, ideo	
Euangelium non bene capit in mūdi prin-	& salus eadem illis & nobis	33
cipibus	206	
Euangelica narratio certissima est	ibid.	
Eunuchus pro aulico	68	
Eucharistia priuatim in ædibus celebrata ab	Fidei spiritus idem ueteribus & nobis	34
episcopis	26	
Exemplariorum uariatio in Actis	Fides uera & antiqua quæ dicta Stephano.	
194	pagina	52
Eutychis Fortunati restitutio	167	
Excidium Iudæis non conuertendis prædi-	Fides de Christo domino summatim per	
citur	Isaiam descripta	72
17	Fide pertingitur ad uirtutes, non contra	82
Epicureorum hæresis de uoluptate	140	
Exorcistarum multa apud Philippen.	Fides Cornelio de gratiæ dei largitate do-	
257	nata	ibidem
Exorcistarū ars Salomoni adscribitur à Io-	Fidem non esse meriti humani	108
sepho	ibid.	
Exorcistarum ars ab ecclesiasticis improba-	Fidei ostium aperire, est fidem recipere	117
tur	153	
Exorcistæ intēti ad lucrū & impostores	Fide in Christū peruenitur ad certissimam	
153	salutem	134
Externam culturam deo non esse curæ	57	
	Fides sincera profert uere bona opera	154
F	Filij dei occisoribus gratia non negatur pœ-	
Faciendum prius, & sic docendū, ne do-	nitentibus	30
ctrinæ autoritas cassis operibus desti-	Ad flumina gentes purgati orabant	130
tuatur	2	
Factionum præiudicia quid possint	Fratres consanguinei dicuntur Hebræis	9
186	Fratres & sorores olim dicti, qui nunc Chri-	
Facultates hominum ut nominentur	stiani	173
26	Fugæ præsidium non semper inhonestum	77
Facultates propriæ quomodo à Christianis	Fuga apostolorum non inutilis, sed necessa-	
possidendæ	ria	111
37	Functiones sæpe detrectant sancti, sed sine	
Fames propter Christianorum persequu-	pertinacia	75
tionem à Iudæis oborta	91	
Fames maxima afflixit Christi ecclesiam	Furor populi raro sedatur uno malo	62
91	Futura non inquirenda à Pythonibus uel	
Fauore & odio principum pereūt plurimi	ueridicis	132
	B	
	Galatis missa epistola, diu ante cōscripta	
	acta	129
	Gallio quis & qualis fuerit	152
	Gallionis	

I N D E X.

Gallionis sectatores multos habet mundus		Græci dicuntur Iudæi nati apud gentes, non	
pagina	151	in Iudæa	47
Gallio Achaia proconsul	199	Græcanica lingua nota Aegyptijs, Aethio-	
Gamalielis consilium ex scripturis & sapi-		pibus & Iudæis	69
ens	44	H	
Gamalielis oratio prudens & erudita	44	Hebræa & Græca lingua necessaria do-	
Gaulonitica secta Iudaicas res afflixit	45	ctoribus ecclesiæ	15
Gentes omnes uocandæ in consortium sa-		Heraclides de laudibus laboris	148
lutis	13	Hæresis deterior persecutione	117
Gentium quoque deus est dominus	79	Hæresis contra salutem ueram in solo Chri-	
Gentium uocatio celebri initio auspicatur.		sto	118
pagina	97	Hæresis uocabulum non semper fuit tam	
Gentibus defertur omnis gloria ueteris sy-		odiosum	195
nagogæ	ibidem	Hæresis dicitur confirmata de aliquo dogma	
Gentes quoque deo sunt curæ & dilectæ	81	te opinio	ibidem
Gentium declinatio quare olim mandata,		Hæreticus quis dicatur ex Augustino	171
nunc reuocetur	84	Herodes quis fuerit qui Petrum comprehen-	
Gentium mentes erigit, ne se credant negle-		dit, & afflixit ecclesiam	92
ctas	85	Herodiorum historia summatim descripta.	
Gentes conuersæ ad Christum, æquantur		pagina	92
Iudæis per deum	87	Herodes fortunam suam committebat a-	
Gentes à societate populi dei non arcendas.		leæ	93
pagina	87	Herodes stulte res administrat	96
Gentes pertinere ad gratiam Dei declara-		Herodis tyranni interitus manifesto dei iu-	
tur	88	dicio	ibidem
Gentes mundatas sanguine Christi, ut Iu-		Herodis magni septem fratres	92
dæi	89	Herodis impia pollicitatio	189
Gentes omnes deus uult saluos fieri, & quo-		Herodem imitantur coniurantes contra E-	
modo	109	uangelium	ibidem
Gentes plures deos & unum crediderunt.		Hæsitant nonnunquam sancti	83
pagina	112	Hieronymus de intercessione sanctorum con-	
Gentes ad Christum conuersæ non indigent		traria scribit	211
legalibus	120	Historiæ Christi fructus promissionum dei	
Gentes ad Euangelium conuersæ per Pe-		impletio	106
trum	ibidem	Hybernare naues quid	208
Gentes in deperditorum locum suscipien-		Hypocritæ semper in ecclesia	38
das	122	Hypocritis author diabolus	ibidem
Gentes quoque ad populum dei pertinent	122	Hypocritæ Iudæi Euangelij persecutores.	
Gentes infames ab idololatria & scortatio-		pagina	136
ne	120	Hominum ingenia uarie ex uerbo ueritatis	
Gentes Iudæis in multis meliores	193	afficiuntur	44
Germania credidit fidei catholice tempore		Ex Homine uno uniuersum genus homi-	
Irenæi	23	num	144
Germani non admittunt deorum imagines		Homo cur conditus iuxta Anaxagoram	145
ad formam humanam	139	Homo conditus ut deum cognoscat & ue-	
Gloria pro contumelia Christi	71	neretur	ibidem
Gratiam dei per Christum ultro gentes am-		Homo in omnium rerum teatro	ibid.
plectuntur	108	Homo quomodo dei progenies	146
Gradus multi ad uirtutem describuntur	74	Homicidium profligatissimum flagitium	214
Gradus ad impietatem & idololatriam	112	Hospitalitatis uirtus & meritum	213
Grandiloquentia scribarum & pontificum		Horatius de monachorum otio	149
pagina	43	Horæ Iudæorum instar Babyloniorum sup	

I N D E X.

putantur	17	Hierosolyma etiam gentiles adoraturi acce-	
Horæ orationis tertia, sexta & nona	81	debant	69
Hospitalitas Petri ad sanctos in exemplum,		Hierosolymis celebris & generalis Iudæo-	
pagina	83	rum disperforū schola erat, Christi tem-	
Hospitalitas Christianorum maxime erga		pore	15
doctores	118	Iesum esse uerum deum	20
Hospitum habenda ratio & cultus	148	Iesum esse Christū, scripturis declarat Pau-	
Hospitalitatis præmium ingens	215	lus	76
Hospitalitas Mnasonis Cyprij	175	Iesum asserit Christum esse promissum in le-	
Hostia pro peccatis mundi semel oblata		ge & prophetis	105
Christus	71	Iesum apostoli prædicant absq; præiudicio	
Huldrychus Zuinglius de baptismo Ioan-		Cæsaris	200
nis	156	Imago dei in homine per spiritum est	13
Humilitas Christi ex propheta	70	Imago dei obliterated in homine per pecca-	
Humilitas ex paupertate Christi	ibid.	tum Adæ	ibidem
I		Imago dei homo quatenus fit	146
Iacobus Alphæi, paruus, minor, junior,		Imago nihil habet dei	ibidem
& frater domini appellatur	8	Imaginum impius usus	146. 162
Iacobus maior frater Ioannis maximus E-		Imagines tolli iubentur à Valente & Theo-	
uangelij præco	93	doso	124
Iacobum quidam tertium confinxerunt	8	Imaginum propugnatores conuincuntur	
Iacobus filius Mariæ Cleophæ quomodo		erroris	ibid.
accipiendum	ibid.	Impij aures ad ueritatem obturant	60
Iacobus Zieglerus Landauus de Syria	53	Impium est, si quis fide data mittatur ab im-	
Iacobus Alphæi Hierosolymorum episco-		pjis	32
pus	95	Impietas sola se uolentia tutatur	32
Iacobi epistola qualem operibus iustitiam		Infantes si baptizandi	154
tribuat	122	Inferorum nomine intelligitur sæpe mors	
Iacobus frater domini triginta annis Hiero-		& sepultura	19
solymis antistes	175	Ingratitudo hominum in bene meritos	213
Iacobus præcipitio occiditur	ibid.	Ingressi & egredi est conuersari cum homi-	
Iacobi consiliū ut Augustinus declaret	176	nibus	11
Iacobi decretū ad religionis conciliationem		Iniuriæ & neci fidunt aduersarij ueritatis,	
pertinebat	123	pagina	187
Iactum facere est nauim alleuiare	209	Inuidia concepta non quiescit	150
Iconij urbis descriptio ex Stephano	111	Ioachimi Vadiani optime meriti laudes	52
Idioris apostolis os dabatur, & sapientia in-		Ioannes Baptista primus & maximus euan-	
uincibilis	34	gelicus præco	86
Idolatriæ & gentilis erroris origo	112	Ioannes prædicauit omnium potestatem a-	
Idololatria diutissime durans	115	pud Christum esse	86
Idololatria deo execrabilissimū flagitiū	139	Ioannis Marci qualis defectio	103
Idololatriam Athenienses colunt, Barbari		Ioannis doctrina qualis fuerit	156
detestati sunt	ibidem	Ioanni Hussio facta uolentia & ueritati Con-	
Idolorum cultum uanum esse	146	stantiæ	187
Ieiunium quale ut domino placeat	99	Iosephi pietas erat fides, patientia, castitas,	
Ieiunium quatuordecim dierum quale	212	&c.	53
Ignis baptismus quis fit	4	Iouis eximia maiestas inter deos	112
Ignis & aqua congruūt instituto Christi	4	Irenæi fidei & catholicæ symbolum	23
Ignorantia Iudæorum, Hierosolymis cruci		Ironia uehementem increpationem habes.	
fixum Christum	105	pagina	185
Hierosolyma religionis caput, & fons legis		Isaiam profelytus legit, & credit intelle-	
diuinæ	4	ctum	69

I N D E X.

Israëlis semen non omne reiectum	107	Labor gloriæ pater	149
Iter sabbati bis mille passuum est	8	Laboris laudes Heraclides scripsit Lycius.	148
Iudas Iacobi ob differentiam Iscariotis dictus & trinominis est	8	pagina	148
Iudæ interitus atrox & terribilis	10	Labor etiã cassus delicijs præferendus	149
Iudas si laqueo uitam finierit	ibidem	Laborem comitatur semper uoluptas	149
Iudas propria perdendus malitia, cui & surrogandus sit alius	11	Laborantibus strenue spiritus sanctus datur, non otiosis	16
Iudas perijt non coactus	10	Laborandum quomodo sit exemplo Pauli prædicatoribus	148
Iudas Galilæus quis & unde fuerit	45	Laborare quare Paulus uoluerit manibus.	149
Iudæi ubiq; funguntur suo officio	107	pagina	149
Iudæi carne, non spiritu circuncisi	59	Lapis & is quidem angularis Christus dicitur	33
Iudæis oblata primum salus	108	Lapidandi mos Iudæis	60
Iudæi apostolos persequuntur, officio mulierum superstitionum	109	Largitiones cauendæ	10
Iudæi mordicus adhærebant abstinentiæ à sanguine & suffocato	123	Laus propria permittitur, ubi de capitis periculo agitur	183
Iudæos qua ratione pulsos Roma à Claudio	148	Legalia qua conscientia conseruata à primitiæ ecclesiæ discipulis	176
Iudæi Paulo impingunt legis cõtemptum.	150	Lex domini quando data in monte Sinai.	14
pagina	150	pagina	14
Iudaica exæcatio copiose describitur	217	Lex tabularum cõplectitur fidem in deum, & uitæ innocentiam	56
Iudæus fit Paulus Iudæis, ut omnes lucrificiat	152	Lege non iustificati sunt patres, neque nos.	121
Iudæorum nomen odiosum Romæ, Claudio edicto.	133	pagina	121
Iudæis odiosum gentium nomen	182	Legem & prophetas in publicis concionibus tractandos	103
Iudæi in bono raro consentiunt	186	Legis dei Paulus apostolus semper studiosissimus	202
Iudices Barbari mitiores in ueritatis professores, quàm nunc sint Christiani	196	Legionis eiusdem multæ cohortes	80
Iudicium tyrannicorum descriptio	182	Leonis Iudæ meritæ laudes	122
Iudicij terrore hortatur ad resipiscentiã	30	Libertinorum collegia quæ dicta	49
Iudicij dies non propediem adfutura notatur	30	Libri primi argumenta in Commentarijs.	2
Iudicium mundi præposterum	133	pagina	2
Iugum seruitutis & oppressionis ad patres	121	Libri Actorum erudita descriptio	2
Iusiurandum in malo non seruandum	189	Libri mali & impij exuri possunt	159
Iustissimus uirorum Christus	70	Librorum bonorũ incendium dudum improbatum	159
Iustitia orbis Christus per fidem	71	Lingua nihil peius aut melius	14
Iustificatio unde fit, & quomodo non ex lege	106	Linguae philosophicæ gentilium quales.	14
Iustitiam ut Paulus prædicarit	197	pagina	14
Iustificationis & uitæ ordo ut habeat	108	Linguarum cognitio necessaria uiris apostolicis	15
Iustitia præsidentium in temperantia consistit	197	Linguae igneæ eruditionem signant & feruorem	14
Iulius centurio facilis Paulo diuina prouidentia	207	Lycaonum fabulæ	112
		Lydiæ commendatur gratitudo & hospitalitas	132
L		Lydia uocatur ad fidem	ibid.
Labor Pauli quatenus imitandus	149	In Lydia sunt Thyatira	131
Labor assiduus Pauli & fatigatio	168, 214		

I N D E X,

sancti & legis	14
Mores sanctæ ecclesiæ doctrina, cōmunio, panis fractio, & preces	22
Miracula nuspam Paulus temere facit	214
Miraculis paratur authoritas sanctis ad dei gloriam	214
Mors non metuenda episcopis	169
Mortuis nunciatum esse Euangelium	20
Mortuorum moderata cura non damna- tur	61
Morte Christi uita reddita hominibus	71
Moses omnium prophetarum fons, & al- ter Homerus	30
Moses prophanis quoq; literis eruditus	54
Mosis fides & zelus contra scelera	55
Mosis homicidium excusatur	55
Moses iam diu prædicatus in synagogis o- mnium nationum	123
Muliebris stultitia supplex satanæ contra pios	109
Monachos quoque suos Iudæi habebant. pagina	31
Mundus ueritatis prædicationem semper persequitur	ibidem
Mundum qui increatum uel creatum do- cuerint	143
Murmur ex humanis priuatis affectibus	47
Murmuris in ecclesia remedium	47

N

Natiuitas Christi ex Isaia propheta decla- ratur	70
Nauis similis uita nostra	213
Nauigatio Pauli periculis & miserijs ple- na	207
Nauigationis descriptio euidens	ibid.
Nazaræorum hæresis, quæ & Cherinti & Hebionis	118
Nicænæ Synodi Canon de coniugio sacer- dotum	174
Nicænæ Synodi secundæ irreligiosa defini- tio	146
Nicolaitarum unde hæresis orta	49
Nomina procerum religionis Christianæ, pagina	8
Nomen domini quomodo inuocandū	18
Nomen Christi quomodo accipiendū	75
Negotiatio per se non mala	131
Nomen dei ineffabile & maiestatis plenum, pagina	143
Nubes cæli symbolum est	6
Numini nemo repugnauit feliciter un-	

quam	73
Nemesis adraestia uindex insolentiæ	214

O

Obedientia Cornelij & legatio	81
Obedientia qualis sit, ut licita sit	188
Obsequi tardioribus fidei quatenus liceat, pagina	152
Otiij pariter & negotij ratio extat	149
Otiosos damnat Paulus, scribens Thessalo- nicensibus	149
Otium honestum & inhonestum	ibid.
Otium literarium multum habet negotij, pagina	149
Orationes aliorum interrompere, uæfani- entium est	122
Oculis cælum intueri amantium more	7
Oliueto monte sanguinem sudat, & in cœ- lum ascendit Christus	7
Omnes respicere, synechocichis capien- dum	147
Omnia non scripsit Lucas Christi gesta, sed de omnibus	2
Opera dei omnia plena sapientiæ & benefi- centiæ	134
Opera bona sponte sequuntur ueram fi- dem	ibidem
Oratio ecclesiastica qualis	9
Ordine cuncta fiant in ecclesia	9
Orationibus auspiciandæ sunt res magnæ in ecclesia	12
Oratio ecclesiastica de quibus formanda, pagina	25
Oratio ecclesiæ quomodo formanda	36
Orandum pro uictoria ueritatis, utq; uer- bum fruticescat	36
Orandum in tentationibus, Saulis exem- plo	75
Orationis & tempus & locum libera Chri- stus fecit	82
Oratio cum temperantia perpetuum sunt Christianorum exercitium	ibid.
Orationes & prædicationes apostolorum omnes unius sunt argumenti	100
Orantes exaudit dominus apostolos & in- clusos	133
Orphei de deo carmina & sententia	142
Oratio Pauli coram Agrippa	202
Operibus quamlibet sanctis nõ paratur ue- ra iustitia	122

P

Patientia apostolorum cum gaudio pro	
--------------------------------------	--

I N D E X.

ueritatis uerbo	46	Paulus semper bonorum uirorum sodali-	
Patientia ouis instar ductæ ad mortem in		tio stipatus	132
Christo	70	Paulus Athenis summis committitur phi-	
Patientia Christiana qualis exhibita ab apo-		losophis	138
stolis	135	Pauli eruditio & in uerbis miraculum	138
Patientia apostolorum iuncta prudentiæ ibid.		Paulus mordetur animo contra idolola-	
Patientia non omnis protinus Christiana	183	triam	139
Patientia L. Catilinæ qualis	184	Paulus fratrum auxilio fuga sibi consuluit.	
Patientia media inter sapientiam & fortitu-		pagina	138
dinem	ibidem	Pauli breuis & eruditissima oratio	141
Patientiæ iungenda est prudentia cum con-		Paulus imitandus in diligentia & feruore	
stantia	ibidem	prædicandi	152
Panis fractio symbolum Christianæ conspi-		Paulus aliorum consilio obsequitur	163
rationis	22	Pauli autoritas ex sodalibus magnificis.	
Panis & uinum quare sacramenta instituta		pagina	166
à domino sint in cœna	24	Paulus hodie quoq; cum affectu deuoto le-	
Panis fractio qualis fuerit apostolorum tem-		gendus	173
poribus in ecclesia	ibidem	Paulo prædicuntur uincula ab Agabo pro-	
Panis & uini symbolo fœdera significan-		pheta	174
tur	25	Pauli humanitas ad fratres & uicissim	172
Panis quomodo recte nominetur corpus		Pauli constantia ad patiendum pro proxi-	
domini	24	mo & uerbo Euangelij	175
Panis fractio Christianorum mysteria si-		Paulus sacrificium pro se fieri permittit in	
gnificat, & corporis mystici distributio		templo	177
nem	167	Paulus ostendit se minime seditiosum ho-	
Paphnutius confessor asseruit matrimoni-		minem	180
um sacerdotibus, cum fuisset semper cœ-		Pauli studium in suam gentem	182
lebs & sanctus	174	Pauli innocentia & constantia	182
Paries dealbatus quid dicatur	183	Paulus an pontifici maledixerit	183
Pars altera audienda omnium consensu	193	Pauli consilium contra Phariseos & Sad-	
Paruos etiam inhabitat sanctus spiritus,		duceos	185
ex Augustino	88	Paulus inclinatur ad Phariseorum placita.	
Pastores dicuntur & sint episcopi	170	pagina	185
Patrum mores & longa tempora nihil pro-		Paulum obmittentes pharisei, Sadduceos	
bant in religione	115	aggrediuntur	ibidem
Paulus misericordia dei uocatus in medio		Paulum afflictum maxime dominus conso-	
persequutionis actu	73	latur	186
Pauli nomen ubi & quando inditum apo-		Paulus fide saluatus est à coniuratoribus.	
stolo Saulo	101	pagina	192
Paulus iam adoratus, nunc lapidatus Ly-		Paulus arguitur tumultus & seditionis	193
caoniæ	115	Paulo obijciuntur tria accusationis capi-	
Paulus diuina uirtute ceu à mortuis resusci-		ta	194
tatus	116	Pauli modestia in oratione ad Felicem præ-	
Paulus nullibi cessat uel labori parcat	116	sidem	ibidem
Paulus & Barnabas ab apostolis commen-		Paulus mitiore custodia tenetur & libera.	
dantur	126	pagina	196
Pauli & Barnabæ qualis dissensio	127	Pauli oratio coram Felice	187
Paulus ciuis Romanus	135	Pauli discrimina & patientia	201
Pauli disputationum fons & materia, scriptu-		Pauli consolatio in nauigatione ex sodali-	
ra & Christus	136	bus	207
Paulus quare fugiat persequutionem	137	Paulus prædicat nemine prohibente	217
		Paulus non imperitus rei nauticæ	208
		Pauli	

I N D E X

Pauli in periculis alacritas	210	Petrus aurum & argentum non possidet,	
Paulus persequitur Christianos primū,	204	nedum regna	23
Pauli uocatio qualis	204	Petrus non uult adorari	32
Pauli prædicatio de Christi sacramentis ex		Petrus cedit furori impij principis	95
scripturis	205	Petri oratio à Iacobo confirmatur testimo-	
Paulus an serio arreptitius sit dictus	206	nijs scripturarum	121
Paulini Nolani pietas ad egentes	38	Petronij carmen de discordia	162
Paulina profectio maritima ad Romam	108	Pharisæi unde dicti	202
Paulinæ doctrinæ scopus ad Agrippam con-		Phauorini sententia contra ueridicos	132
tra Sadducæos	205	Philippus in Samaria si apostolus uel diaco-	
Pauperes facile iuari possent à non otio-		nus	62
fis	37	Philippus trinominis ex officio	117
Pauperum cura mandanda sanctis & fideli-		Philippis gesta breuiter annotantur	130
bus	92	Philippo mittuntur apostoli auxiliarij	65
Paupertas cum infinitis diuitijs & otio ma-		Philippus factio se ostendit dignum episco-	
ximo	188	pum	172
Pacem conciliauit mundo Christus	76	Philippi filix prophetantes, hoc est, deditæ	
Pacem qua ratione deus aliquando conce-		uerbo domini	ibidem
dat ecclesiæ	78	Philippus unius uxoris maritus	ibid.
Peccatorum remissio non aquæ, sed gratiæ		Petri Apiani tabula Geographica	208
dei tribuitur	21	Pericula illabimur nostra stupiditate & iner-	
Peccata gradibus crescunt	39	tia	208
Peccata omnium hominum in se tulit Chri-		Philosophi hæreticorum patriarchæ	140
stus	76	Plato profecit ex Hebræis	140
Peccatorum remissio per fidem, non ex ba-		Philosophi irrident uerbum ueritatis	147
ptismo	71	Pythons spiritus dictus ab Apolline Py-	
Peccatorum remissio per Christum prædi-		thio	131
cata à prophetis omnibus	86	Pictor qualis fuerit Lucas	169
Peccata deo displicent, etiam si diu conniue-		Pictura dicitur loquens poëma	ibid.
re uideatur	115	Pij sponte diuinis obsequuntur præceptis	7
Pedum oscula exegit olim Diocletianus, &		Pietas in patriam maxima uirtus	77
nunc Papa	83	Pietas periculose infectatur à fide religio-	
Pedicularis morbus omniū scdissimus	98	fis	116
Pœnitentia uera quomodo enascatur	21	Pietas non indiget legibus numerosis	117
Pœnitentiam ludæis Petrus prædicat	29	Pietas Pauli in patriam & gentem	129
Pœnitentiam suadet Paulus horrore iudi-		Pietati aduersantur multa, sed à deo defen-	
cij	147	ditur	136
Pœnitentia per Christum assumenda doce-		Plato non solus mundum docuit creatum,	
tur	ibidem	pagina	143
Pœnitentes uere iacturã rerum ferunt spon-		Populi quanta insania	179
te	159	Popularis improbitas exitialis urbibus	92
Peregrinatio Pauli tertia cum Sila	127	Populus facile incitatur & terretur	162
Peregrinationes ad diuos olim gentilium,		Portius Festus Felici præses succedit in Sy-	
sicut hodie ad sanctos in usu declaran-		ria	199
tur	162	Porphyrij blasphemii mendacium de futu-	
Peregrinatio Pauli quarta	165	ris	48
Perfidorum in Christum pœna digna	207	Porta templi quæ & quare dicta fuerit Spe-	
Pericula cur sanctis prænunciantur quan-		ciosa	27
doq; à domino	174	Porta arcia intrandum ad uitam	116
Perfæ statuas idolorū abominantur	139	Prædicatorum zelus & studia contra hære-	
Petrus nihil de principatu cogitat inter apo-		ticos & magos	101
stolos	17	Prædicationi Paulus insumpsit totam no-	

I N D E X.

Item. Pagina	167	Quinquagesima quomodo à domini resur-	
Prædicationis Petri tantum adscripta sunt		rectione sit numeranda	14
capita, non tota	86	R	
Prædicatio apostolica de Christo qualis	44	Regnū dei ad gentes transferendum	217
Pretio non sanguis fundendus, nec proden-		Reges etiam nunc domino seruiūt cum tre-	
da ueritas	10	more	191
Potentia nulla contra dominum	94	Reges impietatem legibus prohibere pos-	
Principum studia in rebus & libris diuinis		sunt & debent	ibidem
olim fuit	69	Regnū dei duplex, cœleste & terrenum	3
Principum eruditio prodest orbi	ibid.	Regnat deus in corde fidelium	3
Principum humanitatis exemplum in Ae-		Regnum Israël carnale desiderabāt etiam	
thiope	ibidem	apostoli	4
Principis boni plura exempla	101	Regnum Messiaē augustissimum amplificati-	
Principes iungant prudentiam humanita-		onibus prophetis prædictum	5
ti	190	Regnum fidelium deus curabit suo modo,	
Principes humani sint, etiam non respiciāt		loco & tempore	ibidem
personas	190	Regnum dei pusillum gregem manet	9
Probanda omnia, optima aut tenenda	138	Regnum filij Dauidis perpetuum monstra-	
Progenies dei quare homo dicatur	145	tur	19
Prophetare quid dicatur	17	Regnū Christi ueteres agnouerunt ut nos,	
Prophetarū filij prophetis credant Iudæi	30	pagina	19
Propheta dicitur Christus propter officium	30	Regnum Christi per Euangelij prædicati-	
um	30	nem	71
Prophetæ dicuntur aliquando Euangeli-		Religio Christiana in spiritu consistit	7
stæ	99	Religio pharisaica armis defenditur nebu-	
Prophetiam non aspernādam, sed plurimum		lonum	41
audiendas sententias	103	Religio uera non templo uel ceremonijs af-	
Prophetæ dicuntur Iudas & Silas, qui do-		fixa	52
ctores sacrorum	126	Religionis ueræ summa & authoritas	126
Prophetarum falsorum auaritia & perfid-		Religioni paternæ consecrabatur tota do-	
dia	171	mus	131
Profelyti qui dicti Iudæis	16	Religiosi antiquitus dicti qui	142
Protogoras urbe pulsus ab Atheniensibus		Religionis causa conditus homo	145
propter idola	139	Remissio peccatorum quatenus baptismo	
Promissa dei Christus exhibuit	4	tribuat	72
Prouidentia dei efficacissima in opere mor-		Remphā ex Amoz propheta exponitur	57
talium	186	Respectus nullus est personarum penes de-	
Psalmi secundi argumentum	106	um	85
Pueros constat ab apostolis baptizatos	131	Resurrectio Christi capitur pro toto euan-	
Purgatio dei per fidem est, & acquiritur	120	gelico negotio	11
Publius sanitati restituitur ob hospitalitatis		Resurrectio per solum Christum nobis spe-	
fidem	215	randa	195
Purgatio nō semper intelligitur ab immun-		Resurrectio mortuorum à Paulo tracta-	
ditijs	177	tur	203
Purgatio externa magni fit ab hypocritis.		Reuerētia decet seruos dei, sed moderata	83
pagina	178	Romanorum ciuium priuilegium	135
Purpuræ usus nobis ignotus	131	Romanorum nomen & gloria seruit glo-	
Q		riæ dei	ibidem
Quaternio militum quomodo accipien-		Romæ nullū simulachrum annis CLX.	139
das	93	Romanorum legiones in Syria alitæ	178
Quæstiones discipulorum curiosæ & inu-		Romanorum taxatur auaritia	198
tiles	5	Romani nō temere uberibus lupæ aliti	198
		Romanos	

I N D E X.

Romanos sæpe Paulus propitios expertus est	216	Sanctorum intercessio quomodo improbetur	ibidem
Romæ quid Paulus egerit cum Iudæis	216	Sanguinis Christi effusio omnium peccatorum est ablutio	24
Romanæ ecclesiæ fideles multi	217	Sanguine qua ratione & quandiu abstinetur à Christianis	124
S		Sanguis & suffocatum qua ratione prohibita ad esum	ibidem
Sabbato maneat quisque apud semetipsum	3	Sanguis uester super caput uestrum exponitur	150
Sabbato diuinis rebus omnino insistendum	103	Sanitatis beneficium non sanctis, sed domino tribuendum	29
Sacerdos sempiternus & paciæ exemplar Christus	71	Sapientia humana cogitur obstupescere ad diuinam	16
Sacerdotes quoq; fidei iugo colla subdunt	49	Satisfactio pro peccatis nostris per Christum	70
Sacerdotali loco nemo se indignus ingerat	21	Saulus antesignanus persecutionis Iudææ contra apostolos	62
Sacerdos ordinatur conscientia populi affertentis	ibidem	Saulus occæcatur & ducitur iam conuersus	74
Sacerdotalis pompæ collegium Hierosolymis	32	Saulus se totum domino dedicat	76
Sacrificij nomine dicitur commemoratio sacrificij unici	24	Saulus comprobatur se Christi uerum discipulum	77
Sacrificijs secus utebantur Iudæi quàm instituta erant	59	Scortationis nomine intelliguntur illicitæ Veneris species	124
Sacrum nihil habendum est quod homines extruxerunt	143	Scripturæ impulsu agant apostolici præfides	10
Sacramentaria aleosis in baptismo	72	Scripturam expositione indigere	69
Sacrificium deo gratissimum, salutis electorum intendere	100	Scripturas legitime exponendi regula	69
Sacrificia externa uane deo offeruntur	144	Seditionum authores Iudæi ubiq; contra Euangelium	110
Sacrilegium & sacrilegi qui dicantur	165	Seditiosi non sunt prædicatores contra uitiâ docentes	43
Sacrum Christianorum quo loco habendum, & quomodo celebrandum	24	Seditio pessima rerum oritur ex rebus, moribus & uitijs hominû pessimorum	111
Salutis quæ sit uia certissima	134	Seditiones mouent ueritatis hostes & fidei	ibidem
Samaritæ quo pacto spiritum sanctum credentes acceperint	66	Seditionis culpâ reijcit in accusatores	205
Samuelis exuscitatio satanæ fuit præstigi-um	159	Seditio non ex ueritate, sed falsa doctrina exoritur	118
Sancti homines mortui non colendi ex Augustino	29	Seditioni cur se Paulus immiserit	163
Sancti mortui non lugendi à Christianis ex Cypriano	61	Seditio uenenum dicitur ciuitatum	164
Sancti sunt qui ex fidelibus sunt, id autem per gratiam	87	Seditio Ephesi quali oratione mitigata	164
Sanctis fert dominus suppetias, impios cædit	98	Scaphæ piscatoriæ nauiculæ	209
Sanctos deus exercet ut liberet ab omni periculo	193	Seditionum authores qui	138
Sanctos glorificat deus miraculis ad confirmationem fidei & doctrinæ eorû secundum scripturas	211	Seditionis crimen à se Paulus amolitur	194
Sancti solum deum in hac uita inuocarunt, non diuos	ibidem	Seditiosi Iudæi Asiatici contra Paulum	178
		Seditio & discordia quantum malum	163
		Sententia concors apostolorum paucis uerbis & paucorum	125
		Septuaginta animæ Iacob quomodo accipiendæ	53

I N D E X.

Sepultura Christi in specioso mausoleo	71	Spiritu confirmanda apostolorum imbecillitas	6
Sergius proconsul insulæ quomodo ad fidem conuersus	100	Spiritus sanctus nõ defuit ueteris testamenti sanctis	13
Sergij Pauli proconsulis prudentia, nolētis odisse incognita	101	Spiritus sanctus quomodo datus dicatur	13
Sermonis mitigatio Pauli ad Athenienses. pagina	142	Spiritus sancti donati apostolis causæ assignantur	ibidem
Serpentibus quidã uestuntur homines	82	Spiritus sancti dona qualia in apostolis	14
Seueritas apostolica cū lenitate in Petro	67	Spiritus sanctus significatur & comparatur igni	14
Sicarij qui dicantur	179	Spiritus dei non nisi dei seruis confertur	17
Sichem quomodo possessa à patriarchis	53	Spiritus Christi uita est & euidencia meriti Christi	20
Signorum usus deo aptus ad homines	14	Spiritus sancti donum accipi, quomodo intelligendum	21
Signis sæpe tribuitur quod est signati	21	Spiritus sanctus deus esse notatur	39
Signa miraculorum non omnibus profunt pagina	112	Spiritu sanctum datū obedientibus ipsi	43
Similem semper deus ducit ad similem	136	Spiritum sanctum accipere uarie dicitur in scripturis	65
Simon de uico Cana, inde Zelotes dictus, dicitur consobrinus domini	8	Spiritu sancto misso testatur deus gratiam suam ad gentes	87
Simon illustris magus	64	Spiritus Dei non semper externo proditur signo	ibidem
Simon etiam non credens baptizatur	65	Spiritus reuelatio uarie capitur	130
Simoniaca hæresis nocentissima in ecclesia	67	Spiritu Paulus ducitur in functionibus suis pagina	169
Simonis ficta pœnitentia	68	Squamarum allegoria multiplex	76
Simonis & Elymæ magorum comparatio	102	Stephani absoluta oratio	51
Simulacra caueant Christiani, docente Iacob	123	Stephano impingitur legis contemptus & templi uolatio	ibid.
Simulacra quo loco habita uarijs gentibus pagina	139	Stephanus exprimit Christi exemplum, orans pro inimicis	60
Simulacrum ubi est, ibi nulla religio	146	Stephanus malo nodo malum quæsiuit cuneum	59
Simulacra ad representandum deum non idonea	146	Stephani uisio qualis	60
Simulacrorum religionem uanam esse docet Paulus	142	Stoicorum hæresis de condolentia	139
Simplici mente quærentibus dominus reuelat uerum	16	Studia literarum sacrarum & humanarum colenda	16
Sibyllæ Cumeæ prophetia de resurrectione mortuorum	147	Sumptuaria lex etiam apud Corinthū habita	148
Synagogæ ueteris occubitus ad ortū Euangelij	79	Superstitiosi qui dicantur	142
Socordix increpatio per exemplum & miraculum	167	Supplicandum uni deo per Christum	212
Sono & linguis deus perstringit auditum et uisum	14	Syrtes duæ in littore Africano	209
Sortiri quomodo & ad quid licitum	12	T	
Sors magis aliena à fraude	ibidem	Tabernaculum testimonij ad quid institutum	57
Sortium usus multiplex in scripturis	12	Tabitha qua ratione Dorcas interpretat	78
Sortiendi genus quoddam infame	ibid.	Tarsus Ciliciæ urbs insignis	179
Sothenes periclitatur Corinthi propter Paulum	151	Tarsus Ciliciæ Antiochiæ ferè uicina	90
Spermologus qui dicatur secundum Budaum	140	Tarsenses ciuitate donatos	135
		Tauri in sacrificijs Iouis grati cum cornibus	113

Templi

I N D E X.

Templi cura prætori commissa uel magistra tui	31	Timet mali sibi conscia mens	42
Templum Iudaicum apostoli ingrediuntur pie	40	Timotheus insignis, & dignus apostolatu. pagina	128
Templi religio perperam obiecta Step- hano & Ieremiæ	50	Timotheus quo consilio à Paulo circumci- sus	ibidem
Templo carentes, domino nihilominus pla- cuerunt	58	Titum circumcidi qua ratione passus non fit Paulus	129
Templum & hostias externa deus non mo- ratur	ibidem	Tolerantia malorum eximium inuentū de- orum	16
Templum domini exponitur per Hierony- mum	ibidem	Traditiones dei, non hominum prædican- dæ	49
Templi Iudaici quanta gloria, etiam apud gentes	69	Tranquillitas duratura quomodo paratur. pagina	111
Templa instituta ob cœtum & orationem commodiorem	81	Tribunorū militiæ magna autoritas	178
Templa deorum extra urbes	112	Trinitatis sanctæ ineffabilisq; insinuatio	43
Templorum uanam esse religionem	143	Troas ciuitas qualis & ubi	130
Templum prophanare quid sit	196	Tumultuum causa pro uiribus uitanda	142
Templum dei mundus est totus	143	Turba pro numero capitur	9
Templa ad uerum dei cultum nihil conue- nire	143	Turbam nullam excitauit Paulus	195
Templum Dianæ Ephesiæ quale & à qui- bus	161	Tyrii semper deuotius Paulum suscepe- runt	173
Templum Paulus non polluit uel propa- nauit	195	Tyriorū & Sidoniorum angusta regio	96
Tempore suo quæq; facienda	192	Tyrannus iracundus ubiq; seruus uulgi, ni- hil habens liberum	ibidem
Tēpestatis elegans descriptio à Marone	210	Tyranni schola quomodo accipienda	157
Tentare deum qui præsumant	121	Tyrannica belua describitur	95
Tertulliani fides & symbolum	23	Tyrannis paucorū contra Gamalielis con- siliū	46
Terræmotus indicium fit exauditæ precis. pagina	36	V	
Testamentum uetus ueluti theorica est, no- uum practica	17	Vadianus felix regionum descriptor	208
Testamentum ualet morte testatoris	13	Vadimonium & Vades Latinis qui dicti, pagina	137
Testes apostoli sunt redemptionis per cru- cem	6	Valerius Publicola uir optimus	135
Testium uariæ artes	50	Vas electionis Paulus, quo nemo charior uel nobilior	75
Testificari sermonem dei quid	68	Venti sonitus quid significet in die pente- costes	14
Testimonijs prophanorū uti possunt Chri- stiani	146	Ventus Typho Euroaquilo, Cæcias nauig- antium præcipua est pestis	209
Testimonia falsa contra ecclesiasticos	50	Verbi externa administratio non conte- mnenda	73
Testimonium unum desumptum ex duo- bus scripturæ locis à Petro	11	Verbum Dei uiuificum non contemnen- dum	107
Theodas magus prodigia exercens Iudæos decipit	44	Verbum domini quomodo accedendum, ut cum fructu audiatur	84
Theatrum quali forma	163	Verbum domini ardentè audiendum	88
Theodori Bibliandri iudicium & eruditio, pagina	100	Verborū dei usus religiosus & impius	158
Theophilus siue proprium siue commune, significat dei amantem	2	Vergilij Maronis de deo sententia	144
Theffalonica metropolis Macedoniae	136	Veritas simplex & exposita mentibus	30
		Veritas ingrata orbi	216

I N D E X

Veritas religionis consistit in deo & ueritate	9	Virtus est medium uitiorum, utrinque redactum	191
Veritas nunquam predicatur sine fructu copioso	22	Viri optimi dotes quæ sint	153
Veritate offenduntur qui uiuunt ex superstitione	31	Visio duplex Ananiæ & Sauli	75
Veritatis præcipui persecutores qui	31	Visio multa in scripturis genera	82
Veritas domini semper uincit	32	Visio Petri de linteamine exponitur allegorice	ibidem
Veritas simplex est & perspicua	33	Vltio dea est iudiciorum	214
Veritati incommodare uolentes parum proficiunt	34	Vmbra Petri si & quomodo miraculum ædidit	41
Veritas & in deum fides inuicta in Petro	54	Vita commendanda domino Iesu	61
Veritatis predicatio sui semper est similis & constans	43	Vno in Christo salus consistit credentium	33
Veritati ante omnia innitendum	75	Vocationes sanctorum ad munus ecclesiasticum	72
Veritatem non horrere lucem	103	Vocat dominus gentes varijs medijs	80
Veritas semper patitur persecutores	101	Votum Pauli de capitis tonsura	152
Veritatem sequitur inuidia	107	Vouendi non omnis ratio deo placet	187
Veritatis ubique successus contra humanam industriam	110	Votum quid	ibid.
Veritatem persequitur fucata religio	110	Vota non nisi uni deo nuncupari licet	187
Veritas libere dicenda & constanter	150	Votum est pollicitatio libera & de nobis possibilibus	187
Veritatis hostes quomodo tractandi	157	Votum non præiudicet melioribus occurrentibus	ibidem
Veritatis uictoria contra aduersarios Pauli.	193	Vouendum quod sit in nostra potestate	187
Veritatis multa est confidentia	ibidem	Vouere quod non sit contra deum	ibid.
Vestis conscissio plangentium habitus	113	Votum Deo gratum quod iuxta eius præscriptum	ibidem
Via capitur pro disciplina & religione	73	Votum stultum est quod non nosti deo gratum	183
Viatores, lictores, uirgarum gestatores, idem.	136	Vota diuis nuncupata à deo sunt aliena	183
Vias domini inuertere Elymas, quomodo intelligitur	102	Vota an sint omnia præstanda	189
Viperæ uenenata natura	214	Vota agnita quæ iniusta, sunt deserenda	ibid.
Vicis distinguitur ciuitas, qui in uias, quæ in domos	75	Vota supersticiosorum Christianorum	188
Vitia quomodo cognata uirtutibus	184	Vota monastica contra deum ut sint	188
Victimæ Christianorum in apostolica ecclesia	25	Votum errori iunctum & sceleri non ligat	189
Viduae in sacris egeni dicuntur & calamitosi omnes	47	Votum lephtæ quale	ibidem
Viduas à stultis uotis arcendas docet Apostolus	190	Vouete & reddite exponitur	ibidem
Vindex Deus est sanguinis seruorum suorum	96	Votum in ueteri instrumento erat cum sacrificio	190
Virtus summum bonum apud Stoicos, quæ ratione	140	Vouendi ratio abrogata cum sacrificijs	ibid.
Virtuti suus quoque modus est	184	Vox eadem audiri potest, & non audiri	74
		Vrbibus maioribus prædicant apostoli Euangelium	136
		Vultus animi speculum	51
		Vxores habuerunt & filias Petrus & Philippus	174

F I N I S.

IN ACTA APOSTO- LORVM PRAEFATIO.



ONSTAT DIVVM LVCAM PROFESSIONE FV-
isse medicum, natione Syrum, patria Antiochenum, amoeni & tersi ingenij uirum, qui à restaurata per apostolos uera religione, ijs, Paulo in primis adhæsit, quo et præceptore usus, tandem duos de Euangelica historia libros conscripsit. Alterum quidem de Actis & doctrina Christi in partibus Achaie & Bœotie, uti ab ijs didicerat qui cum Christo conuersati fuerant, edidit. Alterum uerò de Actis ac doctrina apostolorum Romæ conscripsit, dum in uinculis teneretur Paulus, non audita iam referens, ut

Cōmendatio au-
thoris et operis.

superiori, sed uisa, idq; mira energia, grauitate, et elegantia. Merito itaq; maximus honor huic operi semper est habitus. Hieronymus enim, Acta (inquit) Apostolorum nudam quidem uidentur sonare historiam, & nascantis ecclesie infantiam texere, sed si nouerimus scriptorem eorū Lucam esse medicum, cuius laus in Euangelio est, animaduertemus pariter omnia uerba illius animæ languentis esse medicinam. Neq; uerò ab his admodum absunt D. Erasmi uerba de hoc opere testantis: Quid quæso hæc historia aliud est, quàm Euangelij pars, eaq; meo iudicio non minima? Siquidem illic describitur granum frumenti solo conditum, hic describitur enatum ac suas paulatim aperiens ac proferens opes. Quod ni per Lucam cognouissemus, quibus modis Christus reliquerit terras, ubi, quo loco, quibus modis aduenerit promissus ille spiritus, quibus inijs cœperit ecclesia, quibus rebus polluerit, quibus creuerit rationibus, nōne bonam Euangelij partem ignorassemus? Recte itaq; Beda, Hic (inquit) non solum usq; ad resurrectionem assumptioneq; Domini perduxit narrationem, ut ceteri, uerum etiam deinceps quæ per Apostolos gesta sunt, quæ sufficere credidit ad ædificandam fidem legentium seu audientium, ita scripsit, ut solus eius liber fide dignus haberetur in ecclesia de Apostolorum actibus narrantis, reprobatis omnibus qui non ea fide qua oportuit, facta dictaq; Apostolorum scribere ausi sunt. Sed & Ioannes Chrysostomus mirantibus qui factum sit, ut Lucas historiam Apostolicam non omnem ad finem usq; sit persequutus, aut singulorum gesta singulis non descriperit libris, pulchre respondet, Hæc quidem sufficiebant his, qui modo animum uolunt aduertere.

Cur nō plura scri-
pserit Lucas.

Audiemus enim in breui hac historia totam pietatis summā esse comprehensam. Audiemus quæ fuerit ecclesie infantia, qui auctus, quæ ecclesie iustæ facies, quæ doctrina Apostolorum, qui ueteris ecclesie ritus, quæ studia, quæ religio, fides, doctrinaq; uera uel falsa, uetus uel noua, qui ueri uel falsi doctores, qualia utrorumq; ingenia, quæ artes, qui mores: item qualia sint mundi studia, quales persequentium animi, successus, qualisue fata. Breuiter, uidebimus miram ecclesie faciem, sed prorsus absolutam, nunc quidē in summa tranquillitate euectam florere, mox inter turbas hæresum & persequentium, in pericula abiectam, mire angere & fluctuare, deum ubiq; opitulari, itaq; ecclesiam in ipsa oppressione seipsa subinde speciosiore emergere. Quicquid enim ad salutiferam cognitionem & ad pietatem excolendam necessarium est, quicquid à primarijs Apostolis, Petro ac Paulo in primis, uel egregie dictum uel sapienter & piè factum est, id absolute & plene hoc libro traditum est. Totidem autem annorum historiam texit, quot capita habet, octo uidelicet & uiginti. Si enim Tiberius uigintiquatuor annis regnauit, decimo octauo regni eius passus est Christus, restant igitur anni sex, his adde C. Caligule quatuor, Claudij uerò quatuordecim, & ex Neronis imperio annos quatuor, & habebis annos uigintiocto. Nam secundo Neronis anno Paulus Romam uinctus uenit & biennium in libera custodia exegit. Hæc uerò paucis de authore et opere presenti delibare uolui: nunc quod nostrum institutum attinet, nulla alia causa Commentarios nostros in libros distinximus, quàm quod hæc diuisio nonnihil ad perspicuitatem historie facere, deinde et studiosorum memoriam uideretur adiuuare, qui minimo negotio totam intelligent ediscuntq; si in certos locos diffusam colligant. Facilius enim & certius cognoscimus, quæ certis designatisq; in locis, ceu in arcum certumq; numerū compacta collocataq; contemplamur, quàm quæ in longum latumq; diffusa neq; exacte uidere neq; memoria complecti possumus. Proinde totum opus in sex partiti sumus libros. At primo hoc, quo quinq; priora exponimus capita, tractamus discessum Christi, & ecclesie primordia: nempe quomodo Apostoli promissum patris expectantes, spiritum acceperint, huius auspicijs & robore ecclesiam congregarint, quid & quomodo Christo testimonium dederint ac ueram religionem prædicarint, quomodo ecclesiam hanc nouam Christi sponsam Christo inuicari, instituerint, duxerint

Argumentum li-
bri.

Anni huius hi-
storie.

De cōmentarijs.

Libri primi ar-
gumentum.

rint, quibus imbuerint ritibus, quibus deniq; studijs intenti uicerint tot minas & aduersariorum artes. Hic uide-
dere est, qui sint impiorum mores, quæ sutela, quæ sanctorum patientia & uictoria. Verum satis iam præsa-
ti, uideamus quæ sit authoris nostri in præsentem historiam præfatio. Præfatur enim commode, & ait:

PRAEFATIO.



Vperiore quidem uolumine diximus Theophile, de omni-
bus quæ cœpit Iesus tum facere tum docere, usq; ad eū diem;
quo assumptus est, posteaquam mandata dedisset Apосто-
lis (quos elegerat) per spiritum sanctum.

Stilus & ratio
scribendi autho-
ris.

Hæc ad ea usq; uerba, Congregatis ergo illis in locum unum, præfationis uice sunt
ab authore præfixa. Non enim uulgariter historiam sacram texit Lucas, sed doctissime,
adeo ut optimis quoque prophanæ historiæ scriptoribus possit conferri, licet ipsa di-
ctio non sit usque adeo superstitiose exulta, pura tamen est, grauis ac elegans. Hisce ue-
ro posteriorem librum pulcherrime necit priori, ceu epilogo & anacephalæosi potissi-
ma primi libri repetens. Duos enim libros (uti diximus) de Euangelica historia conscri-
psit, qui rectius committerentur, quàm quod uulgari more, Ioannis Euangelio inter-
posito, interrumpuntur. Priorem autem quem de uita Christi conscripsit, partitur hic
in Facta & Doctrinam, Per facta autem intelligit beneficia, miracula & gesta historica.
At per doctrinam dogmata, decreta, sermones, & disputationes uarias cum uarijs habi-
tas. Proinde non est quod multis hic disputemus faciendum ne prius doctori ecclesia-
stico quod docet, an docendum quid facias. Agnoscimus sanè elegentem illam ac piam,
diui Hieronymi ad Fabiolam sententiam, Prius faciamus & sic doceamus, ne doctrinæ
authoritas cassis operibus destruat. Sed quæq; suis in locis si dicantur, quadrant. Ve-
ra quidem sunt illa, sed non in loco. Porrò Lucas historicos suos libros eidem dedica-
uit Theophilo. De quo multi disputant proprium an commune nomen sit, episcopi
uel magnatis alicuius, an commune omnium ueritatis & dei studiosorum. Et uerissimi-
lius est id quidem epitheton esse p̄ij lectoris: quanquam non desint qui proprium ali-
cuius uiri nomen esse asseuerent, sed parū retulerit quid hic quisq; sequatur. Sanè Theo-
philus sonat amans dei, Ein fründ oder liebhaber Gottes.

Theophilus.

Non omnia, sed
ea quæ necessa-
ria scripta sunt.

De omnibus.) Hic querit Ioannes Chrysostomus, cum Ioannes scripserit impos-
sibile esse ut omnia Christi possint scribi, quomodo Lucas dicere potuerit de omnibus.
Et respondet, Atqui non dixit omnia, sed de omnibus. Perinde ac si quis dicat summa-
tim & in genere: aut de omnibus loquitur quæ necessaria sunt, Atque in eandem senten-
tiam exponit etiam Beda. Omnia igitur quæ necessaria sunt, ut de Apostolorum gestis
& Christi in primis credantur scianturq; literis prodita sunt sacris. Quid ergo oggan-
niunt pontificij?

Usque ad eum diem.) Paulò confusior ordo est in receptis codicibus Latinis: uetus
interpres expressius & simplitius uertit, Usq; in diem qua præcipiens Apostolis per spi-
ritum sanctum quos elegit, assumptus est. Vnde recte monet Beda longum texti hyper-
baton. Sentit enim Lucas se priori libro complexum quicquid Iesus & dixerit & fecerit
egregie, ad eum usque diem, quo assumptus est, prius tamen conuocatis Apostolis &
commonitis, ut Hierosolymis expectarent promissum patris. Proinde crediderim syn-
chresin hanc sic explicari posse: Superiori libro potissima quæq; & factorū & dictorum
Christi domini ad eum usque diem persequutus sum, quo ille in cœlum assumptus est,
posteaquam Apostolis (quos elegerat) de spiritu sancto præcepta dedisset, aut præcepi-
set. Itaq; διὰ πνεύματος ἁγίου positum arbitror pro περι πνεύματος ἁγίου. Et Chrysosto-
mus hunc locum exponens, Per spiritum præcipiens (inquit) hoc est, spiritualia ad il-
los uerba loquutus, nihil autem humanum, rem claram aliquanto obscuriorem red-
dit. Nam Lucas nihil aliud intellexit quàm illud ipsum mandatum, quod paulò post
clarius exponer, ne Hierosolymis discedant, sed spiritum expectent. Hoc inquam man-
datum de spiritu dedit.

Quibus

Quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, posteaquam supplicio fuisset affectus: idq̄ compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno dei.

Ad epilogum superioris libri pertinent & illa argumenta, quibus dominus ueram corporis sui resurrectionem Apostolis comprobauit. De quibus satis Luc. 24. Ioan. 20. 21. & 1. Cor. 15. capi. scriptura testatur. Quod autem nos legimus, quibus seipsum exhibuerat uiuentem, id longe uiuidius Græce est, *παρέστην*, id est, ob oculos statuerat. Hoc enim emphasim habet. Et quæ nos argumenta, Græci uocant *τεκμήρια*. Hæc à rhetoribus ponuntur inter probationes artificiales, de quibus Fabius in 5. Cicero in Partitionibus *τεκμήριον* uocat propriam rei notam, nos argumentum, quod signum est per quod fides fit rei alioqui dubiæ. Cuius generis uideri poterat demonstratio manuum ac pedum, fixura clauorum insignium, contactus quoq̄ lateris, elus item piscis & faui mellei. Huc accedit & temporis circumstantia, dies nempe quadraginta. Quæ omnia tam grandia sunt & certa, ut uecors prorsus fuerit qui de resurrectione corporum dubitaret. Videas hodie inter eos quoq̄ qui in doctorum numero recenseri uolunt, nescire plures quale sit corpus clarificatum. Statim enim atq̄ inuisibilem quampiam rem a deoq̄ & incorpoream demonstrare uolunt, corpus Christi clarificatum proferunt, huiusq̄ collatione mendacia sua confirmant. Quasi uerò clarificatum corpus, corpus esse desinat, & in spiritum uertatur. Quòd si uerum esset, quæ iam esset corporis resurrectionis? Secus de hac re iudicauit scriptura, secus iudicauit Tertullianus, Irenæus atq̄ Augustinus. Corpus ergo clarificatum corruptibile corporis exiit, at non ipsum corpus ac substantiam prorsus abiicit aut in spiritum uertit, sed in melius mutat, manente interim corporis siue carnis substantia. Idem præscribunt & Definitiones ecclesiasticæ cap. 6. ubi legis, Si resurgere dicitur quod cadit, caro ergo nostra in ueritate resurgit, sicut in ueritate cadit. Et non secundum Originem immutatio corporum erit, id est aliud nouum corpus pro carne, sed eadem caro corruptibilis quæ cadit, tam iustorum quam iniustorum, incorruptibilis resurget, quo uel pœnam sufferre possit pro peccatis, uel in gloria æterna manere pro meritis. Sed hæc causa satis diligenter à ueteribus aduersus Valentinianos tractata est. Et Augustinus de Agone Christiano cap. 24. Nec eos audiamus (inquit) qui negant tale corpus domini resurrexisse, quale positum est in monumento. Si enim tale non fuisset, ipse non dixisset post resurrectionem discipulis, *Palpate & uideate*, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut uideatis me habere. Sacriligum est enim credere dominum nostrum, cum ipse sit ueritas, in aliquo fuisse mentitum. Hæc in transcurso, propter eos maxime annotamus, qui se uicisse credunt, cum obijciunt, corpus clarificatum in Coena edi. Non enim nunc dicimus, quod ita à uerbis quoq̄ consecrationis exciderunt, quæ sunt: *Hoc est corpus meum*, quod pro uobis traditur. Quis enim unquam credidit impassibile corpus, quale clarificatum est, posse tradi, hoc est mori? Hæc illorum præclara uictoria. Huc tandem delabimur contentionis studio. Simplex alioqui ueritas est & exposita mentibus fidelium, at intricata & obscura in animis arroganter pro gloria & utilitate sua litigantium.

De regno dei) Regnum dei secundum dispensationem uel nostri respectu duplex est, cœleste & terrenum. Differuit ergo de uita beata, de immortalitate & felicitate perpetua, deniq̄ quomodo per prædicationem euangelicam corda piorum parari possint ad aduentum sancti spiritus, ut dei templum fiant. Sic enim & in hisce terris regnat deus in cordibus fidelium per fidem innocentiam & puritatem. Sic inquam apud Apostolos de regno dei per quadraginta istos dies continuos differuit, adeoq̄ & animos eorum ad aduentum spiritus sancti parauit. Hactenus uero huius libri posterioris præfationem priorisq̄ anacephalæosin pertingere credimus.

De resurrectione & clarificatione corporis.

Vide 1. Cor. 15.

COMMENTARIORVM

IN ACTA APOSTOLORVM

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.



Congregatis uero illis in idem loci præcepit eis, ne discederent Hierosolymis, sed ut expectarent promissum patris, de quo, inquit, audistis ex me: quoniam Ioannes baptizauit quidē aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce non multos.

Per Epanaphoram denuo in manus sumit, quæ strictius in fine superioris libri tradiderat. Iterum enim copiosiusq; exponit præceptum illud de spiritu sancto, & quomodo cælos ascenderit dominus. Igitur posteaquam terras (inquit) deserere & cælos repetere statuisset dominus, prius conuocat discipulos, utpote charissimis (ut fieri solet) maxima quæq; commendaturus ostensurusq; quid post hac faciant. Hic ergo præcipit ne Hierosolyma discedant, sed patris promissum expectent. Hierosolyma enim prophetarum uaticinio constituta erat, ut religionis esset caput ac fons, unde ad omnes alias gentes manaret lex diuina. Consulatur super hac re Isaias in 2. & Michæas in 4. cap. Porro ipsum dei donum spiritum sanctum uocat promissum patris, & propter prophetiam ueterem, quæ est apud Isaiam in 44. apud Ierem. 31. Ezech. quocq; 36. item apud Ioëlem in 2. & suam ipsius pollicitationem quæ extat Ioannis. 14. & 16. Sic enim plurima adducit ceu à pronuntiatu testimoniu, ut illorum mentes confirmaret. In primis uero euidentis est sanctissimi Baptistæ testimonium. Is iam olim dixerat se aqua tantummodo baptizare, Christum uero dominum spiritu baptizatum. Ideo tamen nemo contemnat baptismum Ioannis. Idem enim est cum baptismo Christi & Apostolorum. Baptizarunt enim Apostoli aqua in nomen Christi. Baptizauit & Ioannes aqua in uenturum. Vana ergo sunt quæ disputantur à nonnullis de discrimine baptismi Ioannis & Christi. Interim alij recte distinxerunt inter baptismum aque & ignis. Igne enim solus Christus baptizat. Solus enim confert spiritum sanctum. Et ignis baptismus aliud nihil est quam donum sancti spiritus quod post aliquot dies copiose super discipulos effudit, dicente Luca, Visæ sunt dissectæ linguæ uelut igneæ, sed itaq; super singulos eorū & repleti sunt omnes spiritu sancto. Dicitur autem ignis baptismus ad imitationem aquæ baptismi. Et hæc duo elementa instituto domini pulchre congruunt. Nam ut aqua uel hodie purgamur, ita olim igne lustrabantur fontes. Et res inuisibiles significantur per signa uisibilia. Habuit ergo Ioannis quoque baptismus qui aquæ erat suum mysterium quemadmodum & Apostolorum, ut non sit ideo contemnendus quod aquæ baptismus dicitur. Significat enim eum qui tingitur absolui & ablui à peccatis sed per Christum. Hic enim solus absoluit. Abluit & minister sed suo more. Christus est perfectio, is confert spiritum sanctum, serenat conscientias, & imaginem dei in nobis restituit.

Illi igitur ubi conuenissent, percontabantur illum, dicentes: Domine, num in tempore hoc restituis regnum Israel?

Carnale Israël = Israelis carnali imperio opinionem, quam omnibus eius gentis hominibus imis infixam fuisse pectoribus, & uerba matris filiorum Zebedæi, & Cleophæ apud Lucam in 24. cap. testantur. Sperabat enim Iudæorum gens omnem rerum summam ad se fore deuoluendam, figurata prophetarū oratione aut propria uerius oscitantia decepti. Prophetæ

phetæ enim amplissimis uerbis augustum illud Messiaë imperium describentes, imprudentibus occasionem dedere carnalia hæc cogitandi & sperandi. Verum longe aliud fuerat prophetarum institutum, quod tamen (communi genere dicendi) amplificatio nibus, hyperochis, allusionibus, alijsq; id genus ornamentis suffigurarunt. Id cum illi non expenderent in scdum illum errorem deuoluti sunt, in quem & hodie quidam de uoluuntur, qui cõtendere & litera occidente pugnare malunt, quàm pietatem promouere. Graphice uero adumbratur ut sese humana mens erga dei præcepta gerat, quid caro nostra in ueritatis negotio quærat. Quid uero multis opus? Euangelium animi bona pollicetur, nos opes, uoluptates, honores, carnẽ malleamus. Rectissime ergo in hunc locum Chrysofomus, Non uolebant (inquit) sese conijcere in pericula, sed respirare potius ac refocillari. Idem & hodie in multis uidere est, qui olim omni conatu Euangelium cupiebant promotum, non alia causa quàm quod ad rem attentiores pro re sua fore putarent: nunc cum tribulatio pro uoluptate irrepit, & carnalia magis abneganda quàm ambienda esse audiunt, Illud ne præclarum hoc (inquiunt) Euangelium? Spera ueram Gygis annulum esse inuentum, at nunc uideo malorũ glomos in medium esse positos. Hi aut non perstant, aut non sincero animo in euangelio agunt, quia non sincera mente ueritatem susceperunt. Oculus enim ipsorum prauus est. Est aliud etiam hominum genus minime malitosum, & tamen affectibus hisce carnalibus deditum, qui mallent impios omnes & uerbi dei hostes semel esse profligatos, cæfos, attritos, pietatem contra assertam, & in pace ac tranquillitate res fidelium cirra crucem florere. Conqueruntur tales de temporum iniuria, sed cum tempore tamen discunt quod per crucem pateat aditus ad uitam. Perstant ergo & subinde ad saniora perueniunt. Quemadmodum & apostoli sequentibus à uana spe ad meliora transferuntur.

Dixit autem ad illos: Non est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit super uos, & eritis mihi testes, non solum Hierosolymis, uerumetiam in uniuersa Iudæa, Samariaq; deniq; usq; ad extrema terræ.

Quemadmodũ enim ubiq; curiosas & inutiles discipulorum quæstiones, in locum *Curiose et inu tiles quæstiones.* aliquem communem digrediens, salubri quopiam dogmate elusit dominus: sic hoc quoq; loco carnalem affectum & quæstionem inutilem omniscientia & inculpabili administratione prouidentiaq; dei retrudit. Sic ad matrem filiorũ Zebedæi primatũ filijs petentem dicit, Nescitis quid petatis: & protinus de suscipiẽda & ferẽda cruce differit. Ad Cleopham uero querula uoce dicentem: Nos sperabamus eum esse illũ qui esset redempturus Israël, dixit, O stulti & tardi corde ad credendum omnibus quæ in prophetis scripta sunt: & protinus ex prophetis disputat de redemptionis mysterio. Rursus ne apostoli in Euangelio curiosius rimarentur articulum extremæ diei, ait istam horã post patrem nemini esse cognitam: deinde ad uigilantiam hortatur & sobrietatem. Ita hic quoq; paucis illorum retrudit quæstionem, & anxios reiicit ad spiritus sancti institutionem. Longum enim & incommodum fuisset paranti discessum, stultam de carnali restitutione Israël opinionem conuelleret: ergo paucis, Administrationem rerum (inquit) ipsam inquam administrandi occasionem & opportunitatem deo permittite, uos uestra curate. Ille non deerit promissis, restituet regnum Israël, sed suo modo, loco, ac tempore. Vos interim expectate spiritum sanctum, nihil solliciti quomodo deus fidem suam præstet. Obseruandum uero illud quod in hũc locum annotauit Erasmus, καὶ τὸ ἐν hoc loco plus quiddam esse quàm χρόνος. Hoc enim proprie esse quoties de genere seu modo spatiõue temporis agitur, ueluti sæculum, annus, dies, mensis, hora. Illud autem articulum ipsumq; momentum ac punctũ (ut aiunt) in quo res sit agenda. Et sanè duo sunt quæ anxios mire sollicitant torquentq;, quãdo nam, id est quo tempore, siue quàm breui cupita res sit restituenda: deinde qua opportunitate, quõue modo aut consilio.

Consolatio.

De utroq; non uult suos esse sollicitos. Hoc enim omne in manu, hoc est administratione dei esse, qui & satis tēpestiue ac opportune minimoq; negotio res quasuis expediat, quas pro gloria nominis sui & ecclesiæ esse nouit. Id uero nobis quoq; dicū putemus, qui de successu rerum & futuris præ modum curiosi & anxij sumus, at de pietate & uitæ sanctimonia nihil solliciti. Age itaq; permittamus cōditori rerū, tempus quo quæq; agat, & opportunitatem siue medium per quod cōmode quæq; agat, nos interim pietati studeamus. Promouebit ille gloriam suam, uindictabit euangeliū, sed & impios uerbi hostes profligabit eo tempore modo ac consilio quo illi uisum fuerit. Hic quid nostra retulerit quando aut quomodo id futurum sit? Aduigilemus potius ne & nos simus impij uel hypocrite, ambulemus in iustitia coram ipso, expectantes in patientia & uera animi constantia domini redemptionem, qui sperantes in se nunquam deseruit. Id uero in primis uenustum est quod dicit, Accipietis uirtutem: id est, robur. Alludit enim ad pusillanimitatem imbecillitatemq; illorum. Quasi dicat: Hæc uero quæstio aliunde non proficiscitur quàm ex imbecilli animo, quod carnalibus imbutum opinionibus, prorsus in diuinis laborat negotijs: dabo itaq; sanctum spiritum ut is uos sanet, in situat, absoluat, roborat. Id ubi factum fuerit, eritis mihi testes, sentietisq; quale nam regnum Israël futurum sit, spirituale nimirum, in quo uos non reges eritis, sed testes redemptionis per crucem meam, quam non modo Iudæis, sed & omnibus prædicabit in circumitu gentibus, usq; ad extrema terræ. Sic enim loquutus est dominus, Dabo te in lucem gentiū, ut sis salus usq; ad extrema terræ, Isaiæ 49. Cæterum Gentibus non prædicarunt euangelium priusquam Petrus nobili uisione uocaretur ad Cornelium. Ibi uero clarius & copiosius disputatur de uocatione Gentium.

Atq; hæc loquutus, uidentibus n̄sdem, in altum sublatus est, & nubes subduxit illum ab oculis eorum.

καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἀντὶ ταῦτα δὲ εἰπὼν. Nec plura loquutus, benedixit, id est, ualedixit suis, & caelos ascendit, idq; eis inspicientibus. Nubes autem suscipiebat ipsum. Hoc enim signum erat ipsum in caelum ferri. Nam nubes caeli symbolum est, dicente propheta, Qui posuit in nube ascensum suum. Sed & in monte sancto obumbravit eum nubes lucida. Et Beda interpres, Vbiq; creatura (ait) suo creatori præstat obsequium. Astra indicant nascentem, patientem obnubunt, nubes recipiunt ascendentem, redeuntem ad iudicium concomitabuntur.

Quumq; essent defixis in caelum oculis, eunte illo, ecce uiri duo adstiterunt illis, amicti uestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis intuētes in caelum? Hic Iesus qui assumptus est à uobis in caelum, sic ueniet quemadmodum uidistis eum euntem in caelum.

De ascensione domini.

Maximum est ascensionis domini mysterium, maxima uis, proinde rem grandem maximis, multis & multo certissimis approbatā oportuit testimonijs. Primo ergo hæc fiunt in conspectu discipulorū, ut & ipsi nil dubitarent, & alijs certiores forent testes. Deinde apparent angeli, quos ob assumptam speciem uiros uocat. Cæterum duo apparent. Nam in ore duorum aut trium stabit omne uerbum. Apparent autem albis uestiti. Nam ad sepulchrum quoq; dum resurrectionis testes essent fulgurante ueste comparent. Quin & ipsum dominum Iesum candida ueste comptum cernebant discipuli, dum transformaretur in monte sancto. Et candida ueste cincti in triumpho equis albis uehebantur uictores Romani. Color ergo candidus uictoriæ, clarificationi & imperio consecratus est. Iam cum angeli adhibiti fuissent dominicæ conceptioni, natiuitati, passioni, resurrectioni q; non potuerunt non interesse ascensioni. Sic autem loquuntur illi de ascensione domini ad discipulos, Viri Galilæi. Discipulos autem e loci uocabulo, ueluti dignitate, robore animi ac constantia præminētes compellant. Quid enim alioqui opus erat eos audire cuius erant patriæ, cum id nequaquam ignorarent? Hinc ceu expostulantes socordiamq; apostolis improperantes, non citra Emphasin addunt, Quid

Quid statis intuentes in cœlum? Quod apud Græcos uiuidius est, *τί ἐσὶ κατ' ἐμὴ βλέπυ-
τες εἰς τὸν οὐρανόν.* Porro quod hic dixit *ἐμβλέπυτες*, id paulò superius dixit *ἀτενίζοντες*.
Est autem *ἀτενίζω* fixis & immotis (ut inquit Erasmus) obtueri oculis, amantiū mo-
re. Iam sequitur assumptionis testimoniū, *δύτος δ' Ἰησοῦς*, Hic ille Iesus, nempe qui à uo-
bis in cœlum assumptus est corpore uisibili & uero, ad eum prorsus modum rediit,
ὅμ ἵδοντες quemadmodū uidistis abeuntem. Id est, in eadem forma carnis (ut Beda ait)
atq; substantia ueniet iudicaturus, in qua uenerat iudicandus, cui sanè immortalitatem
dedit, naturam non abstulit. In quam sententiam & D. Augustinus (ex quo ille uerba
sua transcripsit) ad Dardanum de præsentia dei cap. 2. Memoriter recole (inquit) & fi-
deliter tene Christianam confessionem, quoniam Christus resurrexit à mortuis, ascen-
dit in cœlum, sedet ad dexteram patris, nec aliunde quàm inde uenturus est iudicare ui-
uos mortuosq; iudicandos: & sic uenturus est illa angelica uoce testante, quemadmo-
dum ire uisus est in cœlum, id est in eadem carnis forma atque substantia, cui profecto
immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est puran-
dus ubiq; diffusus. Cauendum est enim ne ita diuinitatem astruamus hominis, ut ueri-
tatem corporis auferamus. Non est aut̄ consequens, ut quod in deo est, ita sit ubiq; ut
deus. Nam & de nobis ueracissima scriptura dicit, Quod in illo uiuimus, mouemur, &
sumus, nec tamen sicut ille ubiq; sumus, sed aliter homo ille in deo, quoniam aliter
& deus in homine proprio quodam & singulari modo. Vnā enim persona Deus & Ho-
mo est, & utrunq; est unus Christus Iesus, ubiq; per id quod deus est, in cœlo autē per
id quod homo est. Hęc Augustinus, quem fortassis Sacramentarium esse conuiciabun-
tur quidam, quibus placet ibi quoq; iuxta humanitatem esse Christum ubi est secun-
dum diuinitatem. Sed nemo est uel modice in sacris uersatus literis & harum interpre-
tibus, qui non ad pudendum illum errorem obstupescens uociferetur, Contendendo
certe amittitur ueritas. Nunc quod attinet mysterium ascensionis Dominicæ, Sept. *Mysterium d-*
Tertull. de resurrectione carn. Christus (inquit) sequester dei atq; hominum appella- *scensionis.*
tus, ex utriusq; partis deposito commissio sibi, carnis quoq; depositum seruat in semeti-
pso, arrhabonem summę totius. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus re-
liquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & uexit in cœlum pignus totius sum-
mæ, illuc quandoq; redigendæ. Securi estote caro & sanguis, usurpatis & cœlum, &
regnum dei in Christo. Quod si uerum est (ut sanè aliter habere non potest) iam pec-
cata hominum expiata sunt, cœlum apertum est, spes immortalitatis confirmata est. Vi-
ctor quoq; Christus ecclesiam suam tueri potest, nec quisquam est qui posthac electos
damnare possit. Christus enim uictor is est, qui cœlos ascendit, qui ad dexteram patris *Vide quid in*
sedet, & intercedit pro nobis. De qua re copiosius ad Roma. 8. ad Heb. 5. 7. 8. 10. & Ioan. *cœlis agit*
24. Præterea necessarium erat ut caro Christi auferretur ex hoc mūdo, ut tota religio in *Christus.*
spiritum dirigeretur, & ut animi fidelium à terrenis ad cœlestia, ubi Christus est, erige- *Ioan. 16*
rentur. Hactenus uero pertingit Corrollariū istud ad superiorem magis historiā per- *Coloss. 3.*
tinens quàm ad præsentem: quæ iam sequuntur peculiariter præsentis sunt instituti.
Nunc enim audiemus quid actum sit posteaquam terras corpore deseruerat dominus,
& quomodo discipuli se ad donum spiritus sancti pararint suscipiendum, item quomo-
do spiritus sanctus sit missus.

Tunc reuersi sunt Hierosolymā à monte, qui uocatur Oliueti, qui
abest à Hierosolymis iter sabbati.

Pia mens neq; grauat, neq; tardat diuinis obsequi præceptis. Nihil ergo morātur,
nihil disputant, sed eò redeunt quò redire & spiritum præstolari præceperat dominus.
Faciamus nos quoq; summo studio, alacritate læta & accurata diligentia quodcunque
ille facere præcepit. Porro loci nomen exprimitur è quo cœlos ascendit, non modo
ob historiæ fidem, sed ob mysterij etiam sublimitatem. Siquidem ut humanæ imbe-
cillitatis maximiq; erga nos amoris argumentum æderet, in eodem oliuarum mon-
te cum morte colluctans sanguinem defudat. Iterum ergo cœlos ex eodem migrat,

ut certum diuinitatis exhiberet specimē. Etenim hoc ipsum iam olim prædixerat apud Ioan. in sexto fore ut ex ascensione ad cœlos intellecturi essent ipsum esse filium dei. Hinc in superiori historia legimus, Et adorato eo redierunt Hierosolymam. Præterea indicatur & loci distantia, Iter sabbati. De quo copiosius disputauit D. Hieronymus quæstio. ad Algasiam 10. Aiunt autē esse spatium bis mille passuum. Eo quod Ioannis duodecimo scribatur Bethania à Hierosolymis abfuisse stadijs quindecim, quæ tamen in latere montis oliuarum sita sit. At quindecim stadia paulò minus efficere quàm passuum duo millia. Videtur hoc totum ex ijs enatum uerbis Moseos, quæ Exod. decimo-sexto in hanc extant sententiam, Maneat unusquisq; apud semetipsum & nullus egrediatur de loco suo die septimo. D. Chrysoft. Mihi uidentur hæc (inquit) in sabbato gesta fuisse. Alioqui non ad istū modū indicasset interuallum loci. Quod quā uerè dixerit deprehēdes si à resurrectionis die quadraginta numeraueris dies. At resurrectionis dies in uigesimū Martij incidit, si modo Tertulliani computatio non fallit, quæ est Christū crucifixū esse Cons. Rubellio Gemino & Rufio Gemino, mense Martio, temporibus paschæ, die VIII. Caleñ. Apri. quæ apud nos est Martij uigesima quinta. Sed hæc obiter.

Et cum introissent, ascenderunt in coenaculum, in quo habitare solebant, Petrus inquam & Iacobus, & Ioannes, & Andreas, Philippus & Thomas, & Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater.

Non huc atq; illuc magna quædam iactantes discurrunt, sed sese intra domus penetralia recondunt, donec adfit tempus & occasio benefaciendi. Habuerunt autē certum designatumq; locum, in quo dum Hierosolymis agerent habitabant, cuius hic fit mentio. Nemo enim sanus de honestissimis crediderit uiris (quod de balatronibus credimus) omnium perreptasse ædes. *ἡ οἰκία* uero æditior est in ædibus locus. Latini coenaculum uocant, nō equidem locum in quo coenatur. Festus enim coenaculum uocat domus superiora ad quæ scalis ascendebatur. Orientalibus uero suus fuit in construendis domibus mos. Germani uocamus *die loben, die winden oder den saal*. Locum inquam in ædibus patentiore & aliquanto ampliorem. Sed uide lector quàm tenui ædificio & omni magnificentia carenti contenta fuerit apostolica simplicitas. Nihil tale uideas hodie in horum (ut uideri uolunt) sequacibus, quibus nō sufficit uel Priami regia, uel ambitiosa Babyloniorum structura. Nominatim autem recensentur religionis Christianæ proceres, quod multum referat istorum nouisse nomina, qui primarij nobis dati sunt à deo ueræ pietatis antistites. De singulis qui plura uelit legat apud D. Hieronymum in eo libello quo numerat scriptores ecclesiasticos, cui studiosus aliquis reliquorum apostolorum, qui nihil scripsere, uitam & interitum adiecit. Hoc annotandum uidebatur de tribus postremis.

IACOBVS Alphæi fuit filius, Simonis & Iudæ frater, quem Marc. in 15. paruū cognominat, nimirū ad differētiā maioris, hoc est senioris, qui Hierosolymis occubuit, & frater Ioannis fuit. Minorē uerustas Iustū & ipsæ sacræ literæ fratrem domini appellaue. Hic Hierosolymorū fuit episcopus, cuius acta meminerūt & Paulus in Gal. tandē uero ē pinna tēpli præcipitatus ē uiuis excessit. Beda hoc loco eos redarguit, qui tertium quendam cōfinxere Iacobū, quasi is qui Iustus & frater dñi appellatus fuit, alius fuerit à Iacobo Alphæi. Ostendit em̄ unū duntaxat fuisse Iacobū, qui & Alphæi, & Iudæ, & Iustus, & frater domini sit nuncupatus. Mater huius matertera fuit uirginis, Maria Cleophe uel à patre, uel familia Cleophe dicta, q̄ & Iacobi nōnunq̄ dicitur, Iacobi inquā mater.

SIMON cognomento Chananæus, idem est qui & Zelotes, ortus ē uico Cana, in quo dominus aquam in uinum conuertit. Et Cana authore Hieronymo interpretatur zelus; hinc nimirum Simon Zelotes, & ob patriam, & ob feruentem zelum dictus est. Hic ab antiquis scriptoribus dicitur consobrinus domini. Egesippus enim tradit Cleopham Simonis ex matre auum, Iosephi nutritij domini fuisse fratrem.

IUDAS, ob differētiā Iscariotis, Iacobi dictus est, non utiq; pater aut filius, sed frater.

frater. Hic apud Euangelistas trinominis est. Nam & Lebbeus, & Tatheus cognominatur.

Hi omnes perseverabant unanimiter in deprecatione & obsecratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu, cumque fratribus illius.

Vide sanctissimum optimorum hominum consortium. Vide in his quid possit summatrix omnium constantia. Vide ut illi sese ad spiritus sancti aduentum parent. Discamus ergo & nos potissimas in ecclesia res esse Concordiam, Orationem, & Perseuerantiam, hisce parari corda ad spiritus sancti maxima dona. Rectissime ergo & elegantissime Paraphrastes, Nunc uide (inquit) quid hic agatur, Non rixis aut fabulis otiosis teritur tempus, sed erant omnes unanimiter perseverantes in sacris preceationibus. Non est ecclesia Christi, ubi non est unanimitas. Non sunt deo gratæ preces, ubi non est fraterna concordia. Nec meretur audiri, nisi qui perseveranter orauerit. Idem orat euangelica congregatio. Vbi alius orat opes, alius optat mortem inimici, alius longævum tatem, alius regnum, alius aliud, ibi non est ecclesiastica deprecatio. Fratres autem (ne quis forsan miretur) consanguineos domini ex more Hebraico dixit. De quo plura dicit Hieronymus aduersus Heluidium.

Concordia &
Constantia.

Et in diebus his exurgens Petrus in medio discipulorum, dixit (eratque turba nominum simul ferè centum uiginti)

Pergit historia pingere quid à discessu domini ante aduentum sancti spiritus ab apostolis gestum, & quomodo Matthias in locum Iudæ Iscariotis electus sit. Cæterum non caret mysterio quod dixit, Exurgens Petrus in medio discipulorum. Comendatur enim uiri humilitas. Non etenim solus apud se arrogancia tumens ecclesiasticas res pro uoluntate disposuit, sed in medio fratrum egit quæcunq; egit. Neque enim conuenit ut ecclesiastica munia & quæ totius ecclesiæ sunt, paucorum dispensentur libidine, sed æquum est ut ea bonorum unanimi consensu & iuxta scripturarum administrantur præscriptum. Neque uero & illud æquum fuerit si quis iam sibi quæque arripiat munia. Nam Apostolus, Omnia (inquit) decenter & secundum ordinem fiant. Oportuit ergo unum aliquem certo ordine res necessarias agere. Prodit itaque Petrus, qui reliquis hætenus semper extiterat & ardentior & in rebus agendis aptior feliciorque. Chrysostomus, Tum temporis (inquit) præfectura non honos erat, sed cura subditorum, &c. Annotandum & hoc ἡ πρῶτη ὄχλος ὀνοματων, id est, Erat autem turba nominum, nouum esse loquendi genus. Turba enim ponitur pro numero, & nominum pro nominatim, Vnde es was die gantz sal namhafftig by hundert ynd zwentzgen. At ueritas religionis non consistit in multitudine, opibus, pompa & uiribus mundi, sed in deo & ueritate eius. Unus Michæas, unus Helias, unus Ieremias repugnauit & regibus, & potestatibus, & sacerdotibus, & toti plebi. Christus quoque dominus apud Lucam in 12. Noli (inquit) timere pusille grex, quia completum est patri uestro dare uobis regnum suum. Vide 1. Corinth. 1. & 2. cap. & 1. Thest. secundo capite.

Viri fratres, oportuit impleri scripturam hanc, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux his, qui comprehenderunt Iesum, quia cooptatus erat in numerum nostrum, & sortitus erat partem ministerij huius. Et is quidem parauit agrum ex mercede iniquitatis, suspensusque crepuit medius, & effusa sunt omnia uiscera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hierosolymis: ita ut appellaretur ager ille lingua illis uernacula Acedama: hoc est, ager sanguinis.

Status orationis hic est. Quando quidem Iudas officio & numero excidit apostolico, necessarium est ut alius in locum eius sorrogetur. Illud autem in tota oratione potissimum est obseruandum, quod Petrus totum hoc quod agit non humano consilio agit,

Exitium Iudæ.

sed diuinæ scripturæ impulsu. Quod si hoc primarius ille Apostolorum fecit, quid nobis faciendum putatis? Ergo quæ ciuilia sunt, ciuilibus, hoc est iustis & æquis discutiantur legibus: quæ porrò religionis & dei, sanctis scripturis. Petrus maximam huius orationis partem narratione absoluit, quam tamen scripturis & probabiliorem & gratiorem reddit. Exponit enim quomodo Iudas exciderit: & ne quem offenderet casus irreparabilis, committit scripturarum lenimine. Sic etenim in fati fuisse. Non equidem quod Iudas diuino consilio ad prodicionem nolens compulsus sit, sed quod proditor diuina flagitante iustitia merito punitus sit. Historiam uero quam hic retexit legere est in superiori libro Euangelicæ historiæ, & apud Matthæum in 27. Ego certe crediderim exitium Iudæ à Luca hic propterea copiosius esse expositum, quod in superiori libro id transiens hunc in locum usque referuarit. Et notius quidem illud est, planiusquæ quàm quod multis sit exponendum. Sunt tamen quedam non prorsus transilientia, nempe, quod hinc claret omnibus æquam fuisse apostolis potestatem, quod dixit, Sortitus erat partem ministerij huius: si enim partem quisque sortitus est, nemo sanè totum id est rerum summam obtinuit. Deinde Merces iniquitatis posita est pro mercede iniqua, schemate Hebræo. Significauit autem pretium sanguinis. Et hoc sanguinis pretium agro nomen dedit, qui uernacula hoc est Hebræa, siue (quod Hieronymo placet) Syra lingua ארמלך dicitur. Videtur autem nomen compositum esse ex ארמלך, quod significat agrum uel fundum, & דם uel ארמלך, quod est sanguis. Ager enim ex pretio & re gesta nomen sumpsit, in hoc, ne nephandum facinus unquam ex hominum excideret memoria, utquæ exemplum foret omnibus hominibus quantum nephas flagitium ac piaculum patrent qui pretio accepto uel humanum fundunt sanguinem, uel ueritatem sanctam produnt. Caueamus ergo nobis non modo à prodicionibus, sed à largitionibus quoque. Quid enim non potest fallax auri rutilus color? Quò non impellit cupida hominum corda? Munera uel sapientium excæcant oculos. Ex illis pullulant prodiciones, patriæ desertio, pauperum oppressiones, simultates, bella, cædes. At innoxium sanguinem non inultum transit dominus. De qua re copiosius Numeri 35. & Ezech. 22. &c. Iam uero expende mihi quàm graphice atrox & terribilis pingatur Iudæ interitus. Iudas ob uenditum auro dominum, obquæ innocentem & nuper domini effusum cruorem suspensus crepuit medius. Quod siue intelligas de præcipitio, siue de suspendio à trabe, parum retulerit. Plerique hætenus credidimus Iudæ sibi laqueo fregisse gulam, sed huic loco magis consonum est, infelicem præcipitio dissilisse. Hoc etenim Græcica uidentur inuere, quæ sic habent, καὶ πρηνὴς γυνόμενος ἐλάκησε μέσσοις, id est, & pronus siue decliuis factus crepuit medius. Et πρηνὴς quidem pronus uel præceps dicitur. Quo uerbo si gestum & habitum laqueo præfocati expressit, iam sequentia non quadrabunt. Et crepuit medius. Quam sententiam Germanice appositius reddemus, *Vnd zerschmätteret uon einanderen.* Tale supplitij genus irrogauit Amazias filijs Seir, ut legimus 2. Paral. 27. Iudæi enim ceperunt hostium decem millia, & adduxerunt ad præruptum cuiusdam petræ, præcipitaueruntquæ eos de summo ad præceps, qui uniuersi crepuerunt. Quod si eodem mortis genere extinctus est Iudas, non fefellit diuinitio. Iam & Matthæo clarius scripsit Lucas. Matthæus enim dixit, Laqueo se suspendit, pro eo quod est, sibi ipsi mortem consciuit. Lucas autem mortis genus pinxit. Et Germani dicimus ei laqueum esse paratum, cui ante fores subsistit præsentaneum exitium. Interim uero non nego Matthæi uerbum ἀπήγατο appositius reddi strangulauit. Parum igitur retulerit (quod iam monui) laqueo an præcipitio infelicem abruperit uitam. Certe periit et quidem misere. Proinde peribunt omnes quotquot auro uendi dère patriam, aut ueritatem prodiderunt, aut inopes oppresserunt, aut ueritatis studiosos relegarunt in exilium, aut denique parricidijs commacularunt omnia. Nisi credamus deum uel iniustum uel impijs esse amicum.

Scriptum est enim in libro Psalmorum: Fiat commoratio eius deserta, & non sit qui inhabitet in ea, Et episcopatum eius accipiat alter.

Hic

Hic tandem scripturæ uerba recenset, quæ in orationis initio cœperat allegare: ita uero recenset quasi uno in loco aut Psalmo scribantur, cum testimonium ex duobus sit petitum. Nam prior pars testimonij, nempe hæc, Fiat commemoratio eius deserta, & nemo sit qui eam inhabitet: sumpta est ex Psalmo 68, et per typū tribuitur Christo et genti Iudaicæ, quæ propria perijt perfidia, dicente domino, Ecce relinquetur uobis domus uestra deserta. Porrò per Catagogam id quod generale est peculiariter Iudæ aptatur, qui & ipse perfidia sua excidit ne esset Apostolus. Sequitur deinde pars altera testimonij sumpta ex Psalmo centesimo octauo. Neque uero alia ratione aptatur Iudæ proditori, quàm ea qua superius. Nam Dauid ea aliàs aduersus ingratos usurpat. Breuiter duo hisce testimonijs uoluit probata. Prius, quod Iudas propria esset perdendus malitia. Posterius, quod alius esset in locum abdicati reiecti surrogandus. Quibus iam commode infert.

Oportet igitur ut ex his uiris, qui nobiscum uersati sunt toto tempore, in quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Iesus exorsus à baptismo Ioannis ad eum usque diem, quo receptus est à nobis: unus quispiam constituatur qui sit unà nobiscum testis resurrectionis eius.

Quia (inquit) scriptura iubet, ut alius in deperditi substituat locum, age dispiciamus quis huic negotio satis idoneus sit: & obiter exponit quisnam uideatur esse idoneus. Is nimirum, qui dominum Iesum, hoc est, gesta & dogmata eius uniuersa probe norit, & testis istorum esse possit. Vnde nos colligimus eos demum iustos esse ueritatis Euangelicæ & sanctæ dei ecclesiæ testes ministros ac prædicatores, qui docti in pietate, alios quoque uerè docere possunt. De qua re plurima Paulus 1. Timoth. tertio, & Titum 1. Superioribus sæculis inaugurarunt nobis Suffraganei (quos uocant) indoctifimos quosque agasones, nepotes, uappas, ambubaias, qui Euangelicæ doctrinæ nunquam per omnem uitam uiderant uel apicem uel præliminarem titulum. Inde uero nobis tot in ecclesiam errores deriuati sunt. Cæterum maxima est fidei Christianæ auctoritas, utpote quæ nobis à testibus est exposita, qui non modo audita, sed etiam uisa ac expertissima retulerunt. Hoc ipsum & Petrus & Ioannes primarij testantur apostoli. Hic in 1. cap. 1. ille uero in 2. cap. 1. Porrò ingredi & egredi more Habraico posuit pro tota uitæ conuersatione. Vnde Erasmus sensum probe reddens uertit, Qui nobiscum uersati sunt toto tempore, quo dominus Iesus perpetuam uitæ consuetudinem egit nobiscum. Neque illud nobis hic transeundum, quod doctrinam & baptismum Ioannis negotio inclusit Euangelico, contra istorum placitum qui doctrinam Ioannis separant ab Euangelio. De quo dicemus in capite decimo & decimonono. Et resurrectionem posuit pro toto Euangelij negotio, partem potissimam pro ipsa re tota. Incumbit enim Euangelij prædicatio, ut Paulus in 1. ad Corinth. 15. ostendit, in resurrectionem tota.

De uocatione
ad episcopatū.

Et statuerunt duos, Ioseph, qui uocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam.

Non eligunt nisi optimos & sanctissimos uiros. Alter enim à uitæ sanctimonia Iustus cognominatus est. Meminerimus Episcopum irreprehensibilem esse debere. Statuerunt autem, hoc est, certos designarunt, designatosque in ecclesiæ conspectum statuerunt. Quod utique iccirco tam diligenter & caute gerebatur ne quis ad sacerdotalem locum indignus obreperet. Hinc Cyprianus martyr Epist. lib. 2. Epist. 4. Scriptura (ait) instruit & ostendit ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentem uel detegantur malorum crimina, uel bonorum merita prædicentur, & sit ordinatio iusta & legitima quæ omnium suffragio & iudicio fuerit examinata. De Iosepho autem Barsaba nihil certi produnt sacræ literæ, coniecturas habent ueteres, de quibus iam non est dicendi ortum.

Et facta precatione, dixerunt: Tu domine, qui corda nosti omnium, ostende utrū elegeris ex his duobus, ut accipiat sortem ministerij

CAPIT. II.

huius, & apostolatus, unde præuaricatus excidit Iudas, ut abiret in locum suum.

Rem grauem & arduam summa cum honestate ac diligentia perficiunt. Primò inquiruntur docti & sancti aliqui, qui rerum Christianarum sint gnari. Deinde comper-
tos ecclesiæ proponunt, ut irreprehensibiles esse probentur. Non autem quiuis per se, licet rerum Christi probe gnarus, officium hoc ambit, sollicitat & currit, sed uocati citra arrogantiam aliorumque inuidentiam, sententiam sancti spiritus utrinque ex æquo expectant, uter tandem ex duobus eligatur. Atque hic demum preces fiunt. Maxima enim uis est orationis. Nos certe hinc discimus res quasuis in ecclesia graues, oratione auspicias ducendasque esse. Nam citra domini auxilium & assensum nihil feliciter ceciderit. At is oratione flectitur. Nos equidem ex habitu exteriori iudicamus homines, & fallimur sæpissime. Dominus corda intuetur. Hunc ergo precantur, ut eum designet quem huic negotio norit esse aptum, e quo Iudas excussus abiit in locum suum, id est, se suisque moribus dignum. Proditor enim cum esset, inter honestos, minister tam sancti cœlestisque ministerij, recenseri non debebat. Siquidem ad coruos ac inferos pertinebat, domicilium omnium eorum qui auro corrupti & iustitiam & ueritatem produnt.

Et dederunt sortes eorum, & cecidit fors super Matthiam, & cooptatus est ad numerum undecim apostolorum.

De sorte. Non temere sortiuntur, sed super consignatis & uiris optimis, præmissa quoque oratione: unde iam impossibile erat, ut fors aberraret. In quemcumque enim istorum cecidisset, non aberrauerat: interim uero sorte opus erat, quæ certum designaret, quæ & ipsa à deo agi creditur. Sortiri enim aliud non est quam aliquid sorte decernere uel constituere, ueluti cum nos sorte agros & possessiones paternas diuidimus. Neque aliud genus magis à dolo fraudæue alienum est. Hinc ipse deus iussit terram promissam sorte diuidere, Numeri 33. Quin & Pontifices sorte designabantur ac reges. Nam Saul sorte electus est, uoluntate dei prius consulta, per quam latens Saul populo indicatus est: ad cuius rei imitationem hic quoque Matthias eligitur. De hoc genere dixit propheta Prou. 16. In sinum deiiciuntur sortes, at à deo iudicium earum proficiscitur. De eadem pluri-
bus Fenestella de Magist. Rom. tit. de Procons. & Cœlius Antiq. lect. lib. 12. cap. 19. Lucianus quoque in dialogo qui Erotimus inscribitur. Quod ergo omnibus à constitutione mundi sanctis licuit, idem nobis quoque licet, sortiri. Est sane & aliud sortiendi genus infame & prohibitum in lege. Hoc euentus quærimus de rebus futuris, quales erant Vergilianæ. Harum author extitit Numerius Prænestinus. Illas uero damnat lex Leuit. 19. & propheta Isaias in 8. Illius studiosi nominantur sortilegi, obseruatio autem sortilegium. De hoc genere plura habet Cicero, in 2. de Diuinatione. Crinitus quoque lib. de Honest. discip. 22. cap. 3. & Polydorus Vrbinas de inuent. rerum, lib. 1. cap. ult. Rite ergo peractis omnibus accepta dataque sorte, hac ipsa declarauit deus Matthiam sibi placere. Hic itaque declaratus Apostolus undenario numero duodecimus est additus. Porro certus hic ille ac consecratus numerus testium, expectat nunc sanctum dei spiritum, quo imbuti Christianam religionem per uniuersum disseminent orbem. Arator Romanæ ecclesiæ diaconus, qui Acta Apostolorum hexametro carmine reddidit, allegoriam concinnat ex duorum electorum nominibus, docens humanam iustitiam esse reiectam, humilitatem uero Euangelicam approbatam. Quod si quis uersus requirat hi sunt.
Constituere duos Ioseph cognomine iustum,
Matthiamque dei paruum, quod nomen, ut aiunt,
Hebræo sermone sonat, humilemque uocando
Comprobat, O quantum distant humana supernis
Iudicijs, parui merito transcenditur ille
Laude hominum qui iustus erat.

CAPVT II. Et cum compleretur dies pentecostes, erant omnes unanimiter in eodem

eodem loco: & factus est repente de cælo sonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehementis, & repleuit totam domum, ubi erant sedentes. Et uisæ sunt illis dissectæ linguæ uelut igneæ, seditq; super singulos eorum, ac repleti sunt omnes spiritu sancto, cœperuntq; loqui alijs linguis, prout spiritus ille dabat eloqui illis.

Tandem subtextitur ipsa Actuum Apostolorum historia, quæ ut auspicijs sancti spiritus gesta, sic ab eodem quoq; cœpta est. Nunc enim describit quomodo impletæ sint de spiritu sancto promissiones cum Christi tum prophetarû, quomodo spiritus orbi datus sit, qui est ueritatis doctor, salutis arrha, pax & animarum gaudium. Cum enim spiritum sanctum dicimus datum, de donis spiritus loquimur. Deus enim incircumscriptibilis alijs humanis pectoribus concipi quidem, sed concludi non potest. At dona eius secundum mensuram & beneplacitum eius pectoribus nostris infunduntur. Principio autem uidentur paulò copiosius exponendæ esse causæ donati spiritus sancti. Maximum enim est huius doni mysterium, dispositio mirabilis, & consilium Dei sanctissimum. In præsentiarum duas huius doni causas ostēdemus. Prior talis est. Primus homo conditus erat ad imaginem & similitudinem dei, quæ imago non potuit esse in alia re, quàm in spiritu. Deus enim spiritus est, caro non est. Spiritus autem uita, innocentia, ac sanctimonia est. Cum ergo peccasset Adam imago hæc in misero oblitterata est, potissimas uero caro obtinuit, adeoq; totus homo caro factus est, testante scriptura, Non disceptabit spiritus meus cum homine in æternū, quia caro est. Porro affectus carnis mors est: in solo ergo spiritu uita est. Proinde si homo uitæ restituendus, & dei illa in homine per carnem oblitterata, reparanda erat imago, hoc non alio pacto fieri potuit, quàm restituto nobis spiritu diuino, in quo imago dei est. Cæterum in male uolam (ut ait propheta) animam spiritus dei non ingreditur: proinde coinquinatam prius expiari oportuit. Hic igitur considerandum nobis mysterium Christi, per quem omnia expiata & restituta creduntur. Christus ergo moritur, ut peccata mundi expiaret. Resurgit, ut certam nobis spem & immortalitatis, & quòd peccatum & mortem uicisset, faceret. Deinde cælos ascendit, ut omnium se probaret dominum. Inde uero spiritum sanctum super omnem carnem mittit, nimirum ut iam per hunc restitueremur innocentia ac felicitati pristina, reparareturq; illa in nobis dei imago, atq; ita æternæ uitæ essemus participes. Hæc ad hunc modum iam olim tradidit & Paulus, maxime in 4. ad Ephes. & 3. ad Col. cap. Hic uero nolo quisquam cogitet Veteris testamenti sanctos patres ac prophetas ab hac salute exclusos esse. Nam & ipse Petrus testatur in ipsis habitasse spiritum Christi. Proinde loquimur hæc secundū temporis dispositionem. Finge enim patrem esse qui duos habeat filios, quorum senior moriatur superstitite adhuc patre, qui demum & ipse moriens omnem substantiam iuniori hæreditate relinquat. Nam in mortuis duntaxat ratum est testamentum. Iam uero quis tam stupidus, qui credat seniore, eo quòd parentis mortem non uiderit, iunior autem paternis substantijs iam liberalius perfruatur, uel non fuisse hæredem uel filium? Sane licet morte interceptus sit, & temporum iniuria parentis mortem non luxerit, nihilominus & filius & hæres erat, & parentis facultatibus olim uiuebat. Ita nos quoq; unius patris sumus filij. Veteres quidem fratres nostri excesserunt priusquam moreretur dominus, nihilominus donis benigni patris, ut ueri hæredes æternæ uitæ, abundanter potiti sunt. Nos uero qui à domini nostri morte sumus, nunc quidem bonis cœlestibus abundantius perfruimur. Nam perfecta morte testatoris, testamentum iam ualeat. Valebat sane & antea, sed nunc ipsa bona dispensantur, sicut dispensanda fuerat ordinata. Posterior huius doni causæ hæc est. Impleta erant tempora, proinde omnes gentes uocandæ in consortium salutis. Hic ergo oportebat ad hoc negotium institui apostolos uarijs donis, ne noua doctrina protinus reiiceretur: & proinde nõ ita accipi debet hoc negotiū, quòd nunc primū dona fidei, spei & charitatis orbi donata sint, sed quòd aucta, quòd apostolis domini futuris ad omnes gentes nuncijs collata sic linguarum & rerum per-

De spiritu sancto.

An ueteres spiritum sanctum habuerint.

tia, fortitudo, magnanimitas, agendi ardor & felicitas, item facultas designandi miracula. Id quod effuso spiritu sancto factum est. Huc enim pertinent precipue promissiones Christi de sancto spiritu. Hæc in transcurso, iam redimus ad historiam. Duo notat iuxta morem historicum, quo tempore, quove in loco missus fuerit spiritus sanctus. Porro tempus multa in se habet mysteria. Equidem non numeramus cum Iudæis ab immolato agno, sed à resurrectione dominica dies quinquaginta. Iudæi autem primitias frugum hac offerebant domino. Nam ipsa in messem incidebat. Ergo apud nos quoque cum messis esset multa, operarii autem pauci, emisit dominus spiritum suum ut hoc instructi discipuli fructum colligerent ex omnibus gentibus, eumque offerrent domino. Quinquagesima item die egressionis filiorum Israël ex Aegypto, data est lex domini, auctore Hieronymo ad Fabiolam de Mansio. po. Dei, Mans. 11. Eadem ergo die oportuit conferri spiritum sanctum, diuinæ legis & expositorem & effectorem 2. Corinth. 3. Huc iam facit & locus ipse. Nam ut lex in monte Sinai lata, sic spiritus in monte Zion est domino missus. Sic enim futurum prædixerant prophete, ut lex esset profectura de Zion, & uerbum domini de Ierusalem. Cæterum in monte Sinai audiebatur tarantare cantus, tonitruus fragor, cernebantur fulminum flammæ terrificæ, & quicquid humanas potuit concutere mentes: quæ quidem omnia potentiam dei significabant & uindictam (alij ad legis terrorem nescio quem referunt) illis nimirum paratam, qui legem dei contemnerent. Itaque oportebat & hic quædam apparere spectra, sed quæ illis forent minus terrificæ. Audimus equidem sonitum tanquam impetu uenientis flatus uehementis, sed eo significatur doctrinam sancti spiritus mira felicitate & successu incredibili per uniuersum orbem fore propagandam, neque quenquam tam fore potentem qui eius impetu resistere possit. Sic enim uidemus uentum mira celeritate & nemine obistente, totum perflare orbem. Apparent & igneæ linguæ, linguarum & eruditionis gratiam, auctoritatem & feruorem doctrinæ ecclesiasticæ notantes, ut nunc Apostolicis uiris quadrantius conueniat, quod alij tribuerunt Pericli, non uerba illos modo sed fulgura tonitruaque sonare. Est & illud maxime obseruandum, quod scribit, Erant omnes unanimiter in eodem loco. Vbi enim pectus rixis ira & inuidia liuidum est, ibi nullus spiritui sancto locus residuus est. Siquidem unitatis & concordie auctor, unitatem non quamuis nec uulgarem, sed diuinam arctissimamque requirit. Raro autem deus mysteria sua absque signis & inuolucris proponit. Id enim poscit & maiestas eius & nostra imbecillitas. Maxima enim mysteria septentissimi quique symbolis & inuolucris contexta orbi proposuerunt. Deus ergo ipse ipsissima sapientia, sua quidem sub signis proponit, sed ita ut sese rebus nostris maxime accommodet. Humanis enim diuina uestit. Non quod deus humanis rebus sit circumscriptibilis, sed quod diuina per humana exposita nobis sint magis intelligibilia. Quis enim sanæ mentis dixerit spiritum sanctum columbam, uel uentum, uel linguam, uel ignem esse? Nihil enim in deo sensibile: attamen notiora fiunt nobis illa inuisibilia, si exponantur & suffiguntur per hæc uisibilia, nec quælibet, sed quæ naturam rerum exponendarum quam propriissime (quantum quidem humana referre possunt diuina) exprimant. Et sanè sono & linguis ignitis duos uoluit deus nobilissimos perstringere sensus, auditum atque uisum. Sonus enim aures ferit. Ignis uero uisum afficit. Ita olim in cœna mystica, sensus rebus uisibilibus percellere uoluit, pane uidelicet & uino. Hæc autem non sunt caro & sanguis Christi naturalis, sed magis sacramentalis. Referunt autem nobis uerum corpus pro nobis in cruce fractum, & sanguinem uerum pro nobis effusum. Itaque uoluit hic quoque dominus signis quibusdam capere sensus nostros & uirtutem sancti spiritus indicare. Nam sicut uentus totam terram perflat, abdita quæque penetrat, complexionemque homini mutat, ita spiritus domini omnia implet, profundissima scrutatur & mentes hominum mutat. Ignis quoque purus est, limpidus, simplex, quædam corpora clarificat, quædam prorsus absumit: ita & spiritus sanctus. Nec caret mysterio quod in linguarum comparet specie. Nam in Euangelio Marci promiserat dominus apostolos breui nouis loquuturos linguis. Hæc promissionem dato sancto spiritu præstat. Et lingua quidem ut nihil peius, sic melius nihil.

nihil. Atq; hæc quidem non erant carneæ, sed igneæ: quo notatam credimus simplicitatem & puritatem doctrinæ apostolicæ, agendi quoq; ardorem. Habebant & gentium Philosophi linguas, sed mendaces, uasras, adulatorices, impuras & frigidissimas, soli apostolici uiri igneas habent. Hæc deniq; fuerunt dissectæ propter donorum diuersitatem. Sed & hæc ipsa signorum expositio mox in ipsis historici uerbis sequitur, Cœperuntq; loqui alijs linguis, prout spiritus dabat eloqui illis. Præterea indicat hic locus quæ necessaria sit apostolicis uiris linguarū cognitio. Non potuerunt apostoli terrarū esse doctores, nisi linguas prius didicissent. Hinc etiā Aur. Augustinus excellentissimus ecclesiæ doctor, lib. de Doct. Chri. 2. cap. 11. ac 12. multis demonstrat linguas, Hebræā in primis & Græcā, quibus utraq; testamēta exarata sunt, cū primis esse necessarias: imò eo loci ostēdit uarias sacrarum literarū interpretationes uersionesq; in alienas linguas opido esse utiles, easq; sensum magis adiuuare quàm impedire. Nostri uero qui neq; linguarū studiosi sunt, neq; classicorum scriptorum quicquam degustarunt, mox atq; diuersam in uerbis magis quàm sensu Bibliorum interpretationem uiderint, fidelissimos protinus interpretes prodicionis & hæreseos insimulant, imò & linguarū studium ceu prophanium exhibant, sophisticas autē nenas omnibus commendant: cum interim idem ille August. eodem de Doct. Chri. lib. 31. non humanitatis studia, aut linguas in sacris doceat uitandas, sed sophisticas argutias.

Erant autem Hierosolymis habitantes Iudæi, uiri religiosi ex omni natione earum, quæ sub cœlo sunt. Is rumor cum increbuisse, conuenit multitudo, & confusa est quòd audiret unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter sese: Nōne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audimus eos sua quisque lingua in qua nati sumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & habitatores Mesopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Ponti & Asiæ, Phrygiæ & Pamphiliæ, Aegypti & partium Libyæ, eius quæ est finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & proselyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica dei.

Sunt qui uiros istos putent ob festi celebritatem conuenisse. Quid si credamus Hierosolymis celeberrimā fuisse scholam, in qua lex diuina cū ciuibus Hierosolymitanis tum exteris etiā Iudæis sit publica lectione tradita. Varijs enim calamitatibus factū, ut gens Iudaica in omnē penē terrarū orbem dissecta, Hierosolymā tamen regni & spei suæ metropolim rediret, sed & suos legis cognoscendæ discendæue gratia mitteret: quæ admodum olim ueteres gentilium suos Athenas, nos nostros uel Lutetiam uel Agrippinam Coloniam literarū discendarū gratia mittebamus. Opinionem hanc iuuāt quæ clarius traduntur in huius operis cap. 6. de Libertinorū & Exterorū collegio: itē apud Ioan. in 1. & Matth. cap. 15. Vterq; enim ita scribit de Phariseorū (quos miserat Hierosolyma) moribus, quasi de nostris hæreticæ prauitatis scripisset inquisitoribus. Quin & Paulus apostolus Tarso Cilitiæ oriundus, ciuis Romanus, Hierosolymis ad pedes Gamalielis operā impendit literis sacris. Neq; uero hoc nouū cuiquam uideatur. Nulla enim gens unquam tam fuit infelix, ut religionis suæ & tuendæ, & propagandæ gratia non egregia instituerit ac aluerit collegia. Cum olim ipse deus Israelis institueret Rempub. primas Leuitico dedit collegio. Hoc enim religioni & doctrinæ consecratur. Apud Danielem legimus Babyloniorum regem suos habuisse Chaldæos, in quorum numero erat & Daniel. Porro apud Mosen legimus Aegyptiorum regem suos quoque coluisse Magos. Romani pontificum & augurum habuere collegia. Non ergo mirum est, si gens Iudaica suos quoq; habuerit legum consultos ac scribas, id est in sacris eruditos, qui in rebus dubijs certa dederint responsa. Hoc enim & Herodis tempore legi-

mus facitatum. Nam dum hic rogasset quonam loci nasciturus esset Messias? Scribæ ex prophetarum oraculis locum designarunt Bethleem. Proinde quod Romanis erant Aruspices qui ex libris respondebant Sibyllinis: id Iudæis Scribæ erant, qui respondebant ex libris prophetarum. Quod si plura huius generis annotare licet, iam sæcula nostra comprobarunt quanta sit uis collegiorum talium. Videmus enim quò monachorum colluuius & uniuersitatum scholæ Romanā religionem prouexerint. Oportet igitur & nos si saluam uolumus religionem Christianam, studia linguarum, sacrarum & humanarum literarum disciplinas excolere, iuuare, prouehere. Nam licet spiritus promissus sit, qui omnia doceat, attamen strenue laborantibus promissus est. Si enim sapientiam (inquit Solomon) ut aurum quæsieris, inuenies. Cui uero pileum hætenus imber compluit aureus? Labore, studio, & indefatigata diligentia paratur aurum. Proinde & sapientia cœlestis non otia, sed laborando paratur. Habet præterea dominus media quædam, quibus in cœtu suorum omnia ordine agit. Cæterum hoc loco confertur apostolorum choro schola Hierosolymitana, ita tamen ut humanis diuina longe præstet, adeoq; hæc nihil prorsus ad illum habeat. Hinc toties ingeminatur doctos Hierosolymitanæ academix prorsus obstupuisse. Cogitur enim omnis humana sapientia ad diuinam obstupescere, quod in speciem tam minutum synapi granum tantas de se exerit uires. Ad amplificationem huius pertinet quod mira uerborum exaggeratione tot linguæ, gentes, ac populi nominatim perstringuntur. In quo hoc tantum annotandum uidebatur quod Hebræi (authore Erasmo) Profelytos, hoc est פרוֹפֵלְיֹטוֹס eos dixere qui diuersæ factionis nati in ius Mosaicæ legis recepti essent. Hic quoq; disputatū est de linguarum miraculo, an singuli singulariter ac distincte cuiusuis gentis linguam sint loquuti: an uero sua utentes natia, quæq; gens suam intellexerit? Et posterius hoc tanq̄ probabilius factum esse, uideo placuisse plurimis, nempe quod apostoli hoc loco non Latine, Græce, uel Arabice loquuti sint, sed Iudaice, hic uero quamuis gentem in hac suam propriam intellexisse. Postea uero factum, ut in alias atq; alias regiones commigrantes, ijs usi sint linguis, quibus eius regionis homines utebantur. Arabibus ergo Arabice loquutos, Græcis Græce, &c.

Stupebant autem omnes, ac mirabantur inter se, dicentes: Quidnam uult hoc esse? Alij aut irridētes, dicebāt: Musto expleti sunt isti.

Typus est rerum futurarum, semper fore in ecclesia uiros, qui simplici mente non intellecta quærant, illis autem se manifestaturum dominum. Rursus alios futuros, qui omnia diuina contempnant, ac cōuictis incessant. Id enim illi hic quoq; faciunt, qui apostolos ebrietatis & insanix infimulant, Similia multa habes in euangelio Ioannis cap. 6. 7. 8. 10. 11. &c.

Stans aut Petrus cum undecim, extulit uocem suā, ac loquutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Hierosolymis uniuersi, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea: Non enim sicut uos existimatis, hi ebrj sunt, quum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per prophetā Iohel: Et erit in nouissimis diebus, dicit deus, effundam de spiritu meo super omnē carnem. Et prophetabūt filij uestri, & filix uestræ, iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. Et quidē super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundā de spiritu meo, & prophetabūt, & dabo prodigia in cœlo superne, & signa in terra inferne, sanguinem, & ignem, & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinē, antequam ueniat dies ille domini magnus atq; illustris. Et futurum est, ut omnis quicumq; inuocauerit nomen domini, seruetur.

Bonus gregis pastor constanti animo prodir, occasionem ex tumultu capiens prædicandi

dicandi Christi, & expurgandi se suosque de calumnia, rursus exponendi per propheti-
cum oraculum, factum illud de quo illi mirabantur. Adiungit autem Lucas Petro un-
decim, ne quis principatum cogitaret, aliosque Petro inferiores crederet. Cæterum pri-
ma orationis pars agnoscit genus Iudiciale. Nam apologetica est. Posterior didactica *Oratio Petri.*
siue demonstratiua est. Nam expositione docet Iesum esse Christum, iam & breui, sed
commodo utitur exordiolo. Argumentatur item à tempore. Tertia diei est, ergo ebrii
non sunt. Quæ argumentatio non ualeret, si illi horas more nostro digessissent. Baby-
lonios enim imitati Iudæi, horas unà cum oriente sole auspicabatur, adeo ut nunc ter-
tia apud illos nobis uel ad nonam, uel octauam incidat. Cuius quidem rei aperta extat
signa apud Matthæum in 20. cap. Plura apud Gellium & Macrobius de diuisione diei.
Inde autem liquet Christum dominum hora diei nostræ duodecima in crucem suspen-
sum, expirasse tertia. Nam ut sexta illorum nobis duodecima est, sic nona, tertia est. Ergo
qui ebrii sunt, ad uesperam ebrii sunt. Nondum autem erat uesper, ergo ualebat argu-
mentatio. Locum autem produxit ex 2. Ioëlis cap. Quo nos primum discimus aposto-
los etsi donati iam essent spiritu sancto, non fuisse præfractos aut temerarios: sed faciles
& graues, qui omnia sua probabant scripturis. Sic enim rebus gestis aptabant ueterem
scripturam: ut in Mathematicis solet demonstrationi oculari uel practicæ aptari theo-
rica & agendorum regula. Imò libere ausim uetus testamentum uocare theoricā, quod
typum & prophetarum oracula attinet, nouum praticam. In hoc enim re ipsa completur,
quod spiritu & typo ibi præfigurabatur. Quod ergo Ioël futurum prædixerat, id hic
fit. Vtus est autem effundendi uerbo ad significandam muneris largitatem. At prophe-
tare non modo significat res diuinas denunciare & exponere, sed diuinas quoque res a-
gnosceret. Ita hæc uox apud Ieremiam quoque usurpata, dum ipse futurum prædiceret, ut
cognitio dei prorsus esset uulgaris futura. Hic uero Ioëlis locus potissimum accommo-
datus est rebus præsentibus, testimonium præbens rei præsentis, quod multi nunc pro-
phetarent. Et notanter dixit, Effundam de spiritu: & non, Effundam spiritum. Neque
enim diuina à nobis substantia potest circumscriptiue comprehendi, sed conferuntur
dona tantum spiritus sancti secundum mensuram. De quibus 1. Cor. 12. Deinde suffi-
ciente diuisione notat cognitionis plenitudinem, & quod nullum genus hominum ab
hoc munere exemptum sit, quo minus accipiat. Huc enim pertinent uisiones, prophe-
tia, & somnia, iuuenes quoque, senes, filii & filiarum. Deus enim olim sese reuelauit uel so-
mnijs, uel uisionibus. Significauit ergo plenissimam reuelationem uoluntatis dei. De-
inde Equidem super seruos, &c. per repetitionem siue Anadiplosin Hebraicam idem
repetit, quod antea dixit, quo certiora essent omnia: quasi dicat, Et sanè certissime ista
præstabo. Iam ad expositionem superiorum pertinet & hoc quod dixit, Super seruos.
Non enim quibusuis, sed seruis dei confertur spiritus. Porro sequentia, Et dabo prodi-
gia) sunt qui referant ad tempora Christi, propterea quod in morte eius sol obscura-
tus, & in cruce sanguis eius effusus sit. Sunt alij qui Crasin hic fieri dicant primi & po-
sterioris aduentus, ad posteriorem uero spectare prodigia. Ego uero crediderim omnia
prophetæ simplicissima esse. Prophetauit enim de Assyriorum irruptione in Iudæam,
de uictorijs Senacherib & crudelitate eius in populum exercenda, increpauit Iudæo-
rum peccata, sed & liberationem ab hoste & eius interitum prædixit, consolans reliquias.
Ibi uero occasionem accepit uaticinandi de regno Christi, & missione spiritus sancti.
Hoc absoluto redit ad pœnam, ac dicit, Cæterum priusquam hæc diuina & augusta ueniât,
oportebit uos purgari & excindi igne & gladio: quæ per amplificationem effert: ut Isaias
quoque in 13. cap. Babylonij excidium. Iam uero Petrus posteaquam eò per occasionem
delatus esset, ut prophetæ uerba de spiritu sancto adduceret, neque illud ommittere uoluit,
quod de pœna quoque impiorum adiunctum fuit, ueluti ex obliquo significans, excidium
æquale illis quoque futurum, si pergant impietate maiores suos sequi. Adiungit & illam
Christianæ religionis sententiam primariam, Omnis qui intocauerit nomen domini
saluus erit. Hinc uero occasionem accipit differendi de religione Christiana. Nam in-
uocandi uerbo totum pietatis negotium complexus est.

Viri Israëlitaë, audite uerba hæc: Iesum Nazarenum uirum exhibitum à deo erga uos uirtutibus & prodigijs, & signis, quæ fecit per illū deus in medio uestri, sicut & ipsi scitis, hunc definito cōsilio & præscientia dei traditum, quum accepisset per manus iniquorū, crucifixum interemistis, quem deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea. Dauid enim dicit de eo: Prouidebam dominum coram me semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meā in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionē. Notas mihi fecisti uias uitæ, replebis me iucunditate cum facie tua.

*Predicatio
Christi apo-
stolica.*

Transitionis formula est: nunc enim pergit docere quomodo nomen domini inuocari possit, nimirum uera in Christū fide, quem probat uerum esse Messiam dei filium, idēq; resurrectionis, ascensionis & regni potissimum argumento. Docet autem expositione argumentosa, ita contexens Christi historiam, ut nihilominus scripturarum robore contradicentes conuincat, & peccatum Iudæis ob oculos reuocet. Nam Euangelium scelera quoq; accusat. Summa uero expositionis hæc est, Deus exhibuit nobis filium, hūc crucifixistis, sed deus excitauit eum, & dedit ei nomen, quod est supra omne nomen. Tandem uero huius expositionis fructum subiungit, cum rogantibus consilium, respondet, Resipiscite, &c. Virum uocat dominum per Catachresim, uel propter humanam naturā, uel ex more Hebraico, quibus *אדם* hominem significat. Quod autem à deo sit orbi datus, expositionis est. Ad probationem pertinet quod subdit, Prodigia & signa. Nam ista probant Iesum esse à deo, sicut patet Ioan. 3. 5. 10. cap. Non enim humana uirtute, sed diuina sunt patrata. Id quod iterum subiecit, Quæ fecit per eum deus, id est, ipsa diuina uirtus, Rursus ne quis offenderetur cruce & prodicione eius, ea quidem diuino tribuit consilio. Oportuit enim diuinæ satisfieri iustitiæ. Deniq; ne impietas excusationem inueniret, & obijceret, Si hæc consilio dei gesta sunt, ergo proditor Iudas & parricidæ Iudæi, consilio dei obsequuti, nihil peccarunt, protinus impios uocat & malitiam omnium istorū accusat, qui uel suffragio uel ulla alia re in culpa fuerant quod Iesus esset cruce suffixus. Hinc uero per resurrectionem quoq; crucis aufert scandalum, & sic probans Iesum esse Christum, Resurrectione enim uel in primis probatur Christi diuinitas. Quemadmodum uidere est ad Rom. 7. & Ioan. 20. Crediderim ergo deum hic iterum pro diuina usurpari natura. Porro dolores mortis scriptura, auctore Ioanne Chrysoft. uocat pericula mortis. Hoc ipsum ergo uidetur hic dixisse Petrus quod in Romanis Paulus, Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur, mors illi amplius non dominatur. Impossibile enim erat, ut filius dei computresceret, qui primogenitus ex resurrectione esse debebat. Id quia dubium apud istos erat mox loco prophetæ confirmat, qui est in Psal. 15. In hunc si plura pararem actum agerem, Ipse enim Petrus testimonium, quantum quidem rei præsentis satis est, adaptat.

Viri fratres, quandoquidem licet libere dicere apud uos de patriarcha Dauid, quod & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrū eius est apud nos usq; in hodiernū diem. Propheta igitur quum esset, & sciret quod iureiurādo iurasset sibi deus, futurum ut de fructu lumbi ipsius, quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius, præsciens loquutus est de resurrectione Christi, quod non derelicta sit in inferno anima eius, neq; caro eius uiderit corruptionem. Hunc Iesum suscitauit deus, cuius omnes nos sumus testes.

Principio

Principio utitur præmollitione siue exordiolo, auditorum à se indignationem auer-
 tens, & opinionem falsam eximens qua hæc tantum de Dauide exponebant. Dicit er-
 go: Hæc uero de Dauide non tantum sunt intelligenda, sed magis de Christo qui secun-
 dum carnem filius Dauidis erat. Probatio. Equidem Dauid mortuus est, & sepulchrū
 eius apud nos est, quo fit ut proprie hæc illi non possint competere. Quia uero spiritu
 futura præsciuit, & filij sui regnum perpetuum fore uidit, magna confidentia hæc de
 resurrectione Christi uaticinatus est, cuius regnum non potuisset dici perpetuū si ipse
 rex morte esset absumptus. Recte itaq; Non delegata est ad infernum anima eius, neq;
 corpus eius computruit. Vnde nos conijcimus, ueteres non minus agnouisse mortem
 resurrectionem & regnum Christi quàm nos. Porro ut nonnihil de descensu Christi *De descensu*
 ad inferos dicam, uideo negotium multis tam fuisse arduum, ut parum eius sint asse- *Christi ad inferos,*
 quiti. D. August. de præsentia dei ad Darda. cap. 2. hunc locum Petri citans, censet ani-
 mam Christi reuera descendisse ad inferos, sed nihil passam esse. Sunt qui apud infe-
 ros animam Christi nonnihil passam esse imprudenter satis asseuerent. Quia enim (in-
 quiunt) peccatum originale non modo corpus occidit, sed & animarum quoque cru-
 ciatum induxit, oportuit quidem corpus Christi mori, sed & animam eius nonnihil cru-
 ciari, ut totum uiuificaret hominem. At non uiderunt miseri, sublata causa morbi, sub-
 latum esse & morbum, & proinde cruciatum quoque morbi. Peccatum causa est pœ-
 næ mortis ac damnationis. Hoc sublato necessariam est & mortem, & cruciatum pœ-
 næ esse sublatum. Atqui peccatum morte Christi expiatum est, nihil ergo erat à morte
 dominica, cuius gratia pateretur anima Christi. Errarunt ergo foedissime qui Christi
 animam arbitraueri nonnihil esse passam. Quasi uero sanguine suo non omnia expia-
 rit peccata. Nam si aliquid passa est, propter peccatum passa est, ergo nondum expia-
 rat peccatum & proinde inefficax fuerat hostia Christi salutaris. Id qui dicit indignis-
 sime blasphematur meritum passionis domini. Videtur autem longe facilius & certius
 superesse ratio, qua ex hac difficultate elucemur, nempe, si scripturarum more per infe-
 ros intelligamus mortem ac sepulturam. Sic enim legimus Genesis 44. scriptum, Mori
 etur pater noster & deducunt famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. Canos au-
 tem dixit senile corpus, at inferos sepulturam. Imò si probe expendamus hunc ipsum
 Dauidis locum quem Petrus citauit, uidebimus posteriorem particulam, Nec fines ut
 sanctus tuus uideat corruptionem, adiectam esse per exegetisim. Hac enim exponere uo-
 luit quid intellexerit per hanc loquutionem, Non derelinques animam meam in infer-
 no, id enim pollere, quasi quis dicat: Non permittes ut corpore extincto sepultoq; si-
 mul & uita interierit, cum & ipsa caro resurgere debeat. Nam & *הַאֵלֶּיךָ* non tantum si-
 gnificat tartarum, supplicij locū, sed & sepulchrum ac foueam. Germanus diceret: *du*
wirft mir seel nit lassen inn der grüben gestäcken. Ad hanc sententiam facit et illud quod Cypri-
 anus testatur hæc uerba Descendit ad inferna, non haberi in symbolo Romano, ac ne
 ab Orientis quidem ecclesijs addi. Vnde apparet ab ijs tandem adiectam esse particulā,
 qui aduersus Valentinianorū hæresim expresse corporis ueram mortem exprimere uo-
 luerunt. Cumq; non satis clarum uideretur, Mortuus & sepultus est, protinus ad eui-
 dentiorem rei expositionem adiecerunt, Descendit ad inferna: hoc est, reuera mortuus
 & sepultus est, atque ita etiam sepultus ut solent, de quibus dicimus, Descenderunt ad *Ezech. 20,*
 inferos, id est, mortui sunt. Et hæc quidem altera ratio est, qua hic nodus dissolui po-
 test. Superest & altera, ut per inferos intelligamus mortuos, sicuti per superos intelli-
 gimus uiuos. Deinde uero enallagen capiamus in uerbo descendendi, ita ut quod de per-
 sona Christi uidetur dici, de ipsa re, hoc est, redemptionis ui intelligamus, nempe mor-
 tuis quoque profuisse meritum mortis Christi. Nam hoc est descendere Christum ad
 inferos. Sic etiam indies ad nos descendit Christus, in uirtute utique non in persona.
 Et quoties obsecro personam Christi pro ipsa ponimus redemptione, iustitia & uita?
 Hæc descendit (loquimur autem per Ethologiam) ad defunctos patres sanctos. Et hanc
 sententiā fulciunt duo in priori Epistola Petri testimonia. Prius est, Christus in spiritu
 abiit, & spiritibus qui erant in carcere prædicauit. En habes Christū abisse in spiritu.

Quis uero Christi spiritus nisi uis, uita & euidentia meriti Christi? Sed abiit (dicitis) quod personæ est. Atqui hæc per Ethiologiam dicta esse probamus ex posteriori testimonio quod extat in 4. cap. sic, Nam in hoc mortuis quoq; (ἐν νεκροῖς) prædicatū est Euangelium. Ecce quod in 3. cap. spiritum dixerat, hic Euangelium uocat, & quod superius extulerat, In quo abiit & prædicauit, hic planius effert, Mortuis nunciatum siue prædicatum est Euangelium, id est, uis redemptionis Christi mortuis patribus sanctis profuit. Ita non necesse erit inquirere, An anima Christi (quæ tamen in manibus erat patris) ad resurrectionis usq; punctum inferos, limbum, siue tartarū descenderit? quid ibi fecerit? an quicquā ibi passa sit? Superuacaneæ enim quæstiones sunt. Illa uero quæ nos proposuimus, pio Lectori expendenda proposuimus. In his tamen & similibus ut nihil temere asserimus, ita prorsus nihil contendere uolumus, & iam ad historiam nostram redimus. Hunc Iesum (inquit) suscitauit deus: quæ sane clausula huius disputationis illatio est. Hanc denuo firmat testium copia, dicens, Cuius nos omnes sumus testes. Nam in 10. refert se unā cum apostolis cæteris à resurrectione comedisse cum dño.

Dextera igitur dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre effudit hoc, quod nunc uos uidetis & auditis.

De regno Christi.

A resurrectione trāsit ad ascensionem & regnum Christi sempiternum. Nam hisce iterum ostendit Iesum esse Christum, isdemq; eluit scandalum crucis. Dicens autem, Dextera igitur dei exaltatus, ad superius respexit testimonium Psalmi, Quoniam à dextris est mihi ne cōmouear. Et Dextera absolute posita est, ut siue ad dexteram siue per dexteram intelligamus exaltatum. Si per dexteram intellexerimus, iam Dextera uirtus & robur dei est. Sin ad dexterā, iam Dextera sedes est beatitudinis. Sic enim scribit Aurelius Augustinus de Agone Christi, cap. 25. Dextera patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis datur. Sicut sinistra eius rectissime dicitur perpetua miseria, quæ impijs datur. Ut iam non in ipso deo, sed in creaturis hoc modo quo diximus intelligatur dextera et sinistra. Quia corpus Christi, hoc est ecclesia, in ipsa dextera, hoc est in ipsa beatitudine futurum est, sicut dicit Apostolus, Et simul nos sedere fecit in cœlestibus. Hæc Augustinus. Nemo autem offendatur quod audit Christum à patre accepisse promissum. Accipit enim ut homo secundum dispensationem. Deinde uero spiritum sanctum mittit sicut deus & homo. Procedit ergo spiritus à patre & filio. Et effusum donum sancti spiritus palam testatur Iesum esse uerum dominum. Pulchrum autē est illud quod in orationis fine ad spiritus sancti missionem redit, à qua orationem cœperat. Priusquam tamen clauderet, hoc addendum erat.

Dextera dei.

Non enim Dauid ascendit in celos, sed dicit ipse: Dixit dominus domino meo, sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Non absolute dicit prophetam Dauid cœlis exclusum prorsus esse damnatum, sed ne quis locum Psal. 15. uel nō satis firmum crederet, uel de Dauide dictum intelligeret, præuenit, & ostendit locum Dauidi non proprie competere. Id autem facit subiecto diuocatore loco ex Psal. 109. quem & ipse Christus citauit apud Mattheum in 22. In eo dominus primo loco pater est, secundo filius, quem Dauid uocat dominū suum propter assumptam ex lumbis suis carnem. Pater ergo deus, domino Iesu Christo nato ex semine Dauid, dicit, Sede à dextris meis. Non igitur de Dauide hæc quoq; Psal. 15. sed de domino Iesu Christo intelligenda sunt, qui assequutus sedē patris sui Dauid in æternum regnabit super domum Iuda.

Certo sciat ergo tota domus Israël, quod dominum & Christum fecerit deus, hunc Iesum, quem uos crucifixistis.

Tandem uela colligit & infert rei Christianæ summam, Christū Iesum crucifixum uerum esse dñm & mundi redemptorē, quod & ipse deus fecerit, hoc est, declarauerit, quod Christus sit dominus & saluator.

Hinc

Hinc uero conijce Christiane Lector, quales fuerint sanctorū apostolorū prædicationes, nō utiq; de reliquijs & cultu sanctorū, de reseruatis & satisfactionibus, de uotis, de monachatu, de primatu Petri, idolis ac missis: sed de peccato, iustitia, & uita per Christum restituta, in quo omnis salus sit & plenitudo. Protinus autem sequetur & institutio de uitæ innocentia.

His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerūt ad Petrum ac reliquos apostolos: Quid faciemus uiri fratres?

Verbum dñi penetrantius est quouis ancipiti gladio, *Das gieng inen durch ir hertz.* Nam scelerū & prodicionis sibi consci, maximi eos pudebat flagiti. Verū salutare est ad ueritatem cōpungi: exitiale uero indurescere. Vera pœnitentia enascitur ex cognita ueritate per spiritū sanctum, qui & spem inicit pectoribus, & omnem desperationem excludit. Hinc hoc loco interrogant, Quid faciemus? Cain contrā aiebat, Peccatum meum maius est, quàm quòd ueniam consequatur.

Petrus ait ad illos: Delictorū pœnitentiā agite, & baptizetur unusquisq; uestrū in nomine Iesu Christi, in remissionē peccatorū, & accipietis donū spiritus sancti. Vobis enim facta est repromissio, & filijs uestris, & oibus qui lōge sunt quoscūq; aduocauerit dñs deus noster.

Consilium ex scripturis capiunt, & fructū prædicati cognitiq; Christi indicāt. Non aut iubent pecunias extorqueant, indulgentias redimant, Romā & Compostellam petant, cucullā induant, cæreos offerant, aras extruant, idola consecrent, hostias cædant, uota & supplicationes suscipiant: sed uno uerbo rem amplissimā suadentes, dicūt: Resipiscite, hoc est, mentē & mores immutate: odite scelera: iustitiā diligite: credite filio dei: deserite studia uiarū uestrarū, ac benefacere discite. Augusta enim poscit deus, nos stultula quædā perpetuo obrudimus. De qua re multis apud Ieremiā dñs in 7. 11. 15. Ihas quoq; in 1. Quò mihi (inquit) multitudo uictimarum uestrarū? Quin potius iudicatis pupillo & uiduæ, &c. Niniue reuera resipiscebat & salua permansit. Ierusalem sub Zedechia uarijs incūbebat ceremonijs, reuera non resipuit, ergo funditus periit. *Vor Gott bilfft kein güglen noch verkleyben, man muß rächt fromm sin.* Baptismo aut recipimur in ecclesiā dei, & Christo dedicamur. Præcepit ergo illis ut baptizarentur, hoc est, suasi ut in ecclesiam Christi transeant, alias religiones deserant, imò sese Christo consecrent seruatori, in eo enim esse peccatorū remissionem. Non enim elemento aquæ siue signo tribuitur peccatorū remissio, sed gratiæ dei & toti mysterio sacramenti, id est fidei in Christum. Frequentissimū tamen est ut signis tribuatur, quod signati reuera est. Et cum de baptismo loquimur, nō de pura modo aqua, sed toto dei instituto loquimur. Vnde recte appellatur Lauacrū regenerationis, aqua mundificans, & peccata nostra abluens. Sacramenta enim inuisibilis gratiæ uisibilia signa sunt. De qua re aliàs satis disputatū est, & in s. cap. quædam dicentur. Accipere autem donum sancti spiritus, non ita debet intelligi quasi illi citra spiritus sancti operam solliciti de salute & corde fuerint compuncti, sed augmentum fidei notauit, quod gradibus quibusdam increfcit. Addit præterea stimulos, quibus ad iustitiam sectandam incitet, Vobis (inquit) promisit deus spiritū suum, & gratiam suam: nec uobis tantum, sed & filijs uestris pollicitatione sempiterna. Ne ergo indignos uos rebus tam grandibus feceritis. Sunt tamen qui hæc uerba, Omnibus qui longe sunt: de gentium uocatione exposuerint. Cæterum non est uerisimile quod Petrus, qui 10. demū capite didicit, hoc Testamentum non minus ad Gentes q̄ Iudæos pertinere: hæc de Gentium dixerit uocatione. Addit præterea, Quoscunq; aduocauerit dominus, ne electio dei negaretur, & Iudaico, hoc est, carnali semini, omnis tribuere tur gloria. Hæc autē de Consilio habuimus apostolico, quo didicimus quid agere conueniat peccatoribus, & quod longe aliam rationem in præscribendo pœnitentiæ modo apostoli sequuti sint, quàm hodie solet Pontifex Romanus ille, nō Simonis Petri, sed Simonis Magi uicarius.

Pœnitentia.

Baptismus.

Non expectata
satisfactione ab
soluit.

Alijsq; uerbis plurimis testificatus est, & exhortatus est eos, dicēs:
Seruemini à generatione ista praua.

Admonitio.

Summa rerum capita & quantum satis erat pijs mentibus annotarunt historici facti, non singula uerba, sed rerum duntaxat substantiam. Porro institutioni, cōsilio, hortationiq; iungit admonitionē, quæ tam necessaria est, q̄ semel parta tueri. Nam & Christus apud Matthæum post institutionem copiosissimā, quam per 5. c. & initia 7. cap. tradiderat, tandem iubet suos sibi à falsis cauere prophetis. Ideo & Petrus ad exemplū præceptoris hortatur candidatos religionis Christianæ, à praua sibi caueant generatione, *Vor der bösen verkerten zucht. σκολιός* enim malignus est, uersipellis, importunus ac tortuosus. Hoc uero nomine dignatur blatterones istos Iudæos, quos Paulus alibi uocat canes, inimicos crucis Christi, mēdaces, malas bestias ac uentres pigros. Illos ipsos Ioannes Baptista & Christus genimina uiperarum uocarunt. Prophetæ quoq; uarijs dicte rijs notarunt. Cauendū ergo prorsus consortium malū. Parum certe fermenti totā cor rumpit massam. Et qui claudo cohabitatur (ut prouerbio fertur) & ipse subclaudicare discit. Hic dominus prohibuit ne sui cum impijs ullum ferirent fœdus. Quod cum Solomon negligeret, tametsi mortalium sapientissimus esset, interijt. Caueamus itaq; ne nimia cum impijs & uerbi dei hostibus familiaritate inita, uelut contagio infecti, aut imbecilles aut prorsus morbidi concidamus.

Qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, baptizati sunt, & accesserunt in die illo animæ circiter ter mille.

Siquidē hilarem (ut ait Apostolus) datorē requirit deus. Nec tamen tollitur hoc loco disciplina & correctio Christianorū. Iniustis enim lex posita est, Baptizati sunt autē quod nemo fidelium ordinationem dñi quantumuis humilem contemnit. Quod si quæras, An uero aquæ sit emūdatio? Nego. Ergo superflua, dicis. Nego. Nihil enim superflui instituit dñs. Voluit autem hominē sacramento sibi etiā externo astringere. Voluit donum & beneficiū inuisibile certa quadā ratione sub sensum reuocare, & per species siue signa uisibilia suo modo mysterijs scilicet peculiari & fidelibus noto exhibere. Cæterum non sequitur, Qui libēter obsequuti sunt uerbo, baptizati sunt; ergo paruuli baptizandi nō sunt. De adultis enim loquitur historicus, qui ubi baptismo tincti fuerint, & audierint deum etiā paruulorū, hoc est, seminis sui esse deum, mox paruulos quoq; ad baptismū offerunt. De quo alibi copiosius disputatū est. Obserua autem maximum & felicissimū primæuæ incrementū ecclesiæ, & quod sine fructu copioso nunquā prædicatur ueritas. Ter mille hominum accedūt. Dñs enim dederat incrementū semini uerbi sui, quod ministerio apostolorum disseminarat ut saluum faceret populum suum.

Erant autem perseverantes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & precationibus.

De morib. sanctæ ecclesiæ.

Iam uero collecta per uerbum dei ecclesiæ, mores sanctæ ecclesiæ describit. Recte autē annotauit Erasmus quatuor à Luca potissimum recenseri, Doctrinā, Communionē, Fractionem panis, & Precationes. Primo enim loco posuit Doctrinam, nec quamuis, sed Euangelicam. Proximo mutuā charitatem. Nam *κοινωνία* usurpatur hoc loco sicut ad Heb. 13. pro rerum diuisione & mutua beneficentia. Sequitur enim protinus, Possessiones & substantias uendebant ac diuidebant, &c. Tertio ponitur symbolum illud sacrum Christianæ conspirationis. Quarto autem loco oratio sancta. In hisce autē rebus sacratissimis ac summis perseverabant. Non enim subinde nouas cudebāt leges, sed in ueritate semel tradita & confessa perseverabant. Constantia enim colophonem imponit rebus cœptis, quæ sine hac prorsus uanæ sunt. Iam uero, ut de singulis singulariter & paulō copiosius disseramus, non potuit Apostolorū doctrina fuisse alia q̄ Euangelica, quam scilicet acceperant à domino, & quam prophetæ ueteres literis commiserant sacris, & quā nos profiteamur in Symbolo, quod Apostolorū uocāt. Sic enim dicit Paulus ad Rom. Paulus apostolus segregatus in euangeliū dei, quod ante promiserat per prophete

Apostolorū doctrina.

prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, &c. Quin in hoc ipso Petri sermone ceu paradi-gmate uidimus qualis fuerit Apostolorum doctrina, ex scripturis uidelicet petita sacris, & uiuo Christi spiritu expositis: nec aliam per integrum hunc librum au diemus. Ipsi quoq; ueteres Irenæus & Tertullianus scriptorum ecclesiasticorum longe uetustissimi non plura capita Christianæ religionis, hoc est apostolicæ doctrinæ coniti tuunt quàm nos numeremus in Symbolo apostolico. Atq; huius quidem rei ex utroq; clarissima proferam testimonia. Irenæus ergo aduersus hæreses lib. 1. cap. 2. & 3. Eccle-
 sia (inquit) per uniuersum orbem usq; ad fines terræ seminata, & ab Apostolis & à di-
 scipulis eorum accepit eam fidem, quæ est in unum deum patrem omnipotentem, qui
 fecit cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et in unum Iesum Christum fi-
 lium dei, incarnatum pro nostra salute. Et in spiritum sanctum, qui per prophetas præ-
 dicauit dispositiones dei, & aduentum, & eam quæ est ex uirgine generationem, & pas-
 sionem, & resurrectionem à mortuis, & in carne in cælos ascensionem dilecti Iesu Chri-
 sti domini nostri, & de cælis in gloria patris aduentum eius, ad recapitulanda uniuersa,
 & resuscitandam omnem carnem humani generis: ut Christo Iesu domino nostro,
 & deo, & saluatori, & regi, secundum placitum patris inuisibilis, omne genu curuetur,
 cœlestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, & iudicium iu-
 stum in omnibus faciat. Spiritualia quidem nequitia & angelos transgressores atq; apo-
 stas factos & impios & iniustos, & iniquos & blasphemos homines, in æternū ignē
 mittat. Iustis autem & æquis & præcepta eius seruantibus, & in dilectione eius perseue-
 rantibus, quibusdam quidem ab initio, quibusdam autem ex pœnitentia uitā donans,
 incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circundet. Hanc prædi-
 cationem cum acceperit & hanc fidem, quemadmodū prædiximus, ecclesia, & quidem
 in uniuersum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabi-
 tans, & similiter credit hijs, uidelicet quasi unam animam habens & unum cor, & con-
 sonanter hæc prædicat & docet & tradit quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo
 loquelæ dissimiles sunt, sed tamen uirtus traditionis una & eadem est. Et neq; hæ quæ
 in Germania sunt fundatæ ecclesiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neq; hæ quæ in Hi-
 beris sunt, neq; hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Aegy-
 pto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi sunt constitutæ: sed sicut
 sol creaturæ dei in uniuerso mundo unus & idem est, sic & lumen, prædicatio uerita-
 tis, ubique lucet, & illuminat omnes homines, qui uolunt ad cognitionem ueritatis ue-
 nire. Et neque qui ualde præualet in sermone, ex hijs qui præ sunt ecclesijs, alia quàm
 hæc sunt dicet, Nemo enim super magistrum est, neque infirmus in dicendo demino-
 rauit traditionem. Cum enim una & eadem fides sit, neq; is qui multum de ea potest di-
 cere amplius, neq; is qui minus, deminorat. Hæc sole clariora uetustus ille sanctus Dei
 martyr & Lugdunensis episcopus, scripto post se reliquit. Tertullianus uero quem bea-
 tus martyr Cyprianus Carthaginensis episcopus, magistrum uocabat, in Præscriptio.
 hæreti. Regula (inquit) fidei est, ut iam hinc qd credamus profiteamur, illa scilicet qua
 creditur unū omnino deum esse, nec alium præter mundi creatorem, qui uniuersa de
 nihilo produxerit per uerbū suum primo omniū emissum: id uerbū filius eius appella-
 tum in nomine dei, uarie uisum patriarchis, in prophetis semper auditū: postremo de-
 latum ex spiritu patris dei & uirtute, in uirginē MARIAM, carnem factū in utero eius,
 & ex ea natum, egisse IESVM CHRISTVM, exinde prædicasse nouā legem, & nouam pro-
 missionem regni cœlorū, uirtutes fecisse, sedisse ad dexterā patris, fixum cruci, tertia die
 resurrexisset: in cælos ereptum, sedere ad dexteram patris, misisse uicariam uim spiritus
 sancti, qui credentes agat: uenturum cum claritate ad sumēdos sanctos, in uitā æternæ
 & promissorum cœlestium fructum, & ad prophanos iudicandos igni perpetuo, facta
 utriusq; partis resuscitatione cum carnis restitutione. Hæc regula à CHRISTO ut pro-
 habitur instituta, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferūt, & quæ
 hæreticos faciūt. Hæc Tertullianus de Doctrina Apostolorum. Vbi uero ulla istorum
 hic mentio, quæ nobis ceu Apostolica obtrudunt hodie Pontificij?

Irenæus.

Germania sta-
 tim post Chri-
 stū passum Euā-
 geliū recepit.

Tertullianus.

Hæretici.

Communicatio. Communicatio quæ secundum locum obtinet è charitate Christiana est, & officia Christiana instituit, & opera misericordiæ habet. De quibus copiosissime dominus apud Matthæum in 5, 7, 25, cap. Itè apud Ioan. in 13, Paulus quoq; ad Roma. 12, & 13. Item Ioanes in sua Canonica.

De fractione panis.

De fractione uero panis qualis apud illos fuerit doctissime exposuit Erasmus in Paraphrasi, dicens, Itaq; qui se iunxerant numero discipulorum, perseuerabant in doctrina apostolorum, atq; in sumendo symbolo foederis nunquam rumpendi, quã illi communionem uocabant. Id à domino traditum erat huiusmodi. Frangebatur panis, & ex eo CUIQUE dabatur particula, atq; hoc agentes in memoriã dominicæ passionis, agebant gratias diuinę benignitati, qui per unici filij sanguinem ipsos expiasset à peccatis, qui per eiusdem indebitam mortem ipsos coaptasset in hæreditatem uitæ æternæ. Hæc Erasmus. Ex his autè uidere est qualia Apostoli sacra mystica instituerint ecclesiæ, non utiq; alia quàm quæ in ultima Cœna à sancto præceptore acceperant. Nam & Paulus alibi de hoc sacro, Ego (inquit) accepi à domino quod & tradidi uobis: ergo quod à domino acceptum aut traditum non est, à nemine posthac tradi debet. Si enim non licuit apostolis spiritu dei imbutis, aliud tradere, quàm quod dominus tradiderat, certè ne nobis quidem licebit. Maneamus ergo in primitiua huius sacri institutione, ut in eundem locum conuenientes, & beneficia dei recolètes cum peccatorum confessione, laude dei & gratiarum actione quotquot credimus edamus sacrosanctum illum panem corpus Christi mysticum, bibamusq; uinum sanguinis sacrosancti sacramentum. Hoc enī instituerunt atq; celebrarunt Apostoli, Missas Papisticas nescierunt. De qua re satis in Epistolam ad Hebræos. Nolo autè offendaris Lector Christiane, quod audis Lucam maluisse hoc sacrum Christianorum fractionem panis nominare quàm sacrificium corporis Christi. Noluit enim errori ansam subministrare spiritus sanctus ueritatis Doctor. Commemoratio enim est sacrificij semel peracti, non ipsum sacrificium. Commemoratio item ac symbolum corporis ueri, non ipsum corpus, nisi quantum attinet unionem sacramentalem, & mysterium, siue significationem. Sic enim rectè nominamus panem corpus domini. Quanquam ergo mysterium nostrum non augustiore nomenclatura quàm Fractio panis, dignatus sit, tamen nemo imaginabit, hunc sacrum panem nihil aliud esse quàm panem, quem & domi suæ in prophana mensa comedat. Hic enī noster mysterium habet, & à Christo domino in priuatos ac peculiare usus est institutus, nempe ad significandas res maximas, ad congregandam uniendamq; ecclesiam, & ad percellendos sensus etiam exteriores sensu celestium donorum. Cernit enim uisus in symbolis dominum, fidei repræsentatione, cernit inquam fractionem & mortem eius, cernit effusum sanguinem in uino. Auditus autem lætatur promissionibus & uerbis Cœnæ tam amicis. Neq; uero & tactus & gustus in hoc sacro gaudij prorsus expertes sunt. Neq; uero desunt nobis rationes certæ & præclaræ, ob quas non aliam quàm panis & uini creaturam ad hanc rem repræsentandam delegerit dominus. Pane enim pascimur. Vino lætificantur corda nostra. Quia ergo carne Christi spiritualiter manducata pascimur, & sanguine Christi pro nobis effuso ad uerum animi gaudium peruenimus: nihil erat quod huic mysterio perinde responderet pane & uino. Præterea constat sanguine Christi abolita esse omnia ueterum sacrificia: proinde necessum erat ut hoc maximum sacrificium aggrediens prius testaretur, sanguinem suum fufum, & corpus suum oblatum, ita sufficere ad expianda omnia omnium hominum peccata, ut posthac non foret opus ullum pro peccatis in sacrificio effundere sanguinem. Hoc ergo clarissimis uerbis contestans, dicit, Hoc est corpus meum, quod pro uobis traditur. Hoc poculum nouum testamentum in meo sanguine, qui pro multitudine effunditur in remissionem peccatorum: quæ deinde clarius & euidentius exponit Paulus ad Hebræos 10. Hisce iam signa siue symbola adiecit, non utiq; sanguinolenta, ut apud ueteres Circumcisionis & Paschæ fuerat, sed amica & familiaria homini, panem & uinum, quæ sanguinem non habent, in hoc ut consummationis essent sacramenta & testimonia quod omnis sanguis pro peccato cessarit, & in Christo iam omnis plenitudo sit.

Supereff

Cur maximum Christianorum sacrum uocari fractionem panis.

Supereſt & alia (ni fallor) longe amœniſſima & ſacraſſima ueriffimacq; cauſſa, cur panem ad hãc rem elegerit: hæc, Voluit dominus totã eccleſiã multitudinem in unum coadunare corpus. Ad quam rem ſignificãdam nihil potuit inueniri pane & uino qua drantius. Solebant enim apud ueteres maxima quæq; fœdera panis & uini confirmari ſymbolo. Teſtes in hac re adduco ipſum apoſtolũ Paulum in 1. ad Cor. cap. 10. Deinde Lo. Cœlium, qui leſt. antiqua. lib. 25. cap. 25. Panis (inquit) præguſtatus ritu Macedonico ſanctiſſimum erat coeũtium pignus. Et panis illa præguſtatio ita gentis condito more, nimirum parabilis uictus, frugalitatis in ſigne documentũ erat. Iam & Eraſmus in ſymbola Pythagoræ ſcribens, Panem (inquit) ne frangito, admonet non dirimendam eſſe amicitiam: propterea quod antiquitus amicitia pane conciliabatur. Vnde & Chriſtus princeps noſter diſtributo pane perpetuam inter ſuos amicitiam cõſecrabat. Proinde non conuenire frangi id per quod amici conglutinarentur. Haſtenus de fractione panis.

Iam & oratio quartum occupat locum, de qua multa & Veterum & noſtrorũ præ- *Oratio,*
 clara extant opuſcula. Paraphraſtes, Addebant (inquit) puras preces, quibus rogabãt, ut regnum domini Ieſu indies latius propagaretur, ut illius gloria per uniuerſum orbem inclareſceret, ut illius uoluntati ubiq; obtemperaretur, ut qui fidem euangelicam ſemel eſſent profeſſi, ſacra doctrina cœleſtiq; gratia quotidie proficerẽt ad meliora, atq; ita concorditer inter ipſos uiuerent, pacem habentes cum fratribus, ignoſcentes iniuriam, ſi quid eſſet per humanam fragilitatem admiſſum: pacem habentes cum deo, qui ſe miſericordem præbet ijs, qui ſe miſericordes exhibent proximo, ut quotidiano numinis auxilio cõfirmati, ſubſiſterent aduerſus omnes ſatanæ incurſus, donec poſt longa certamina daretur æternum præmium. Hæc tum erãt uictimæ Chriſtianorum. Annotauimus & nos quædam de Oratione in 15. cap. ad Roma. Hinc uero liquet quæ ſit *Que uera eccleſia,*
 VERA ANTIQVA ET APOSTOLICA ECCLESIA, nimirum ea quæ hiſce eſt mo-
 ribus quibus hanc uidemus præditam, in qua primas tenet doctrina ueritatis, fundata in ſacris literis, ex qua deinde accuſantur ſcelera, in qua & pœnitentia & peccatorum remiſſio prædicatur. Nam ubi hæc non ſunt, ſal uidelicet, ignis, & increpatio ſclerũ uehemens, oleum quoq; & medela uulnerũ leniens, ibi non eſt uera eccleſia. In hac eſt & baptiſmus & fractio panis, oratio & communio, ſiue charitas. Vbi ergo hæc uideris ne dubitaueris ueram eſſe Chriſti eccleſiam. Huic autem ſententiæ ſubſcribit Lactantius lib. Inſtitut. 4. cap. ultimo. Pontifex Romanus ſuam traditionem uocat apoſtolicam, & ſuum coetum ſanctam eccleſiam. At quã uerum hoc ſit, deprehẽdes ſi illam præſenti contuleris. Nihil autem iſtorum pure apud eum inuenias, quæ hic in moribus apoſtolicæ eccleſiæ recenſentur. Nam pro doctrina apoſtolorum colit traditiones humanas. Pro pœnitentia & peccatorum remiſſione per Chriſtum, indulgentias uendit pro auro. Baptiſmi uero myſterium crudeliter perſequitur, dum cultores ueritatis, ad quam Baptiſmus obſtringit, proſcribit. Fractionem panis abrogauit, & loco eius ſacrificos & Miſſas orbi obruſit. Orationes obſcurauit, & uenales proſtituit. Sed & miſericordiam & communionem turbauit. Idola enim ſtatuas & parietes ad luxũ uestiuit, monachorum greges, epiſcoporum ac ſacrificorum turmas, telluris inutile pondus, inſtituit, qui prætextu religionis optima terræ deuorant, diuites quoq; & pauperes hæreditate paterna, diuorum cultu, donis, anniuerſarijs, teſtamenti ac uotis, fraudant. Videant ergo quid agant, qui eccleſiæ ſanctum nomen ſubinde iactitant, at à moribus ueræ eccleſiæ, mores diſſimilimos habent.

Obortus eſt autem omni animæ timor, multaq; prodigia & ſigna per apoſtolos ædebantur.

Anima ponitur pro homine, cui uel impio oboritur ſupor, uel propter miraculorum admirationem, uel propter conſtantiam piorum, felicitatẽ atq; ſucceſſum rerum.

Omnes autem qui credebant, erant coniuncti, & habebant omnia communia. Poſſeſſionesq; & ſubſtantias uendebant, ac diuidebant il

la omnibus, prout cuiq; opus erat.

Communio.

Græce legitur ἡσάμ ἐπι δ' αὐτῶ, quod ad uerbum sonat, erant in uel ad unum, magisq; pertinet ad animorum coniunctionem quàm localem & corpoream. Mox enim sequitur apostolos per singulas domos fregisse panem. Non ergo semper uno in loco coaliti uiuebant, sed certis tantum horis in cœtum conueniebant, hoc dissoluto quisq; ad se redibat. Itaq; coniunctio illa animorum erat, ex qua enascebatur beneficentia & rerum communicatio siue diuisio. Sequitur enim, Et habebant omnia communia: nimirum iuxta tritum prouerbum, Amicorum omnia communia. Sunt qui hæc ad communionem Platoniam trahunt, qua & proprietatem (ut uocant) negant, nec quenquam saluari posse credunt, qui propria possideat. Cum tamen id falsissimum esse hic ipse qui mox sequitur locus manifestissime conuincat. Sic autē sequitur: Possessionesq; & substantias uendebant, ac diuidebant illa omnibus prout cuiq; opus erat. Ex quibus uerbis planē liquet, quod communio ista nihil aliud fuerit quàm uoluntaria communicatio siue diuisio. Nam uendebant autē ergo propria erant quæ uendebāt. Quis enim probus aliena uendiderit? Diuidebant præterea, ergo rerum domini erant, neq; ita cōmunes erant opes, ut quisq; quod liberet raperet. Nam unicuiq; prout opus erat diuidebat uenditor, aut cui id credidisset. His autem notis nihil potest dici clarius. Proinde nō traditur hoc exemplo confusio rerum & Reipub. uel legum de emptione & uenditione, de locatione & mutuo neglectus, sed charitas & misericordia docetur, nepe ut amicos nobis paremus de iniqua mammona, ne pecunias uel luxu cōcoquamus, uel stulti philosophi Cratetis more abijciamus, sed in pauperes dispensemus, ut in cœlis copiosum thesaurum inueniamus. De hac re pluribus in cap. 4. Alij dixerūt, hoc loco non statuit nobis legem, sed magnum recenseri perfectionis exemplum, quod qui imitetur idem cum his sanctissimis dei uiris accepturus sit premium: qui non imitetur (interim neminem fraudet, & avarus non sit, sed beneficus in omnes) nihil peccare penitus.

κτῆματα, hoc est possessiones, proprie uocauit fundos, prata, agros, iugera, & uineta, åcker vnd matten, böß vnd güter, ὑπάρχας uero, hoc est substantiam, aurum & argentum, gold, gält vnd kleynot. Nam hac diuisione comprehensa est omnis hominum facultas.

Et quotidie perdurantes unanimiter in templo,

Concordia &
Constantia.

Iterum commendatur nobis Constātia & Concordia, quæ duo nobis, si florere uolumus, in primis sunt necessaria. Perseuerantia uidelicet in bono, & unanimitas inter nos ipsos, & in rebus agendis omnibus. Concordia enim paruæ res crescunt, discordia maximæ dilabuntur. At constantia rerum agendarum neruus est & anima. Porro in templo agebant, ne quis conspirationem putaret, & ut posteri discerent clancularias conuentiones uitandas, ac cœtus publicos esse laudabiles.

& frangentes per singulas domos panem, inuicem sumebant cibū, cum exultatione & simplicitate cordis laudantes deum.

Hic fractio panis non accipitur pro sacro symbolo ut supra, sed pro hospitalitate & liberalitate in esurientes præstita. Sic enim legitur apud Isaiam in capite 58. Frange esurienti panem tuum. Hoc ipsum poscunt circumstantiæ. Sequitur enim, μετελάμβανον τροφῆς, id est, sumebant cibum: siue sumebant inuicem cibum. Quod nolim de opiparis instructisq; intelligas conuiujs, quasi illi se mutuis refocillarint cupedijs, sed quod tenuiores ditiorum alebantur liberalitate. Nam μεταλαμβάνειν est ab alio sumere, uel participem esse. Atq; id quidem illi faciēbant non coacte aut uersuto animo, quod hic plerunq; fieri solet, sed libere & cum exultatione in uera cordis simplicitate, sic enim præcepit Apostolus: Qui impertit in simplicitate, & qui miseretur in hilaritate, Roman. 12. & 2. Corinth. 9. Laudabant utrinq; deum, ac gratias agebant pro donis eius ac beneficijs. Atq; hæc erat uerē sancta dei ecclesia. Videtur autem hic locus, de fractione panis in ædibus priuatis ueteribus Romanis Episcopis ansam dedisse quod hospiti-

Eucharistia priuatum in ædibus celebrata.

bus, episcopis & presbyteris eucharistiam solenniter transmiserunt: id quod de ipsis Irenæus apud Eusebium testatur libro Ecclesiasticæ historiæ 5. cap. 24. Item quod in eadem

eadem Roma auctore Hieronymo in Apologia pro Lib. Aduer. Iouin. eucharistiam quisque domi suæ sumere potuit. Vnde nimirum & apud nos inoleuit, ut infirmis deferatur in ædes panis eucharistiæ. Verum audiuimus de hac fractione panis Lucam in præsentiarum nullam mentionem facere. Carent igitur exemplo qui necessitatem in hac re inducunt. Certè ipse dominus publicam & festiuam instituit gratiarum actionem in cœtu solenniter celebrandam. Quod ipsum & ex Pauli uerbis colligi potest, quibus conuiuia publicasq; Corinthiorum epulas incusans, dicit, Quum conuenitis in eundem locum, iam non licet dominicam cœnam edere, eo quod unusquisque pergit priuatam cœnam instituere: & hic quidem esurit, ille uero ebrius est. Num sanè domos non habetis ad edendum & bibendum? &c. Ecce Paulus cœnam nostram celebrare iubet in loco aliquo celebri & in cœtu sacro. Deinde hanc separat ab epulis & cœnis prophanis. Nam has in ædibus priuatis exhibere iubet: at cœnam sacram in cœtu publico celebrare potest, idq; remotis omnibus alijs mensis, certè ut cum summa fide ad cœlestem accumbamus conuiuium. Sed hæc obiter.

Et habentes gratiam apud omnem plebem.

Synekdоче est. Nam non poterant nisi optimis placere. Nam malis nemo bonus citra iustæ laudis periculum placere potest. Quod malis nihil nisi malum probetur.

Dominus autem addebat, qui salui fierent, quotidie congregationi.

Nam sine augmento diuino perit omne semen uerbi domini in cordibus humanis. Neque quisquam ad Christum peruenerit, nisi cœlestis pater traxerit.

Simul autem Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam CAPVT III. precationis nonam. Et quidam uir, qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret elemosynam ab introeuntibus in templum. Is quum uidisset Petrum ac Ioannem ingressuros in templum, rogabat ut elemosynam acciperet.

Huius capituli initio describitur occasio alterius istius nobilissimæ per apostolos orationis, qua habita multorum mentes ad fidem Christi conuersæ sunt. Hæc autem est rei gestæ occasio. Petrus & Ioannes unâ in templum ascendunt, humiles & tenues, nullis equis uecti aut satellitio stipati, ut nunc solent qui titulum mentiuntur apostolicum. Ascendunt autem ad horam diei nonam, quæ nobis est (iuxta superiorem rationem) tertia postmeridiana. Videntur enim sabbatorum dies apud illos more nostro in horas fuisse diuisi, ad quas deinde sacros celebrarint conuentus, in quibus & orauerint & legem dei audierint. Ascendunt ergo ad templum ut frequenti populo Christum prædicent. Hic uero suppeditat deus maximam agendi occasionem. Nam claudus quidam pro foribus templi sedens, & miraculo & concioni occasionem dedit. Porro Epitafis, qua miseriam hominis multis modis uidemus intentam, commendat nobis diuinam uirtutem quæ rebus fessis desperatisq; subuenit. Putauerim autem speciosam templi portam ab ornatu & ædificio dictam esse, quales & nobis fuere artificiosis arcibus excisæ *mit schönem portal*. Herodes enim non æstimandis sumptibus incredibiliq; magnificentia templi spatio octo annorū erexit, additis porticibus uario opere uisendis, sed & portis tēpli magnitudine & artificio adeo præstantibus, ut hæc sit uulgo speciosa appellata. Claudus ergo diuina agēte prouidētia, elemosynā à Petro (p more suo) postulat.

Defixis autem in eum oculis, Petrus cum Ioanne dixit: Aspice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, erexit eum.

Petrus non oblitus uerbi domini, quicquid istis feceritis mihi fecistis, ideoq; se à deo

rogari, imò potius commoneri sentiens, in miserū oculos defigit, sentiens instare tempus quo gloria filij propagaretur. Ne ergo quid præstigiij admissum uideretur, dicit, In tuere nos. Id quum faceret miser aliquid se accepturum sperans, Petrus subdit, Quod tu poscis, id in mea potestate non est. Neq; enim aurum, neq; argentum (*wäder gold noch gält*) possideo. Non enim uoluit me dñs dispensatorem esse terreni thesauri, sed celestis. Quod ergo habeo, id est, id quod mihi commissum est, tecum participo, ac iubeo te surgere, nò meo, sed Christi Iesu nomine & uirtute, cuius ego negotium agò. Vnde nos discimus apostolicam uitam longe lateq; dissidere ab eius qui se Petri mentitur uicarium. Non enim aurū argentūue possidet Petrus, nedum regna. Hic uero ad miraculum usq; optimis terræ perfruitur. Neq; uero mendicitas hic probatur, sed hoc potius traditur, quod pius animus thesaurum in hac terra non corradit; id quod & Christus docuit Matth. 6. Quin potius ille nihil se possidere credit, licet possideat multa; id quod in Paulo uidere est 1. Cor. 7. Philip. 4. Deinde ex hoc loco discimus Iesum esse dei filium. Nam huius nomine confertur salus, de quo copiosius paulò post.

Protinus autem consolidatæ sunt plantæ illius ac talí. Et exiliēs stetit, & ambulabat, intrauitq; cum illis in templum, inambulans & saliens acludans deum.

Protinus creatura creatori paret. Surgit enim miser à morbo incurabili, iam non ali quantulum, sed prorsus curatus. Quæcunq; enim deus facit, bene facit. Sanatus autem deum laudat, & specimen nobis exhibet gratitudinis; ne quis deo ingratus suaq; sorte non contentus, uel non referat gratias, uel omnipotenti obmurmuret.

Et uidit eum totus populus ambulantem ac laudantem deū. Agnoueruntq; illum, q; ipse esset is, qui ad eleemosynam sederat ad Speciosam portam templi. Et impleti sunt admiratione & stupore super eo quod contigerat illi. Quum teneret autem qui sanatus fuerat claudus, Petrum & Ioannem, cucurrit totus populus ad eos in porticu, quæ appellatur Solomonis, stupefactus.

Faciūt illa ad amplificationē negotij. Quod autē interpret uertit, Quū teneret autem, &c. Significantius erat, Præualente autē (*πρὸς ἄντρος δὲ*) claudus aduersus Petrum. Notat enim importunas claudi laudes, quas apostoli non ambiebant. De porticu Iosephus.

Quo uiso, Petrus respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate effecerimus ut hic ambularet?

Duo habet hæc oratio. Primum apologeticum est. Nam principio plebis remouet errorem, quo illa miraculi gloriā hominibus tribuebat apostolis. Docet ergo omnem gloriam esse Christi. Secundum suasorium est. Nam laxis habenis exhortatione effertur, monetq; peccatum suum aduersus deum in prodicione Christi commissum agnoscant, pœnitentiam agant, Christū suscipiant, qui sit benedictio orbis. Et hæc altera est oratio Apostolica de religione Christiana, summa cum authoritate dicta. Iam ut de primo primū dicamus, Cum miraculo cōspecto plebs (ut fit) apostolos tantū miraretur, Nā plures uidendi Lazari gratia q̄ Christi olim quoq; adueniebant, amolitur omnem à se admirationem, & in unum Christum omnium mentes cōuertit. Et quia duo sunt, uirtus uidelicet & meritum, quibus homines permoti diuis seu magnis aliàs hominibus res diuinas tribuimus, utraq; hic è medio tollit, & cum indignatione quadā dicit, Quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, *ὡς ἰδέα δὲ ἡμῶν αἰ ἕστε βία*, quasi propria potentia nostròue merito seu pietate effecerimus ut hic ambularet? Iam per subiectionē intelligendū. Non ita habet. Mox enim subdit, quomodo habeat res, Deus Abraham, &c. At nos hinc colligimus falli istos omni modo qui miraculorū operationem uel meritis, uel uirtuti sanctorum tribuunt, aut ex miraculis olim per deum ministerio sanctorum

*Aduersus cultū
diuorum.*

sanctorum patris colligunt, diuos ceu auxiliores esse inuocandos colendosq;. De qua re simile omnino exemplum habebimus in cap. huius libri 10. & 14. Quanquā non crediderim inutile fore, si Augustini quoq; super hac re annotarim sententiam, is in libro de Vera religione cap. 55. Non sit nobis religio (inquit) humanorū operum cultus. *Simulachra inuelligit.* Meliores enim sunt ipsi artifices qui talia fabricantur, quos tamen colere nō debemus. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorū. Quia si pie uixerint, non sic habentur ut tales quærant honores, sed illum à nobis coli uolunt quo illuminante lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorādi propter religionē. Si autē male uixerint, ubicunq; sint non sunt colendi. Et paulō post: Honoramus angelos charitate, non seruitute, nec eis templa cōstruimus. Nolunt enim se sic honorari à nobis. Quia nos ipsos cum boni sumus, templa summi dei esse nouerunt. Recte itaq; scribitur hominem ab angelo prohibitū ne se adoraret, sed unū deum sub quo ei esset & ille conseruus. Paria penē libro aduersus Faustū 20. cap. 22. & de Ciuitate dei, libro 22. cap. 10. & in 8. capite ultimo.

Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, deus patrum nostrorū glorificauit filiū suum Iesum, quem uos tradidistis, ac negastis in conspectu Pilati, quum ille iudicasset esse absoluendū. Vos autē sanctum & iustum negastis, & postulastis, ut uirum homicidā donaret uobis, authorem uero uitæ interfecistis, quē deus suscitauit à mortuis: cuius nos testes sumus, & per fiduciam nominis eius hunc quem uidetis ac nostis, consolidauit nomen ipsius, & fides quæ per eum est, dedit ei integritatem istam in conspectu omnium uestrum.

Iam indicat à quo authore miraculū sit profectum, & in quem finem patratū. Non (inquit) prædicamus uobis nouū deum, sed deum patrū nostrorum. Prædicamus autē quod hic miserit filium suum quem patribus promisit: quod autem filius dei sit, præfenti miraculo comprobauit. Vos enim ignominia affecistis sanctum & innoxium, ergo per deum hunc glorificari oportuit. Id quod hoc miraculo fecit. Interim uero antithesi quadam obiter amplificat peccatum eorū, & adeo clare ut nihil possit dici clarius. Dein iterum redit, & ex effectu fidei in Iesum Christū declarat uirtutem Christi: quasi dicat, Credidimus nomini filij dei, id inuocauimus super misero, credidit & ipse, itaq; reuoluit. Proinde Christus filius dei est, cuius uirtute hic miser sanitati restitutus est. Vnde iam liquido claret cuius sit sanitatis beneficiū, non utiq; hominis per quem agit deus, *Scopus miraculorum.* sed ipsius dei qui agit. Vnde iam denuo liquet, quis inuocandus sit, salutāduq; pro ualitudine prospera uel conseruanda, uel reparanda. Pertinent ergo miracula omnia ad gloriam dei propagandā. Hodie contra religionis sanę sensum peruertuntur à multis, dum ad cultum diuorum & idololatriam confirmandam prædicantur, sed eo modo nihil conducit ad gloriā dei promouendā, at marsupium auaris sacrificis probe farciūt.

Et nūc fratres scio, quod per ignorantiam fecistis, sicut & principes uestri. Deus autem quæ prænunciauerat per os omniū prophetarum suorum, Christum passurum, impleuit sic. Pœniteat uos igitur, & conuertimini, ut deleantur peccata uestra.

Quod Petrus audierat aliquando, Tu conuersus confirma fratres tuos: id sanē hoc *Remissio peccatorum.* loco diligenter præstat. Nunc enim occasione accepta eo quod dixerat istos Christum negasse & prodidisse, ad pœnitentiam & suscipiendū Christū animat. Neq; uero peccatum istorum quod iam iam seueriter obiurgarat nunc quidem dissimulat, sed benignitate ad pœnitentiā inuitat. Nam cōcedentis uox est, Scio quod per ignorantia fecistis: quasi dicat, Scio inquam quid ad hæc respondeatis, nimirū nesciuisse uos Iesum fuisse eum qui erat, Christum. Age uero ita habeat res dummodo sic impleuerit ea dominus quæ prædixerat per prophetas, filium nempe totius orbis fore uictimā, iam uero cessit

quidem mors Christi in bonum toti orbi, sed uos peccastis innoxium tradentes. Cæterum spes est cōdonationis ac salutis, modo resipiscatis. Iam infert, Pœniteat igitur uos & conuertimini, ut deleantur peccata uestra. O ergo immensam dei bonitatem, quæ ne illis quidem negat gratiam qui filium sibi occiderunt. Quis posthac desperauerit? Hinc ergo prædicanda est populis pœnitentia, conuersio & peccatorū remissio: de qua & Ezech. capite 18.

ut quum uenerint tempora refrigerationis à conspectu domini, & miserit eum qui ante prædicatus est uobis, Iesum Christū, quem oportet quidem cœlum accipere usq; ad tempora restitutionis omnium, quæ loquutus est deus per os omnium sanctorum suorum à sæculo prophetarum.

Duo hic sunt animaduertenda. Primum, Mancam esse orationem, quæ sic possit faciri, Ut seruemini quum uenerit tempus refrigerij. Secundum, Tempus refrigerij per synekdochā dici de extremo iudicio, quod salutiferum erit pijs duntaxat. Dicit autem, Nunc quidem prædicatur aduentus eius humilis & gratiosus: tunc uero aderit ultor et iudex. Curate ergo ne uobis appareat ultor. Sic enim à iudicij terrore hortatur ad pœnitentiam: id quod & prophætæ solent dum expositis, imò ob oculos positis pœnis impios ab impietate reuocāt. Rursus ne quis iudicij diem propediem asfuturam crederet præoccupat, ac dicit: Priusquam uero ueniat ea dies, oportet Christum in cœlos assumptum cœlitus regnare, hostes suos conficere, & omnia quæ de regno Christi in Gentibus & alijs rebus futuris usq; ad iudicium prædicta sunt, fieri. Paria legere est apud Paulum in 2. ad Thessal. capite 2.

Moses quidem ad patres dixit: Prophetam suscitabit uobis dominus deus uester de fratribus uestris, mei similem: Audietis eum iuxta omnia quæcūq; loquutus fuerit uobis. Futurum est autem, ut omnis anima quæ non audierit prophetam illum, exterminetur è populo.

Diuino munit testimonio quod proposuerat, probans Iesum esse Christum, quem qui non audierint, perdendi sint. Maxima autem erat apud Iudæos Mosis authoritas, quod uel ex 5. Ioan. cap. liquet: ergo unico eius cōtentus testimonio, tandem summam cæteros allegat. Hoc autem sumpsit ex Deut. 18. cap. Annotandū uero quod Christus propheta dicitur propter officium. Natura enim est filius dei, secundū carnem natus ex fratribus suis, hoc est, semine Abraham. Heb. 2. Idem ipse mediatione similis factus est Mofi, Filiū ergo proponit nobis pater in testamento nouo, & ait: Hic est filius meus dilectus, in quo placata est anima mea, ipsum audite. Et Baptista, Qui incredulus est filio, non uidebit uitam, sed ira dei manet super eum, Ioan. 3. s. 1. Ioan. 5.

Quin & omnes prophætæ à Samuele, ac deinceps quotquot loquuti sunt, etiam annunciauerunt dies istos.

Paucis uerbis dicit, Omnes prophetas Mosen (qui, ut Homerus poëtarū omnium oceanus, sic ipse omnium prophetarum fons est) sequi, & similia de Christo scribere. Nam Dauid in Psalmis plurima, Isaias in postremis sui operis capitibus, Ieremias in 23. 31. & 32. Daniel in 9. Ezechiel quoq; in locis pluribus de hoc Christi negotio scripserunt. In primis autem Haggeus & Zacharias.

Vos estis filij prophetarum ac testamenti, quod testatus est deus erga patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedictionem consequentur omnes familiæ terræ.

A dignitate & uocatione dei hortatur. Quasi dicat, Si iure gloriamini uos esse prophetarum filios, age uerbis prophetarū credite. Si testamentū uobiscum pepigit deus, pactis oro stete. Hæc est autem testamenti summa: In semine tuo, id est, Christo (interprete ad Galatas Paulo) saluabūtur omnes Gentes. Ergo si in Christū credideritis, filij testamenti,

testamēti, hæredesq; cœlestium bonorum eritis. Porro hinc liquet unicum modo esse Testamentum, unam utriusque populi salutem & ecclesiam. Ipse uero omnia clarius exponens subdit:

Vobis primum deus, cum suscitasset filium suum Iesum, misit eum benedicientem uobis: ita ut unusquisque uestrum conuerteret se ab iniquitatibus suis.

Suscitandi uerbo respexit ad Mosis uaticinium, Prophetam suscitabit uobis dominus. Hoc autem dicit, Fidem uobis præstitit deus, ergo uestrum fuerit ut & uos fidem præstetis. Misit ille filium suum: uestrum est, ut saluatorem sese ultro uobis offerentem suscipiatis. Venit enim ut saluet & ut opera diaboli dissoluat. Credite ergo & conuertimini à peccatis uestris. Seruite ei in timore & iustitia, &c. Lucæ 1. Titum 2. Hæc illa altera est apostolica prædicatio: ad quam si quorundam probes contiones, uidebis quid commentitium, & quid in ijs sit uerum.

Loquentibus autem illis ad populum, superuenerunt illis sacerdotes ac magistratus templi, & Sadducæi, moleste ferentes, quòd docerent populū, & annuntiarent in nomine Iesu resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt eis manus, posueruntq; eos in custodiam in posterum diem: nam erat iam uespera. CAPVT III.

Hactenus primordia fidei descripsit, quomodo ecclesia coierit, creuerit & uixerit, item quid docuerint Apostoli, quos ecclesiæ ritus tradiderint, & quæ sit ueritatis potentia: nunc uerò describetur quomodo mundus ad ueritatem sit animatus, nimirum uti Christus prædixerat, Ioan. 15. & 16. Veritas enim, uel iuxta Comici sententiã, odium parit, Obsequium amicos, Describitur ergo hic prima ecclesiæ ex ueritatis prædicatione orta persecutio. Beati uero qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, horum enim est regnum cœlorum. Illi autem persecutionem in ueritatis amantes ab initio mouerūt, qui ueritatis patroni ante omnes esse debebant, sacerdotes uidelicet & qui antistites ueræ religionis uideri uolunt. Hi interturbant res sacras perrumpuntq; uolentia. Quod enim nos legimus Superuenerunt, Græce significantius legitur *ἐπιβήσαντες*, id est, ingruerūt, *sy habend̄s überfallen*, Sacerdotes inquam, magistratus templi et Sadducæi. Sacerdotes autem dixit quorum intererat pietatem fouere. Magistratus quoque templi, cuius in primis erat uerum domini templum tueri. Admonet enim Erasmus, magistratus esse singularis numeri. Nam Græce est *ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ*, hoc est, Dux templi. D. Chrysostomus exponit, Dux militum templi. Beda testatur se in quadam ædificatione legisse, Prætorem templi. Reuera apparet ex 4. Regum 10. cap. cuiusdam templi curam tutelamq; fuisse commissam, qui sub signis suis certam haberet militum manum, quæ & templum tueretur & turbas si quæ orirentur, disiceret. Eiusmodi uero militum grex à nobis nominatur, *Die schirmmer*. At ipse imperator, *Der Tempeluoigt vnd schirmmeren hauptmann*. Cæterum cum tales alantur ex superstitione, minus mirandum est, si infensi etiam sint ueritati. Sadducæi autem quales fuerint refert Iosephus in decimo octauo, Antiq. capite secundo. Habebant enim & Iudæi suos monachos, uestitu, cultu, & dogmatibus dissidentes. Prorsus enim tunc talis erat synagogæ facies qualis hodie ecclesiæ est, in qua proceres ecclesiastici suos habent milites suumq; satellitium. In hac uideas uarias monachorum sectas inuicem hostiliter dissidentes. Videas item illis inter se mutuo admodum conuenire, ubi ueritas extinguenda sit, quibus tamen per omnem uitam nunquam probe conuenit. Hic uero omnes conspirant, & auxiliares copias iungunt, atq; in ueritatem mouent, timent enim suis compendijs aliquid decessurum: pro uentre itaq; & uana gloria tanquam pro aris & focis decertaturi profiliunt. In primis autem male habebat pontificios istos quòd apostoli docerent, & in templo quidem docerent. Nā sibi sic uendicarāt docendi functionē Pharisæi, ut ueritas humanis inuentis pontificūq; autoritate oppressa emergere nō posset. Nō enim aliq; cōiurati docebāt, Cruce ex ueritate nascitur. Qui persecutores, Docendi sunt.

Illud autem docebant, quod ex auarorum traditione acceperāt. Non secus atq; rasi nostri oleoq; delibuti solent, qui non ferrent si quis fide nondum data prædicare pergeret. Non quòd iustam damnemus uocationem, & manuum impositionem, quam scimus esse sanctam ac necessariam: sed abusum & uota impia damnamus. Apostoli uero missi erant. Ideoq; non erat opus ut ab impijs mitterentur, imò impium est si quis fide impijs data mittatur ab impijs. Dolebat & illud quod resurrectionem Christi prædicarent. Illum enim damnarant, illius gloriam extinctā cupiebant. At resurrectione astruebatur Christi uictoria, tradebaturq; & animæ immortalitas, & corporum resurrectio, sed & uitæ nouitas & restitutio morum: quæ omnia offendebant cum homines sceleribus dicatos, tum Sadducæos in primis resurrectionem profus abnegantes. Ergo iniiciunt illis manus, nondum cruore Christi tepidas. Nihil enim habet impietas, nisi uio lentiam quo se tueatur. Non cognoscit uerum, non discutit causas, sed insidias struit, carcerem appellat, certe ut terrore supplicij multos ab Euangelio Christi absterreat. Mirro quoq; modo accelerat: nisi enim crudelibus ausis obstitisset nox, iam protinus extinctiissent innoxios. Hinc autem liquet nonā apud istos horā nobis fuisse tertiam uespertinam.

Multi uero eorum qui audierant sermonem, crediderunt: & factus est numerus uirorum circiter quinq; millia.

Patientia sanctorum.

Veritas domini semper uincit. Hic enim aliquot millia accedunt, contemptis omnibus magnatum minis. Ergo nihil proficitur tyrannide, sed quo magis premitur ueritas eo magis enitescit. Non enim poterant excidere sancti quoties cogitabant, Si crucifixus reuixit, & claudus reualuit, certe ne mors quidem aut cruciatus corporis perdere poterit: quid igitur timeremus? Id nobis quoq; in periculis cogitandum, & ex istis discenda est constantia. Apostoli uero eam noctem in carcere exegerunt, crucem domini portantes, & exemplum omnibus pijs præbentes, quod per multas tribulationes oporteat ingredi in regnum dei. Nec illud mysterio caret quod primo periculo non eximuntur, secundo demum eximuntur. Nam ex posteriori captiuitate eduxit eos angelus. Hic nemo educit. Annotandum & hoc, ambiguum esse an numerus circiter quinq; millium iam ueluti de nouo accreuerit, an duo millia prioribus tribus millibus (quorum mentio facta est in 2. cap.) addita, tantum constituant numerum.

Factum est autem postero die, ut congregarētur principes eorum, & seniores, & scribæ Hierosolymis, & Annas princeps sacerdotum, & Caiaphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere pontificio. Et cum statuissent eos in medio, interrogabant: Qua uirtute, aut quo nomine fecistis hoc uos? Tunc Petrus repletus spiritu sancto, dixit ad eos:

Pompa mundi.

Mira antithesi opponit paucis crucifixi discipulis idiotis, miseris & coram mundo profus despectis hominibus, fastum & sapientiam mundi, potestatem & quicquid in orbe præclarum ac potens est. Hinc magno uerborum pondere titulos nescio quid magni spirantes recenset, dicens principes, senatores, scribæ, ac docti Hierosolymorum omnes, conuenere, Annas, Caiaphas, Ioannes, Alexander, & quotquot erant de pro-sapia pontificia, & was von priesterlichem stammen was. Hos autem omnes uiros autoritate, opibus, opinione uulgi & hypocrisis graues, tenues & contempti nostri piscatores Petrus & Ioannes uincunt atq; confundunt. Nam stultitia infirmitasq; dei sapientior ac fortior est sapientia mundi. Neq; est sapientia, fortitudo aut consilium ullum cōtra dominum. Ad fastū ac terrorem pertinet & illud quod uinctos in mediū statuunt, ipsoq; agendi habitu territant, ac uelut e tripode dicunt: An uos soli sapitis? An uero tam celebrem conuentum primorum in religione uirorum contemnitis? Fastum enim, multitudinem asseclarum & diuturna tempora, mores auitos, uestes deniq; supercilium, ac titulos admiratur mūdus. Sed Apostoli spiritu sancto repleti, fastum, id est, huius mundi stul

di stultitiam contemnunt, constantes permanent, & spiritu dei docti, uultu alacri & intrepido, cordate respondent:

Principes populi & seniores Israël, si nos hodie examinamur de eo, quod benefecerimus homini infirmo, qua ratione iste saluus factus sit; notum sit omnibus uobis, & toti plebi Israël, quod per nomen Iesu Christi Nazareni: quem uos crucifixistis, quem deus suscitauit à mortuis, per hunc iste adstat coram omnibus uobis sanus.

Nihil adulatur Petrus, sed magistratum interim non fraudat honore iusto. Et paucis quidem his simplicibus & perspicacissimis ad obiecta respondet. Veritas enim simplex est & perspicua, morbidus sermo pharmaca & fucos poscit. Interrogant illi non ut discerent, sed ut imprudentes caperent in uerbis, uel bene facta & diuina uirtute patrata ceu magica calumniarentur. Cordate ergo nec minus prudenter respondet Petrus, & docet claudum Christi uirtute esse sanatum, qui unica orbis salus sit. Et hic orationis status est. Initio autem oblique ferit illorum conscientias, cum dicit, Examinamur de eo quod homini benefecerimus. Quasi dicat, Magistratus non debebat terrori esse bene merentibus, sed male agentibus, adeo ut hæcenus consueuerint examinari facinorosi, nunc eò res redijt, ut innoxij, imò benefici examinemur propter beneficia: ut cuique uero id habet, quando scire cupitis cuius uirtute ille sanatus sit: scitote quod uirtute Iesu Christi, illius inquam (obserua emphasim) quem uos crucifixistis. Deus enim non passus illi illudi, & gloriam eius aboleri, excitauit sepultum, & dedit illi nomē quod est super omne nomen. Id quod nos hac ipsa re præsentis utique restitutione claudi comprobamus.

Prudentia in dicitis.

Hic est lapis ille, qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus est caput anguli: nec est in alio quoquam salus. Nec enim aliud nomen est sub cælo datum inter homines, in quo oporteat nos saluos fieri.

Rursus ne quid desiderarent, & uerba uelut temerarij & male sani hominis contemnerēt, adhibet robur scripturæ, quo & mortem & gloriam Christi perstringit. Nam reiectio significat crucem. Reiecerunt autem ædificantes, hoc est docentes. Siquidem antistites religionis damnarunt Christum, qui Lapis ex uisione Danielis & prophetia Isaia dicitur, nimirum propter firmitatem, & quod omnes qui ei repugnant, uelut molari lapide conteruntur. Angularis uero lapis cognominatur, propterea quod utranque gentem Iudæorum uidelicet & gentium in unam cõcludat ecclesiam. Solent enim angulares, duas compingere in ædificijs parietes. Licet ergo reiectus sit, tamen denuo exaltatus utriusque gentis saluator factus est: ut nunc in hoc uno salus cõsistat credentium. Nec enim (inquit Petrus) est in alio quoquam salus. Qua exclusiua omnia semel tolluntur, quibus hæcenus salutem tribuimus, Vota monastica, Missæ, Idola, Merita, Indulgentiæ, Diuorum cultus, in quibus omnibus nulla est salus. Sequitur enim aperiens sententia, NEC ENIM ALIUD NOMEN EST DATUM INTER HOMINES, IN QVO OPORTEAT NOS SALUOS FIERI. Atqui Nomen in hac sententia pro uirtute ponitur: ut sit sensus, Deus nullum medium orbi proposuit per quod saluentur homines quam nomen, uim & meritum Christi. Sed ò deus bone, quam diu delituit hæc sacrosancta doctrina. Tot enim blasphemijs & erroneis doctrinis obscurata & uiolata iacuit, ut Christi mysterium paucissimis cognitum fuerit. Nec prætereundum censui quod Beda in hunc locum annotauit, scribens, Si in nullo alio, sed in Christo tantum mundi salus est, ergo & patres Veteris testamenti eiusdem redemptoris incarnatione & passione saluati sunt, qua nos saluari credimus & speramus. Etsi enim Sacramenta pro temporum ratione discrepent, fides tamen una eademque concordat. Et diuus Augustinus de Præsentia Dei ad Dardanum cap. decimosextimo. Antiquis (inquit) iustis aliquid occultum erat, quum tamen & illi eadem fide salui fierent quæ

Christus lapis.

In quo consistat uera salus.

fuerat suo tempore reuelanda. Non enim audemus fideles temporis nostri præferre amicis dei, per quos nobis ista prophetata sunt, cum Deum Abraham, & Deum Isaac, & Deum Iacob ita se Deus esse cõmendet, ut hoc dicat suum nomen æternum. Et Apostolus, Habentes (inquit) eundem spiritum fidei propter quod scriptum est, Credidi propter quod loquutus sum: & nos credimus propter quod & loquimur. Non diceret eundem, nisi & illorũ idem ipse esset spiritus fidei. Sicut autem illi quando idem sacramentum occultum erat credebãt Christi incarnationem futuram, sic & nos credimus factam. Et à nobis autem & ab illis futurus expectatur ad iudicium eius aduentus. Non est enim aliud dei mysteriũ, nisi Christus in quo oportet uiuificari mortuos in Adam. Quia sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes uiuificabuntur. Hæc Augustinus. Certe hic Petri locus multo est fecundior, quàm quisquam assequi possit. Quare hunc pio Lectori diligenter pensitandum relinquo.

Videntes autem Petri in dicendo libertatem ac Ioannis, comper-
toq; quòd homines essent illiterati & idiotæ, admirabantur, & agnosce-
bãt eos, quòd cum Iesu fuissent: hominem autem uidentes stantem
cum eis, qui sanatus fuerat, nihil poterant contradicere:

Libertas dicen-
di.

Dicendi libertas uel apud Gentes magno in precio fuit. De qua re uidere est Erasmi Chiliades. Hinc autem discunt episcopi & uerbi dei ministri, ne ipsi quicquam in ueritate dei prædicanda uel metu intermittant, uel fauoris studio prætereant, sed coelestem ueritatem libere & intrepide doceant, more tamen apostolico absq; scurrilitate & procaci maledicentia. Illiterati mittuntur ad prædicandũ (ut ait Beda) ne fides credentium, non uirtute dei, sed eloquentia atq; doctrina fieri putaretur: ut Apostolus ait, Non in sapientia uerbi, ne euacuetur crux Christi. Idiotæ enim dicebantur, qui propria lingua naturaliq; scientia contenti, artes & literarum studiã nesciebant. Siquidem Græci *ἰδιώται* proprium uocãt. Plura huius generis inuenias in 1. ad Corinth. cap. 1. & 2. Neq; tamen mirandum quòd hostes uerbi nihil possunt contra apostolos. Dixerat enim dominus, Dabo uobis os & sapientiam, cui resistere non poterunt omnes qui aduersantur uobis, Lucæ 11.

iussis autem illis è concilio secedere, conferebant inter sese, dicẽtes:
Quid faciemus hominibus istis? Nam conspicuum signum æditũ esse
per eos, omnibus habitantibus Hierosolymis manifestũ est, nec possu-
mus inficiari.

Simile in omnem modum consilium habemus Ioannis 11. hoc est consiliũ amens, temerarium, & prorsus perturbatum. Et sanè talia oportet esse omnia omnium principum consilia, quæ ex humanis oriuntur adfectibus, & contra ueritatem instituuntur Euangelicam. Videbant illi quid uerum, quid iustum, sed cedere nolebant. Nam suis timebant compendijs. Atqui raro bene cedunt eiusmodi consilia. Impietas enim tyranniscq; uitrea est, quæ dum ridet coruscãtq; frangitur.

Sed ne amplius diuulgetur in populum, minaciter interminemur eis, ne posthac loquantur in nomine hoc ulli hominum. Et accersitis illis, præceperunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.

Temeritas hu-
mana.

O impudentiam: proscribunt quod erroris conuincere non possunt. O stultitiam & temeritatem postremam, quasi uero ueritas & cœlitus regnãtis uis à humana possit opprimi proteruia. En mihi stolidos homines, qui mortuum in sepulchro non poterunt retinere, illi iam rediuiuum & cœlitus regnantem insectari & proscribere tentant. Verum id nostri quoq; solent, qui minis, edictis, idq; genus alijs offucijs, ueritati incommodare quidem tentant, sed parum proficiunt. Hic dicunt, *μη φθίγγεσθε*, id est, ne hiscatis quidem aut tantillam de Christo uocem emiseritis. Ita & nostri Bullas & Edicta

Edicta sesquipedalibus uerbis conscripta, & omnigenis conuitijs turgentia euomunt. Nolunt enim nomen Christi annunciari, qui suum nomen quærunt. Et hæc quidem est mundi uæfania.

At Petrus & Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: An iustum sit in cōspectu dei uos potius audire quàm deum, iudicate. Non enim possumus, quæ uidimus & audiuius, non loqui.

Sed hæc est Christiana cōstantia, Deo potius quàm hominibus obedire. Venustum est autem illud quod per concessionem quandam ipsos actores asciscunt iudices. Ipsi (inquiunt) iudicabitis, si modo uerum fateri uelitis, uos ipsos hoc uestro præcepto de silenda ueritate præscripto, toto errare cœlo. Quomodo enim poterimus nos id quod uerum & compertum esse nouimus tanquam falsum & dubium transire? Quis obsecro sanæ mentis hoc aut exegerit à quoquã, aut præstiterit etiamsi præstari possit? Hic autem uidere est quanta sit fidei nostræ certitudo.

At illi additis minis, dimiserunt eos, nihil inuenientes, qua ratione punirent eos propter populum: quia omnes glorificabāt deum super eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo æditum fuerat signum istud sanationis.

Impij uero quasi mare feruens, quod quiescere non potest, minas cumulant. Aposto- Dominus suos
conseruat.
li contra firma fide minas contemnunt, & in ccepta confessaq; ueritate pergunt. Atque hic inserit dominus impiorum pectoribus timorem populi. Deus enim medijs quibusdam suos seruat ad gloriam nominis sui: at ubi illi uisum fuerit, protinus eos ad se recipit nemine obstante. Plures enim tum erant Christiani cum Petrus caderetur, q̄ nunc sint: uerum tunc suo defunctus erat officio. Et plebs ipsa quæ raro aliàs sapit, hic sapiebat, spiritu dei imbuta: quocirca ueritati tenaciter hærebat, permota etiam nonnihil insigni miraculo, ad cuius robur id quoq; faciebat, quod annorum numerus tātus erat. Si em̄ natus erat annos quadraginta, & ab utero matris claudus fuerat, certe quadraginta annis claudus fuerat.

Dimissi autem uenerunt ad suos, & annunciauerunt quæcunq; sibi principes sacerdotū & seniores dixerant. Qui quum audissent, unanimitè attollebant uocem ad deum, dixeruntq;:

Hactenus expositum est quid mundus aduersus ueritatem moliat: rursus quanto nixu inter opprimentium turbas enitatur ueritas: nunc exponetur quomodo in turbis hisce sese gesserit ecclesia. Vnde nos quoq; discemus quid in tentatione sit agendum. Confugiūt autem ad tutissimum omnium miserorum asylum, deum, hunc indefessis pulsant precibus. Nihil enim tam efficax est, atq; oratio ecclesiæ unanimitè. Cæterum quod Acta apud senatum ecclesiæ exponunt, argumento est quod & nobis licet toti ecclesiæ ea exponere quæ commodo aut incōmodo esse possunt ecclesiæ nostræ: ut interim seditionis nemo accusare possit.

Domine, tu es deus, qui fecisti cœlum ac terrā, mare, & omnia quæ in eis sunt, qui per os Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Adstiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum, & aduersus Christum eius. Conuenerunt enim uere aduersus sanctum filium tuum Iesum, quem unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël, ad faciendū quæcunq; manus tua, & cōsiliū tuum prius decreuerat ut fierent.

Iam ipsam quoq; orationē, quam ad deum habuit ecclesia, format. Scopus oratio-

Oratio ecclesie.

nis est, Petit ecclesia ut deus uirtute sua conseruet ueritatem, ministros ueritatis confirmet, ac ecclesiam uniuersam protegat. Auspicatur autem à dei omnipotentia quæ rebus conditis patefacta est, & quæ recte expensa fidem in deum animat. Hoc autem dicit ecclesia, Potentissimus es ò domine deus, & potentiam tuam rebus conditis ita declarasti, ut nulli prorsus dubium sit, quin nemo sit mortalium, qui tibi resistere possit. Ad sis ergo nobis ne prorsus pereamus, qui aliàs probe nouimus absq; tribulatione regnū filij tui esse non posse. Primus enim ille passus est, nec aliter tamen quàm propheta Dauid prædixerat, neq; uero & aliud nos uel hodie perpetimur quàm quod idem ille prædixit, fore ut aduersus ueritatis euangelijq; negotium optimates quicq; sint pugnaturi. De loco Psal. 2. non est quod agam pluribus, expositionem subiecit ecclesia. Et ne quis deum impotentem esse suspicaretur propter impiorum uiolentiam, subiungit, quod ea omnia non impiorum artibus, & ui, sed diuino patrata sint consilio.

Et nunc domine aspice in minas eorum: & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum: manum tuam porrigendo in hoc, ut sanatio & signa, & prodigia ædantur per nomen sancti filij tui Iesu.

Hic demum absoluitur oratio: iam enim petunt. Nihil autem pro sua, sed tantum pro dei gloria petunt. In primis autem ut uerbum ueritatis fructescat. Tu (inquiunt) qui iam iam filium excitasti, & ad dexteram tuam exaltasti, istorum quoq; minas infringe: & præsta ut & ueritas uincat, & serui ueritatis tuæ cum dicendi libertate, tum agendi potentia spectabiles efficiantur. Nec frustra orarunt. Sequitur enim:

Et quum orassent illi, motus est locus in quo erant congregati, & repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur sermonem dei cum fiducia.

Dixerat enim dominus: Quicquid petieritis à patre in nomine meo dabit uobis. Constatior est autem deus, quàm qui mentiri possit, uel Ieremia teste in 32. & 33. Sed & in 15. cap. huius operis audiemus oratione fideli neruū & omne Herodis robur esse fractū: terram quoq; in 16. Paulo & Syla in carcerem conclusis, fuisse commotam. Beda, Indicium auditæ precis (inquit) terræ motu percipiunt, quatenus agnoscerent terrena sibi corda esse cessura. Chrysost. Audi prophetam (ait) A facie domini mota est terra, à facie dei Iacob. Et facit deus etiam per maiorem terrorem & ad fiduciam illos inducens post magnas illas minas, & ad libertatem maiorem exercens. Huc pertinet quod mox sequitur, Repleti sunt spiritu sancto, id est, spiritu sancto animati sunt adeo, ut iam loquerentur liberrime uerbum domini.

Multitudinis autem credentium erat cor unum, & anima una,

Idem ferè dicit quod superius in cap. 2. dixerat. Porrò de ijs dicitur quod unum cor & animam unam habeant quibus inter se optime conuenit. Germani pari utimur schemate quum dicimus, Es ist ein hertz vnd ein gmit. Vel, Es ist ein lyb vnd 300 seel. Quamuis hoc posterius paulò sit diuersius. Quod autem hæc ad hunc modum de arctissima coniunctione & charitate intelligi debeant, intelligitur ex consequentibus.

nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat: sed erant illis omnia communia. Et uirtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis domini Iesu, & gratia magna erat super omnes illos. Neq; enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut ædium erant, uendentes afferebant precia eorum quæ uendita fuerant, & ponebant ad pedes apostolorum.

*Omnia erant
communia.*

Distribuebatur autem singulis prout cuiq; opus erat.

Sic inquam coniuncti erant ut amici solent, quibus omnia sunt communia, opes,
fortunæ,

fortuna, & quicquid est rerum quæ ad uitæ usum pertinent. Communio autem hæc (ut & in 2. cap. monuimus) non erat talis qualem Catabaptistæ uellent, sed ius & proprietas possessionis manebat in dominio possidentis, cæterum ea quæ possidebat non ita possidebat, ut solent qui proprietatis nomine gaudent, ac uelut soli terram inhabitanturi proprietatem rerum sectantur, sed ueluti communes omnium opes ceu dispensatores asseruantes, liberaliter impartiebantur. Vnde fiebat ut nullus esset apud eos egenus. Iam sequitur declaratio, Locupletes enim uendebant possessiones suas, & precio iuuabant inopes. Neq; uero hic quisq; (quod probe obseruabis) quantum uolebat accipiebat, sed unicuiq; prout opus erat distribuebat. De qua distributione plura in 6. sequentur. Diuus Augustinus de moribus ecclesiæ catholicæ contra Manichæos lib. 1. cap. 35. de hac eadem re docte disputans, Quid (inquit) calumniamini quod fideles & iam baptisate renouati procreare filios & agros ac domos pecuniamq; ullam possidere non debeant? Permittit hoc Paulus. Nam quod negari nõ potest fidelibus scripsit. Post multorum quippe uitiosorum annumerationem qui regnum dei non possidebunt, Et hæc quidem fuistis (inquit) sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine domini Iesu Christi, & in spiritu domini nostri. Ablutos proculdubio & sanctificatos nemo nisi fideles, & eos qui huic mundo renunciauerint intelligere audebit. Sed quoniam ostendit quibus scripserit, uideamus utrum his illa permittat. Ita enim sequitur: Omnia mihi licita sunt, sed non omnia expediunt: omnia mihi licita sunt, sed ego sub nullius redigar potestate. Esca uentri, & uenter escis. Et quæ sequuntur. Nam reliqua 6. & pleraq; 7. cap. prioris ad Corinth. subiungit. Idem in libello de hæresibus ad Quoduultdeum in Apostolicorum titulo eos recenset inter hæreticos, qui illicitum aiebant, ut Christianus proprias possideret facultates. Hos enim Encratitis iugit. Ex istis omnibus autem discimus charitati studere, & cõmunicationis non obliuisci. Hoc certe nemo ierit infortias, nullos apud nos quoq; fore egenos, si externarum fortunarum fideles essemus dispensatores, & si quisq; suam prouinciã strenue obiret. Quotus enim quisq; nostrum esset otiosus? Pauci ergo essent egentes, qui liberalitate nostra ditissime possent nutrirı. Nutriuimus olim impensis communibus tot monachorũ Chiliades, tot deniq; impostorũ myriades, quid quod omnia templa ad luxum, imò miraculum usq; ornauimus? Ergo si cordi nobis esset pietas, minimo negotio consuli posset egenis. Verum ad idololatriam instruendã omnes eramus promotissimi, nunc uero pauperũ nemo miseretur. Et quod hisce inseritur apostolos resurrectioni domini magna uirtute dedisse testimonium, uirtus eo loci non modo pro miraculorum potentia, sed & pro autoritate & libertate cum agendi, tum dicendi usurpatur. Resurrectionẽ quoq; hic pro toto Christi negotio posuit, ut in 1. capite.

Mores nostri
seculi.

Iosus uero, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis: quod est, filius consolationis, Leuites, Cyprius genere, quũ haberet agrum, uen didit eum, & attulit precium, & posuit ad pedes apostolorum.

Peculiare boni uiri exemplum est, cui mox opponit pessimi Ananiæ paradigma. Et animi constantia liberalitasq; priori cognomen indidit lærum. Nam ex ipsa re dictus est Barnabas, quasi tu dicas, Filius refocillationis, id est, uir consolationis. Germanus diceret, Ein trostlicher, redlicher uel, Trosthart, sicut Rychard, Leonhart, id est, ditissimus & prorsus Leoninus. Hebræi eiusmodi suo more filios dicunt: ut filius perditionis, pro perditissimo. Proinde non abs re credit Beda allegoriam uerbis inesse, quoties scriptura sacra nomina rerum uel personarum cum interpretatione ponit. Merito enim filius inquit cõsolationis uocatur, qui presentia contemnens spe futurorum consolatur. Nec caret mysterio, quod pecunias ad pedes abijcit apostolorum, Id uero carmine explicã Arator dixit:

Ponitur ante pedes, non sacris dedita dextris,
Destitui debere probant quod tangere uitant,
Calcandumq; docent quod subdunt gressibus aurum.

De quo terrenæ ueniunt ad pectora curæ,
 Conſimili iactatur humo.

Matth. 5. Ad præſens Barnabæ exemplum plurimum facere uidentur quæ referunt hiftoriæ de Paulino epifcopo Nolano. Is enim dum Barbari Nolam diruerēt, Domine (inquit) non excrucier propter aurum & argentum. Vbi enim omnia mea ſint tu ſcis. Idem ille pro captiuis redimendis omnem cenſum cōſumpſit. Authores Ambro. Officio. lib. 3. cap. 28. Auguſti. de Ciuitate dei lib. 7. cap. 10. & Paulus Diaconus.

CAP. V. Vir autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore ſua uen-
 diderat poſſeſſionem, & ſepoſuerat de precio, cōſcia etiā uxore ſua,
 & allatam partem aliquam ad pedes apoſtolorum poſuit.

*Seuerum exem-
 plum.* Hoc ipſum eſt illud uerſutiſſimi hominis Ananiae paradigma, ſuperiori ex diametro oppoſitum. Nunquam enim tam felix & purgata fuit eccleſia, ut in ea non eſſent hypo-
 critæ & mali. Quando & in duodenario electoꝝ apoſtolorum choro inuentus ſit pro-
 ditor. Oportebat autem inter prima eccleſiæ initia ſeuerum aliquod ædi facinus, ne le-
 nitas doctrinæ apoſtolicæ apud hypocritas & palam impios proſus ueniret in cōtem-
 ptum. Raro itaq; & horribili exemplo perit Ananias: cuius peccatum graphice primo
 deſcribitur, ſecundo interitus. Peccatum autem reuera unum erat, diffidentia quidem,
 ſed auaritia & hypocriſi teſtum. Volebat enim ille (noſtrorū more) duabus ſedere ſel-
 lis, & illuſtris haberi in eccleſia, cuius rei gratia, partem facultatum offerebat: & tutus in-
 terim eſſe, ſi res ſiniſtrius cederent apoſtolicæ; hinc enim alteram facultatū partem con-
 didit, ut tum ſuppeteret unde uiueret. Typus eſt omnium hypocritarū & uerſutorum
 hominum, qui cum corde ſint duplici, nihil ſynceri agunt. Oculum enim impurū ha-
 bent, qui gloriam humanam & compendium periturum ſpectat.

Dixit autē Petrus: Anania, cur impleuit ſatanas cor tuum, ut menti-
 reris ſpiritui ſancto, & fraudares de precio agri?

*Hypocriſis ex
 diabolo.* Nihil enim opertū quod non reueletur. Dominus enim reuelat ſeruis ſuis hominū
 malitiam, ut eam accuſent, & ad pœnitentiam hortentur. Petrus ergo peccatū Ananiae
 ſpiritu dei olfaciens ipſum grauiffime accuſat. Et principio quidem oſtendit authorem
 inſtituti ſui non eſſe ſpiritum dei bonum, ſed ſatanam; deinde hoc ipſum hypocriſim
 & excogitatam referre malitiam, quod tantum ſcelus ex uerſutia (uel conſcientia teſte)
 faciens, ex ſpiritu dei factum uideri uellet. Hinc per interrogationē, imō admirationem
 indignabūdā effert orationem, & ait: Cur impleuit ſatanas cor tuum, ut mentireris
 ſpiritum ſanctum? Sic enim habet codex Græcus, *ἔπεισθη αὐτὸν τὸ πνεῦμα, τὸ ἄγιον*. Cæte-
 rum Latine dicimus eos religionem mentiri, qui mentiēdo, id eſt, ſimulando religioſi
 uideri uolunt. Mentiebatur ergo ſpiritum ſanctum, quod ſimularet ſe ſpiritu dei bono
 facere, quod tamen ſpiritu malo incitante patrabat. Atqui Græcis frequentiffimum eſt
 ut accuſatiui ponantur pro datiuis. Recte igitur legimus, ut mentireris ſpiritui ſancto.
 Quemadmodum paulo poſt exactiſſime expoſitum legimus, Non mentitus es homi-
 nibus, ſed deo. Sed quod nam illud mendaciū; quæ illa impoſtura eſt? Fraudare de pre-
 cio agri. Simulare inquam quod omnem ſubſtātiā inſumpſeris in egenorum alimo-
 niam, cum interim partem optimam ex diffidentia tibi ipſi reſeruaris. Vbi clariffime ui-
 des diffidentia iunctam eſſe auaritiā unā cum hypocriſi: à quibus malis ſi quis ſibi ca-
 uerit magnam animi ſerenitatem libertatemq; acquirit.

Nōne proſus tibi manebat, & uenundatus in tua erat poteſtate?
 Quare poſuiſti in corde tuo rem iſtam? Non es mentitus hominibus,
 ſed Deo.

Verba Græca Hebræam referunt anadiploſin ac epitaſin *οὐχὶ μὲν οὖν σοὶ ἔμμενε*, id eſt,
 Nōne manens tibi manebat, hoc eſt, uerè ac proſus tibi, nemine reclamante, mane-
 bat. Amplificat enim peccatum miſeri, idq; gradibus duobus. Primo, Nemo cogebat
 uendere. Secundo, Et ſi uendideras, nemo cogebat te precium adferre. Nam ſeruare ro-
 tum

tum licebat, Ex quibus uerbis duo colligimus. Prius, unū atq; idem peccatū gradibus increfcere & feipfo subinde grauius fieri. Posterius, communionē primitiue ecclefiæ, neq; coactam fuiſſe, ut ille qui nō omnia uendidiffet & pauperibus dediffet Christianus non eſſet, neq; talem qualē hodie ſomniāt Anabaptiſtæ Manicheorū ſoboles. Iam per acerbā obiurgationē ſubiungit, Quare poſuiſti in corde tuo rem iſtā? Quod locutionis genus Germani ita efferimus, *wie haſtu das nun döſſen in din hertz nemmē?* Quoties monemur rē uel turpiorē, uel ſcleratiore eſſe, quā quæ in hominis debeat incidere pectus. Iā uero addit pondus, Non es mentitus hominibus, ſed deo. Deus em̄ cordium ſcrutator eſt. Hominibus quidē citra negotium imponimus: at deū ipſum nemo decipere poteſt. Arduum eſt aut̄ illud quod audimus eos qui ſeruis dei in negotio fidei ac religionis mentiuntur, non hominibus, ſed ipſi deo mentiri. Eſt et hoc à multis diligenter obſeruatum, *Aduerſus Macedonicum.* quod hic dicitur, Non es mentitus hominibus, ſed deo. Inde ſic colligunt, Ananias ſpiritus mentitus eſt, & deo mentitus eſt: ergo ſpiritus ſanctus eſt deus.

Audiens autem Ananias hæc uerba, collapsus expirauit. Et ortus eſt timor magnus ſuper omnes qui audierunt hæc. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, elatumq; ſepelierunt.

Deus iuſtus uindex animaduertit in ſclera impiorum. Corruit ergo Ananias, neq; uerbis, neq; execratione Petri ſuſus, ſed propria malitiā, per iram dei, proſtratus. Nihil enim Petrus illi imprecatus erat incōmodi, ſed peccatum eius duntaxat protraxerat ac *Hypocriſis puni-* *nitur.* accuſarat. Cæterum huic protinus aderat iuſta dei uindicta, proinde concidebat rea conſcientia. Neque uero hic quicquā agebatur de iactura preci, ſed de hypocriſi, auaritia, ac diffidentia. Voluit enim hoc exemplo declarare dominus quantopere ipſi diſplicet hypocriſis quorundam hominum, qui ſpecie & fucō Christiani ſunt, at ipſa re impoſtores, ac diuinarum rerum contemptores. Hinc uero omnia tam graphice ſunt depicta ut rem quis agi magis quā exponi putare poſſit.

Interceſſit autem fermē horarum trium interuallum, uxor quoque ipſius neſciens quod factū fuerat, introiuit. Reſpondit autē ei Petrus: Dic mihi, num tanti agrum uendidiffiſ? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autem ait ad eam: Cur conſpiraffiſ inter uos, ut tentaretis ſpiritū domini? Ecce pedes eorum, qui ſepelierunt uirum tuum, ad oſtium ad ſunt, & efferent te. Confeſtim autem concidit ad pedes eius, & expirauit. Ingreſſi autem iuuenes, reppererunt illam mortuam, & extulerunt ac ſepelierunt iuxta uirum ſuum.

Simili exemplo extincta eſt & Ananiæ uxor Saphira. Non enim abs re putauit uetu *Interitus impio-* *rum.* ſtas periculoſam eſſe malorum amicitiam. Reperit deus aliquando nocentes, nec cuiquam parcit impio. At ipſa impietas & hypocriſis ſupra modum impudens eſt, nec minus audax. Cordate enim reſpondet Saphira & ſine fronte mentitur, uſque adeo, ut uel cordato imponere poſſit. Sed non mouetur prudens ſimplicitas impiorū ac hypocritarum grandiloquentia: neq; ipſe deus fucum, ſed ueritatem reſpicit. Igitur mendacem & impudentem Saphiram fundit. Iam uero expende an non etiam ipſe deus uinculis aſtringat arctiſſimis, quos in uerbo ueritatis & per obiurgationem ligauerint uerbi ueritatis miniſtri. Hinc itaq; conijce que ſit uis & adminiſtratio clauium. De quibus com *Magiſtratus iu-* *re occidit bla-* *ſphemos.* modius alibi dicitur. Colligimus item ex hoc loco à magiſtratu iure occidi blaſphemos & maleficos homines. Hæc enim puniendi ratio cuius hic meminit ſcriptura ueluti extraordinaria eſt: licebit ergo ordinaria in fontes animaduertere. Et ſpiritus dei non minus agit in Christiano magiſtratu dum ſolitis puniendi utitur instrumentis, quā egit in Petro utente inſolitis, nempe uerbis. Occidere eſt occidere, punire eſt hoc quod dicitur quocunq; fiat modo quocunq; instrumento. Sed apoſtoli (ais) non ſunt uſi

instrumentis uulgatis. Nec tu utere, si uerbi tantum ut illi geris officium. Verū ut concedis benefacere qui uocati sunt ad munus medicum, quum sanant ordinarijs medijs, etsi apostoli curarint morbos extraordinarijs nempe uerbis: ita agnoscere quoq; cogaris benefacere magistratus quum puniunt blasphemos, aduersantes sanæ doctrinæ, & sceleratos instrumentis suæ uocationis, nempe gladio, sicut apostoli suis, id est, uerbis. Iam ut non peccant magistratus cum suo funguntur officio, ita non peccant ministri uerbi, cum illos admonent sui officij.

Et ortus est timor magnus super uniuersam congregationem, & super omnes qui audiebant hæc.

Scopus huius facinoris est, ut timeamus dominum, & in ueritate coram illo ambulemus. Nam etiam si hypocritæ superbia ad cælum usq; (ut ait Sophar) ascenderit, & caput eius nubes attigerit, tandem tamen quasi sterquilinium peribit: & qui uiderant eum, dicent, Vbi est? At qui dominum timuerint, & in ueritate permanerint in æternum, non peribunt, Iob 20. Omnes (inquit Lucas) qui audiebāt hoc facinus, timebāt. Audiuimus & nos, ergo timeamus.

Per manus autem apostolorum aedebantur signa ac prodigia multa in populo. (Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis. Cæterorum autem nemo audebat se cōiungere illis, sed magnificabat eos populus: magis autem accrescebat credentium domino multitudo uirorum simul ac mulierum) ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autem & multitudo uicinarum ciuitatum Hierosolymam, afferens ægros ac uexatos à spiritibus immundis, qui sanabantur omnes.

Ordo sermonis est hoc in loco paulò perturbatior. Complandus ergo siue subintellectis aliquot uocibus, siue interposito parètheseos signo, quod ut simplicius ita magis genuinū esse uidetur. Si uero propterea horreas parèthesim quod Græci eam non habeant, iam necesse est intelligas neminem efferre ad apostolum ægros potuisse nisi credentes, & iccirco scriptum esse, Creuit credentiū multitudo, ita ut in plateas exportarent infirmos. Aliàs enim inabsoluta erit oratio. Nihil enim habebit hoc membrum ita ut, cui hæreat siue respondeat. Verum per parèthesim (ut dixi) absolueris hæc com modissime. Nunc autem iterum describit miracula apostolorum diuina uirtute facta, cætus, concordiam, credentium incrementa, ac prophanorum hominum stuporem ac timorem. Congregabantur ad preces & uerbi diuini prædicationem non in recessu aut abdito loco, sed in celeberrima Solomonici templi parte, in porticu uidelicet. Non enim locus per se, credentes polluit, sed loci superstitio ac abusus. Ingrediebantur illi templum, sed religioni non fidebant, nec sacrificabant. Imò legimus Romæ & Alexandriae uetera dæmonum delubra per sanum uerbi dei, precum, & sacramentorum usum in dei consecrata esse oratoria. Vnde iam non ipsi loco per se quidem quicquam tribuitur sanctimonix, quum dicimus sacra templa, & ecclesiam dei sacrosanctā, sed propter res sacrosanctas, quas in ipsa peragit ecclesia sacrosancti nomē indipiscitur. Quis enim impune prophanarit ædem siue palatium senatoriū? at quis tam uæcors, qui credat hoc quicquam præstare cæteris ædificijs? Ergo harum rerū æstimatio ex usu & abusu, non ab externa pendet specie. Nemo ergo miretur quòd in templo conuenerunt Iudaico. Cæterum in publico isto cætu primas tenebat unanimitas ac concordia. Cum enim omnis congregatio ecclesiastica congregatur ad audiendum uerbum dei, ad celebrandam eucharistiam, & ad offerendas puras preces domino: hæc autem omnia citra charitatis uinculum subsistere nequeant, haud iniuria tam diligenter monetur cæterum istorum

Ingressus in
templum.

istorum prorsus fuisse unanimem. Hæc item cōcordia & sanctimoniam studium auctoritatem apud prophanos quoq; parauit credentibus. Non enim minis aut tyrannide aut hypocrisi uera paratur auctoritas, sed iustitia & charitate: quæ cum inter istos essent præcipua, nihil mirum quod exteri & impuri se non auderent iungere concioni tam sanctæ. Faciebat & ad hanc rem non nihil seuerum Ananiæ exemplum. Quisq; enim ue rebatur, ne forsan simili interiret supplicio. Porrò de miraculis non est quod plura agam hic, quādo iam satis constat, uel ex tertio huius libri capite, quod omnis uirtus miraculorum dei est, non hominis, per quem secundum dispensationem apud nos agit. Per solem administrat orbi cœlestis pater lumen eximium: at quis tam stolidus, ut huius rei gratia censeat solem esse colendū? Vnus enim deus colendus est, qui omnia operatur in omnibus, cuius tanta est potētia ac gloria, ut eius umbra efficacior ac robustior sit omni robore humano. Huc enim pertinet quod de Petri umbra refertur. Non enim credendū est quod umbra hominis tam fuerit efficax, sed quod uirtus dei quæ se secundum dispensationem nobis minutis rebus ita insinuat, egregia ista effecerit. Nam & in Euangelio uirtuti dei absolute tribuitur quod fimbriæ uestis Christi uidebatur ascriptum. Palam enim dicit dominus, Tetigit me aliquis. Nam & ego sensi uirtutē ex me exisse. Alij hic de umbra Petri disputantes mire se torquent, & aiunt illud uerbum domini hic esse completum, quod ad discipulos apud Ioannē dixit, Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & maiora his faciet. Certe nos ex ijs & similibus prodigijs discimus deum ut omnipotentem, sic mire benignum esse, qui & possit & uelit omnes & animi & corporis tui morbos curare, modo ipsi fidas, ipsum inuoces, adores & colas. Huc enim trahunt apostoli cum doctrina sua tum miraculis. De qua re in 3. cap. dictum est.

*Auctoritas qui
bus rebus paratur.*

Umbra Petri.

Exurgens autem princeps sacerdotum, & omnes qui cum illo erāt, quæ est factio Sadducæorū, repleti sunt æmulatione, & iniecerunt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

Recte censuit uetustas uirtutem comitem habere inuidiam. Videmus enim impiissimos mortaliū Phariseos ac Sadducæos nulla neq; sancta constantia neq; ueritate diuina permoueri, neq; prodigijs territari, sed æmulatione a deo superari, ut innoxios iam in publicam ceu in publico crimine deprehensos ponant custodia. Atq; hæc iam in 3. capite audiuius esse impiorum arma. Sed ô miseram religionem, quæ non potest aliter defendi, q̄ pessimorum nebulonum armis, & tyrannorum iniuria atq; rapina.

Sed angelus domini per noctem aperuit ianuas carceris, eductisq; illis, dixit: Ite, & stantes loquamini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Illi uero cum hæc audissent, intrauerūt diluculo in templum ac docebant.

Propheta Prouer. 16. Cor hominis (inquit) deliberat de uia sua: dominus uero promouet gressus suos. Impij ergo constituerant uinculis & carcere prædicationem coercere euangelicam, sed dominus longe aliud instituerat: coruumq; deludit hiantem. Nam ut uerbum dei alligari non potest, ita ipse deus ministros uerbi sui non potest non tueri & à periculis eripere. Nemo ergo posthac uincula ac carceres timeat. Si deo uisum sit, eripere poterit: sin minus, attamen saluabit. Impij sanè præcipiunt ueritatem fileamus, atqui deus, Ite (inquit) & stantes prædicate omnia uerba uitæ huius. Euangeliū autem est uerbum uitæ, testimonium præbens de Iesu Christo, qui est uia, ueritas & uita. Iam sancti malunt præcipienti domino obedire quàm minis tyrannorum obsequi.

Adueniens autem princeps sacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium & uniuersum seniorum ordinem filiorum Israël: miseruntq; ad carcerem qui adducerēt eos. Cum autem uenissent ministri, nec reperissent illos in carcere, reuersi nunciauerūt, dicentes:

Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas: cum aperuissemus autem, neminem intus reperimus. Vt autem audierunt hos sermones, & sacerdos, & magistratus templi, principesque sacerdotum, ambigebant de illis, quid nam hoc futurum esset. Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Ecce, uiri quos posueratis in carcere, sunt in templo stantes, ac docetes populum.

Supra modum iucunda est hæc historia, qua ceu in tabula spectandum proponitur quàm uana sint hominum aduersus deum & ueritatem eius consilia, quàm facete item frustratur ille maximos etiam orbis procerum conatus. Hoc futurum præuidit propheta, & iccirco cecinit, Vt quid fremunt Gentes? cur uana moluntur populi? Concurant reges orbis, & principes in unum coeunt aduersus dominum & Christum eius. Rumpamus (inquiunt) uincula eorum, & lora eorum à nobis proiciamus. At qui cœlos habitat dominus ridet ac ludit eos. In ira ac furore suo conturbat eos. Quid autem potuit huic uaticinio quadrantius aptari, quàm quod hoc in loco descriptum audimus? Principes uidelicet maxima grauitate considerare, consultare, uinctosque in medium statuendos uocare; quos interim è uinculis eduxerat dominus, itaque principes deluserat, qui tamen mire anguntur utpote perplexi (hoc enim potest uerbum ἀντιόρρηστος ambigebant) & inopes consilij, & hoc ipso omnium stolidissimi quòd ab incepto non desistebant, qui contra ueritatem nihil auspicate ac feliciter incipiebant. Verum hic est omnium contra ueritatem occæcatorum mos. Quo enim minus proficiunt, hoc magis sese in procinctu Martis expediunt. Hic quoque habes quod illis opponas qui captiosa quaestione interrogant, quomodo uerum corpus Christi ad discipulos clausis peruenire potuerit ianuis? Nam ut iam nõ dicam nullibi extare quòd per clausas peruerit ianuas, hoc tamen uicissim ab illis scire cupio, quomodo carcere clauso apostoli, qui ad uesperam in illum erant positi, nunc ad auroram potuerint in templo concionari? Quòd si responderint, Angelum ianuas aperuisse carceris, & eductos in templum statuisse, quid prohibebit quo minus id quoque Christo exhibitum credam, de quo scriptum est, Ex angeli accedebant & ministrabant ei? Quid obsecro nodum quaerimus in scirpo? An uero cuiquam suadebit pietas, ut contentionis gratia in dubium uertat rediuiui corporis Christi ueritatem, qua labefactata, necessarium est & corporis nostri labefactatam esse resurrectionem? Quasi uero corpus clarificatum exuta carne & in phantasma uersum, ita corpus ianuae transeat, ut solent radij solares uitrum transparenere. Sed redimus.

Tunc abiit magistratus cum ministris, & adduxit illos sine uis. Timebant enim populum, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, stauerunt in concilio.

Semper enim suos defendit deus, ut impij non noceant quando uolunt, sed quando ipsi uisum fuerit. Interim media quaedam ordinat per que suos seruat. Turpe autem est quòd principes plebem plus timent quàm deum, sed impij non credunt deum, ergo deum non requirunt, terrenis ac uisibilibus tantum mouentur. Sed & ipsa rea conscientia, impietatis sensu transfixa non sinit tantum nocere quantum aliàs cupit impietas. Existit enim è serena conscientia serenitas & confidentia, è nubila uero horror atque pauor. Nam recte dixit poeta, Timet mali sibi conscia mens.

Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Nonne etiã atque etiam præcepimus uobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius.

Probe refert istorum hominum tumentem grandiloquentiã. Nonne (inquit) præcipiendo præcepimus uobis, id est, acriter, & summa cum seueritate præcepimus uobis, ut à

ut à prædicandi, id est, tumultuandi functione abstineretis? Tria enim impingunt apostolis. Primum, quod senatus consultum & scribarum edictum & uiolarint & contempserint. Secundum, quod prædicatione nominis Christi plebem seduxerint. Tertium, quod tumultum & cædes in senatum deriuare instituerint. Atqui ipsi in sese susceperant omnem Iesu Christi sanguinis uindictam, clamâtes, Sanguis eius super nos & super filios nostros: nunc uero id innoxii impingunt, quod ipsimet fecerunt uere omnium mortalium nocentissimi. Hoc ipsum hodie quoque obijcere solent pijs omnes ueritatis dei hostes. Cum enim obiurgantur peccata eorum & pœna nuntiatur sceleribus debita, protinus clamitant, Seditiosum esse, & sanguinis sitientem prædicatorem. Hi uidere uolunt quod sceleribus suis in sua capita iam olim prouocarint gladium domini. Non enim is inducit sanguinem innoxium in tyrannos, qui iram ac uindictam dei tyrannis paratam nuntiat, sed ipsemet tyrannus qui ita agit, ut iustitia dei iniustitiâ impij inultam nõ possit transire. Id cum ita habeat, nec quenquam lateat, nihil ad hanc peculiariter respondet accusationem, sed ad alias duas descendit, in quibus & tertiam uidebis inclusam.

Respondens autem Petrus & apostoli, dixerunt: Obedire oportet deo magis quàm hominibus.

Apologetica est hæc oratio Perri. Primo enim diluit quod obiecerant contemptum senatus consulti, sic autem diluit ut dicat magistratui quidem parendum esse, sed in negotijs civilibus & ad uitæ usum pertinentibus. At in negotijs dei deo magis obediendum esse quàm hominibus. Causam autem præsentem esse diuinam, quocirca ipsa religione adactos esse ut diuina plus quàm humanâ spectarint. Inde uero nos discimus quatenus magistratui obediendum & quatenus non sit obediendum. Obediendum quidem quoties ea præcipit quæ cum religione nostra non pugnant. Nam si impia iubeat, nemo parere debet. De qua re pluribus disputat Paulus ad Rom. 13. De obedientia.

Deus patrum nostrorum suscitauit Iesum, quem uos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & seruatorem deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israël, remissionemque peccatorum, ac nos sumus ei testes horum quæ dicimus: insuper autem & spiritus sanctus, quem dedit deus obedientibus ipsi.

Deinde uero summam prædicationis de Christo exponit, ex qua deinde appareret quod neminem seduxissent, nec in quenquam deriuassent innoxium sanguinem. Pœnitentiam enim (inquit) & remissionem peccatorum prædicamus per Christum, non seditiones. Et nihil prorsus hic de religione Christiana dicit, quod non dixerit in superioribus duabus orationibus. Constans enim & semper sui similis est prædicatione ueritatis, nisi fortassis hæc uideantur annotanda. 1. Palàm hoc sermone describi sacrosanctæ & ineffabilis Trinitatis perfectionem. Nam patris fit mentio, & filij suscitati à patre, & spiritus sancti donati obedientibus ipsi. 2. Suscitandi uerbo denuo ad uaticinium Moysi Deut. 18. allusum esse. De qua re dictum est in cap. 3. Deinde uero Christum principem ex Michææ quinto cap. & saluatorem ex Isaia propheta uocatum esse. 3. Clarissime hic repertum quod dixerat in Euangelio dominus, Sic oportebat Christum pati & resurgere à mortuis tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam ac remissionem peccatorum in omnes Gentes, initio factio ab Hierosolymis. Euangelium enim partim accusat peccata, suadet uitæ immutationem, & innocentiam docet, partim uero consolatur & remissionem peccatorum pollicetur per Christum. Porro ipse Dominus in Euangelio Ioan. decimoquinto, ita de se testaturos prædixerat spiritum & Apostolos, quemadmodum hoc loco eos testari uidemus. Sed & illud non caret mysterio, quod dicit spiritum sanctum datum esse obedientibus ipsi. Nam hoc ipso ferit conscientias optimatum, monens repugnantibus & ueritati obstantibus non conferri donum dei spiritum sanctum. Id quod & propheta præuidens dixit, Nisi Prædicatione Christi.

credideritis, non intelligetis. Iterum autem expende mihi, amice Lector, quales fuerint apostolorum conciones siue orationes de uera religione habitæ, & quantum dissideat à quorundam magno sese uenditatum orationibus, quæ non nisi de diuorum cultu, humanis traditionibus & ceremonijs sunt institutæ. Vnicum Christum prædicabant apostoli, traditiones istorum nesciebant. Omnis ergo perfectio & plenitudo in Christo Iesu constituta est, quæ ut non potest aliunde disci quàm ex prophetica & apostolica doctrina, ita non potest ulla alia re hauriri quàm fide in Christum uera ac sana.

Hæc autem cum audissent, dissecabantur, & consultabant ut interficerent illos. Surgens autem quidam in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, in precio habitus apud totum populum, iussit ut paulisper secederent foras apostoli.

Diuersa describuntur hominum ingenia. Diuersimode enim ex uerbo ueritatis afficimur: quæ quidem diuersitas non oritur ex doctrina ueritatis, sed ex animorum inæqualitate. Impij ergo hoc loco nihil aliud quàm cædem parant, & sanguinem sitiunt innoxium. In causa erat animi peruersitas & crudelitas. Gamaliel pro prudentia sua & animi modestia longe aliud decernit. Illi in templo laniandis pecudibus assueti, de sanguine & laniena disserunt. Hic uero scripturis & lege dei assuetus à crudelitate retrahit, & sapienter cõsultat. Habet enim deus ministros suos uel in impiorum medio, quorum opera ad defendendum suos utitur. Qualem hoc loco uidemus fuisse Gamaliel, cuius quidem autoritas magna fuit non tantum apud externos Iudaicæ religionis cultores, sed apud nostrates quoq;. Meminerunt enim eius non citra insignem honoris prærogatiuam Doctores ecclesiastici. Nam ipse Paulus in 22. huius libri capite fatetur se ad pedes huius Gamalielis perdidicisse legem. Hinc D. Hieronymus eius mentionem facit in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum, Imò Chrysostomus, & post hunc Beda ex autoritate Clementis Alexandrini aiunt Gamaliel fuisse in fide apostolorum socium. Minus ergo mirandū est quòd tam cordate apostolorū causam agit. Sequitur enim:

Dixitq; ad illos: Viri Israëlita, attendite uobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquem, cui adhæsit numerus uirorum circiter quadringentorū, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilū. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum multum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot paruerant ei, dispersi sunt.

Prudens Gamalielis oratio.

Suasori generis oratio est, multum habens eruditionis, prudentiæ & lenitatis. Nam ab exemplorum inductione persuadere conatur, ne in hac causa sint præcipites & temere ferantur in apostolos. Nihil autem magis mouet cum rudium tum prudentium animos quàm inductio exemplorum: potissimum si ea quæ proferuntur nupera sint, qualia erant præsentia. Priusquam uero consilij sui statum aperiret mira prudentia exempla præmittit, ut deinceps maiori securitate summam consilij sui subiungere posset, quam si ab initio protinus nudis proposuisset uerbis, ac dixisset, Abstinetes ab hominibus istis & finite illos, proculdubio parantem dicere non audiuisent. Nunc itaq; dissimulato hoc animi consilio, primum exordiolo à rei grauitate sumpto attentionem excitat auditorum, dicens, Viri Israëlita, diligenter quæso expendite quid statuatis de hominibus istis. Deinde uero causam sic auspicatur, ut aliquousq; nescias in quam partem sit inclinaturus. Protinus enim in medium producit Theodæ exemplū. Porrò hic Theodas, quem Græci codices uocant Theodam, multos Iudæorum excitauit, ut arreptis facultatibus suis, se sequeretur. Nam cum Magus esset & impostor egregius, prophetam se dei magnum iactabat, prodigiosa etiam pollicitans, se quippe mandaturum ut Iordanis finderetur fluuius, quo facilius esset transitus. Mox itaq; adhæsit illi (ut fit) maxima

Theodas.

uirorum

uirorum copia, eorum inquam qui suarum rerum profusi, alienarum uero appetentes, homines erant conscelerati, alieno ære depressi & profus conclamati: quos demum Fadus Iudææ præfectus, cohorte equitū immissa, disiecit, & partim quidem cœpit, partim uero trucidauit, Duce inter primos sectione capitis multato. Meminit huius Iosephus Antiquitatum lib. 20. cap. 4. Idem in cap. 5. libri eiusdem, item lib. 18. cap. 7. de Iuda Galilæo historiam texens, refert quomodo is ex oppido Gamalas oriundus, & Gaulonites siue Galilæus cognominatus, Saduchum quendam pharisæum sibi iungens, ingentem inter Iudæos seditionem fuscitauit. Negabat enim tributum Cæsari pendendum, & tributum aliud nihil esse dicebat, quàm integram seruitutē. Huius ergo rei gratia Cyrenius & Copinius, uiri consulares, Roma in Syriam uenientes, Iudam quidem extinxerunt, sectatores uero eius oppresserunt, & descriptionem totius prouinciæ instituerunt, cuius & Lucas meminit in priore Euangelicæ historię libro capite 2. *ἐν τῷ πρώτῳ* enim qua uoce utitur hoc loco Lucas & descriptionem & professionem significat, diuerso tamen respectu. Profitentur enim qui dant nomina, sed describunt qui accipiunt & censent. Nam in his & capitum numerus expenditur, & facultates cuiusq; æstimantur. In re militari nomina dare dicuntur milites, dum censentur, siue (ut hodie dicunt) monstrantur. Cæterum hæc Gaulonitica secta supra modum afflixit res Iudaicas. Nam etiã si Iudas seditionis & prauis dogmatis author, extinctus esset, nihilominus serpebat latius malū perniciosum, adeo ut & Christi temporibus uerteretur quæstio, An Cæsari iure diuino deberetur census? Deniq; Tiberius Alexander, qui in præfectura Syriæ Cuspido Fado successit, Iacobum atq; Simonem & ipsos Iudæ Galilæi filios, hanc ipsam ob causam, & quod peruersum dogma mordicus tenerent, crucifigi imperauit. Inuenias & hodie eius hæreseos assecclas, qui dicant neq; Decimas, neq; Census, neq; Tributa deberi. Inuenias item alios, qui soluenda esse censeant, sed nullo iure deberi asseuerēt. Verū impostores sunt, digni qui & Theodæ & Iudæ & Dosithei & Spartaci uant supplicia. Nos enim didicimus magistratui soluenda esse ea quæ magistratus sunt, deo item quæ dei sunt.

Et nūc dico uobis, abstinete ab hominibus istis, & sinite illos. Quoniam si est ex hominibus consiliū aut opus hoc, dissoluetur: Sin ex deo est, non potestis dissoluere, ne quando & deo repugnare reperiāmini. In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris: ○ ○

Iam uero totum consiliū & exemplorum uim colligit in dilemma ualidissimum. Hactenus enim ista exempla ita produxit, ut nescieris in quam partem inclinare destinatum nūc ergo palam animi sui propositum reteggit, & ait: Quocirca cum ita habeant res, uiri clarissimi, ut quæq; impietas semetipsam destruat, ego sanè consulo nihil feruētius cum hominibus istis esse tentandum. Atq; hic commodum locum habet dilemma, quod ueluti ratio ac causa huius consilij ad hunc modum subiungitur: Aut ex hominibus est quod isti agunt, aut ex deo. Si ex hominibus est, id est, si ex adfectibus humanis profectum est, iam dubio procul sua sponte dissipabitur. Quorsum ergo nobis opus anxios esse in re nō necessaria? Si uero ex deo est, iam inuiolabile est. Frustraneū ergo foret etiã si nihil nō tentaremus. Quis enim cum superno numine belligerari? Neq; enim prudentiæ, sed stoliditatis, temeritatis, item non robotis est, conari quod perficere non possis. Atq; utinam hoc consilij amplecterentur nostrorum temporum tyranni, qui ferro & flamma Euangelij segetem deuastare conātur. Pollicentur sibi breui nescio quam lucem orituram. Cæterum hoc ipsum suis quoq; pollicebatur olim & blasphemus ille Porphyrius, iam ante mille ducentos annos infeliciter extinctus. Is inquam pollicebatur Christianā religionem non amplius duraturam q̄ per trecentos & sexaginta annos. Post hos enim fore exterminandā. Sed falsus est, & salua huc usq; permansit ueritas. Quocirca nihil solidi cōsequenter & nostri quantūuis clamitent neperam Euangelij fidem ac decennalem (ut aiunt) religionē breui excindendā. Non enim

ex humana traditione, sed ex diuinis oraculis didicimus religionem nostrā. Vnde iam certa fide cognouimus quod contra hanc ne portæ quidem inferorum præualebunt. Equidem in mundo ueritatis nomine afflictionem patimur: sed uiuit qui mundum uicit. Porro quod Latinus interpret uertit, In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris, Græcus codex habet $\omega\omega\delta\eta\sigma\alpha\mu\ \delta\epsilon\ \delta\upsilon\tau\epsilon\lambda\iota$, id est, paruerūt siue obtēperarunt illi.

& cum aduocassent apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos.

Tyrannis. Vel ita paruerunt consilio Gamalielis, non ut in totum abstinerent ab apostolis, sed iam quidem à cæde sibi temperarent. Vel istud apud illos senatores usitatum fuit, quod apud quasdam respublicas usitatum uidemus, ut pauci olygarchæ tyrannide sua perumpant, quantumuis id communibus aduersetur suffragijs. Hi ergo animi sui explettes libidinem innocentes Christi seruos flagris cædunt, deinde ne posthac Christum prædicent præcipiunt. Hoc enim solet impietas. Audi ergo quid cōtrā conetur pietas.

Et illi quidem ibant gaudentes à conspectu conciliij, quod digni habiti essent, ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in templo & in singulis domibus non cessabant docere & annunciare Iesum Christum.

Patientia. Adeo non exanimarunt robusta constantiaq; apostolorum pectora minæ tyrannorum & dira supplicia, ut magis animarint. Gaudentes enim ibant à conspectu conciliij, eo quod digni habiti essent, qui pro nomine Christi contumelia afficerentur. Iam enim salutifera præceptoris in memoriam redibat commonitio, dicentis: Productos in synagoga flagris cædet uos. Beati autem estis, cum insectati fuerint uos homines propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra multa est in ecclis. In hac ergo spe sancta pergunt annunciare nomen domini Iesu, nobis in exemplum, ne unquam committeremus, ut tyrannorum minis & iniurijs fracti ueritatem desereremus. Annotandum & illud, apostolos non modo in templo, sed & in singulis domibus ita poscente persecutionis procella, docere, ne quis putaret uerbum domini loco alligatum, sed hinc quisq; colligeret administrationem uerbi iuxta ecclisæ & temporum rationem prorsus liberam esse.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER II.

PROOEMIUM.

I AÆnus primitiuæ ecclisæ ortum, infantiam, & quibus creuerit auctibus, enarrauimus: quæ nunc sequuntur peculiaria ferme sunt de certis quibusdā maximisq; ædita uiris. Primum enim se offert D. Stephani historia, graphice depingens, quantus ille fuerit in asserenda ueritate, & q̄ constanter occubuerit pro nomine Christi. Sequentur Philippi diaconi gesta, quæ ille magna quidem felicitate in Samaria coepit, & cum Aerario Candaces reginæ, & in urbibus maritimis multo felicissime absoluit. Ab his tractabitur admirabilis Pauli ad apostolatū conuersio. Postremo exponentur multa Petri præclara facinora, & quæ in urbibus maritimis, & quæ cum Cornelio Centurione, deniq; in uinculis quoq; Herodianis designauit. Quo loco & Iacobi apostoli interitus, Vocatio item gentiū, Antiochenæ ecclisæ ortus & incrementa, necnon & totius orbis fames describetur. Hæc enim omnia in unū librū coniungere placuit, quæ iam pro uirili secundum gratiā mihi à deo datam enarrabo.

CAP. VI.

I N diebus autem illis crescente numero discipulorum, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ ipsorum.

Duplici

Duplici nomine refert creuisse numerum discipulorum. Primo, ut notaret frustra-
neas esse minas quas aduersum ueritatem eiuculantur impij. Nam in illis ipsis (inquit)
diebus, quibus & atrocissime minabatur principes, & apostoli flagra essent experti, cre-
uit credentium numerus, nouis subinde discipulis ad ecclesiam prouentibus. Secun-
do, ut multitudini commode attexeret murmur, quod ut propriū omnibus hominum
turbis, ita raro inuenias uel credentium cœtum, in quo omnibus pro uoto satisfieri po-
tuerit. Nam *εὐλαστία* cupiditas & inuidia, quātumuis bene gesta, uel in suspicionem Murmur.
rapiunt, uel prorsus uitiant. Neq; uero causa murmuris aliūde nata erat, quā ex isti-
usmodi affectibus humanis. Nam cum egenis, id quod in 4. audiimus, de communi-
bus ecclesie bonis, prout cuiq; opus erat, distribueretur uictus, suspicabantur quidam
hunc indigenis liberalius, suis uero, hoc est, exteris partius suppeditari. Hinc uero inæ-
qualitatem atq; ex fauore manantem accusabant distributionem. Hoc illud murmur, ὃ
γογγυσμός murmur non simplex, sed omnino uirulentum erat, *das was der vnmil.* Proin-
de miror quid in re apertissima mouerit quosdam, ut hæc exposuerint de ministerio,
id est, officio ac seruitio quodam, quod apostoli Hebræorum mulierculis delegarint, ad
seruiendum sibi in rebus ad uitæ usum ac necessitatem spectantibus. Verum imposuit
istis fortasse ministerij uox & uiduarum significatio. *Διακονία*, enim non semper signi-
ficat ministerium quo alteri seruiamus, sed & beneficium quo afficimur, itaq; suppedita-
tionem, siue subministrationem dicere possumus. Atq; ita etiam uertit Latinus inter-
pres in 2. ad Corinth. 9. *ἵ μὲν γὰρ ἐν διακονίᾳ τῶν εἰς τοὺς ἀγαθοὺς, &c.* id est, Cæterum
de subministratione quidem, quæ fiat in sanctos, &c. Ita iam sensus huius loci hic erit,
Murmurabant Græci quod despicerentur, id est, negligenter (*das sy übersehen würdind*)
in quotidiano subsidio pauperes eorum, nec haberetur horum tam diligens ratio, atq;
Hebræorum. Nam uiduæ in sacris absolute nonnunquam citra sexus significationem Viduæ.
ponuntur pro egenis & calamitosi: ut uidere est in prophetis, qui quoties monent ui-
duis & pupillis esse subueniendum, calamitosos, & humano præsidio destitutos quosq;
intelligunt. Et dominus in euangelio dicens: *Væ uobis, quia comeditis domos uidua-
rum: non sexum notauit tantum, sed miseræ simplicisq; plebeculæ census ac facultates
intellexit, quas illi religionis prætextu in sua colligebant ratiocinaria. Et χήρα, unde est
χήρα, id est uidua, significat orbo, destituo, & bonis quibusuis priuo. Et uiduare priua-
re est. Viduertas uero calamitas quæ bonis priuauit. Hæc ad hunc modum tradunt lin-
guarum magistri. His absolutis explicandus est & ille nodus qui hic de Græcis à qui-
busdam necitur, qui nam illi esse potuerint: cum satis constet Græcos, id est, gentes in* Græci.
ecclesiam dei hoc tempore nondum fuisse admissas. Atqui non necessariū erat nodum
in scyrpo querere. Non enim scripsit Lucas, *Ortum est murmur ἐλλήνων:* sed ἐλλήνων, *sed ἐλλήνων,*
quasi quis dicat factionis Hellinistarum. Intelligit enim Iudæos qui non erant in Iudæa
nati, sed apud gentes, ad quas fuerant uel exilio, uel alio casu deportati, iam uero Hiero-
solymam commigrarant, uel certe profelytos. Locus autē hic in speciem sterilis re ipsa
mire fecundus est. Hinc enim discimus res ecclesie nunquā fuisse tam felices & emun-
ctas, ut nihil uitij in ijs repperis. Vbi ergo nūc sunt qui protinus atq; nœuum aliquem Morbi eccle-
siae.
in tanta populi multitudine cernunt, mox etiam totam ecclesiam damnāt? Sunt & alia
his similia multa quæ hinc colligi possunt.

Cæterum duodecim illi, quum iussissent adesse multitudinem disci-
pulorum, dixerunt: Non est placitum, ut nos derelicto sermone dei,
ministremus mensis. Circumspicite ergo fratres, uiros ex uobis specta-
tæ probitatis septem, plenos spiritu sancto & sapientia, quibus dele-
gabimus hoc negotij. Nos uero deprecationi & administrando ser-
moni incumbemus.

Turbæ ac querelæ plebis nulla alia re melius pacantur cōponunturq;, quā si ma- Murmuris re-
medium.
le sacra melius coniungantur, & inordinata in meliorem redigantur ordinem: aut si

rebus olim bene institutis citra socordiam & interruptionem bene utamur. Cum ergo hic nō nihil ordinis desideraretur in dispensandis opibus ecclesiasticis, quod certi non essent rebus gerendis præfecti, apostoli consulunt certos designatosq; dispensationi esse præficiendos. Id autem non faciunt propria auctoritate, sed conuocant totam discipulorum multitudinem, ne sibi ecclesiæ dictaturam uiderentur uendicare. Deinde coram tota ecclesia initio se excusant, cur non ipsi hoc negotij in sese suscipiant: inde uero uiam commonstrant, qua rebus fessis consuli possit. Excusatio hæc est: οὐκ ἀρεσθῶν, id est, non est eiusmodi ut nobis placere possit, aut quod suscipere conueniat, ut derelicto neglectoꝛue prædicandi munere, ministremus mensis. Posuit autem mensas κατὰ μέτρον ὑμῶν pro rebus ad uictum pertinentibus. Porrò ratio per quã rebus præsentibus consuli possit hæc est. Diligenter expendite (inquiunt) uobiscum qui nam sint in ecclesia

*Diaconorū or-
dinatio.*

uiri huic negotio accommodi. Sunt autem accommodi qui spectatæ probitatis, sapientia, prudentia ue non uulgaris, ac pie religiosi, hoc est pleni spiritu sancto sunt. Deprehensis ergo talibus, septem ex illis deligite præcipuos, qui hoc officij, facultatum uidelicet ecclesiasticarum dispensandi, in se suscipiant. Nos interim non indulgebimus otio, sed ea curabimus quæ & utiliora & magis nostri officij erunt. Orabimus enim pro ecclesiæ salute & felicitate, deinde & administrando sermone inuigilabimus. Hinc autem uidere est quæ sit functio sana, peculiaris & præcipua episcoporum. Non præcipitur ut illi nullam gerant pauperum curam, quorum interim Paulum uidemus gessisse accuratissimam: sed à dispensatione rerum terrenarum (nisi quantū ad uitæ necessitatem attinet) & administrandi officio submouentur. Melioribus consecrantur. Tamen si enim cuiquam uideri poterat utrunq; & prædicandi & dispensandi officium ab eodem citra alterius damnum administrari posse, uanum tamen & contemnendum non est quod dixit Petrus: Non cōuenit ut derelicto sermone dei, ministremus mensis. Putauit enim sapientissimus apostolus uerbum dei unã cum hac functione feliciter administrari non posse. Quid nos ergo tam claræ ueritati oggannimus? Quin potius audiamus Paulum similia præcipientē & dicentem: Incumbe lectioni & doctrinæ, Hæc exerce, in his esto,

” ut tuus profectus manifestus sit in omnibus. Attēde tibi ipsi & doctrinæ, persiste in his.

” Id si feceris te ipsum seruabis, & eos q te audierint. Videmus et prophetã Ieremiã omnibus se uitæ negotijs animū huc illucq; distrahētibus, extricasse, precibus aut pro populo & uerbo dñi prædicando, totum dedidisse. Certe si rem sanctam (quid enim sanctius quàm inopum gerere curam?) propter rem sanctiorem obire noluerunt apostoli, quid respondebunt qui agriculturæ, piscationi, ludo, uenationibus & mercaturis ita inuoluuntur, ut minimum temporis precibus, & sacrarum studio literarum, prædicandoq; dei uerbo impendant? Non inepte dicitur à uulgo, Qui duabus simul rebus operã impendit, neutrum absoluit, & utrunq; tandem deperdit. Consultissimum igitur fuerit, ut quisq; quam norit & ad quam uocatus sit, in hac sese exercent arte. Iam quod electio nem diaconorum attinet, plana sunt omnia, maxime si ijs conferantur quæ Apostolus de diaconis scripsit in 1. ad Timoth. 3. cap. Breuiter, diaconos cōuenit esse ἀντιρρημένους, id est boni testimonij, & spectatæ probitatis uiros, quibus nulla possit impingi auaritia, impostura aut rapina. Scribit Aelius Lampridius nobilis historicus in uita Alexandri Seueri, Christianos hoc moris habuisse, ut si quem ministrum ecclesiæ ordinare uoluisent, eius nomen publice proponerent, si forte in eo esset culpabile quod ab officio indignum repelleret. Conuenit præterea ecclesiæ ministros plenos esse spiritu sancto. Nam ex hoc est fides, ueritas, misericordia, diligentia, & cura, potissimæ ministrorum dotes. Conuenit & sapientes ac prudentes esse, ne parum exercitati & imperiti rerum, negligant atq; deperdant opes ecclesiasticas.

*Electio & pro-
batio ueterum
qualis.*

Et placuit hic sermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanum uirum plenum fide ac spiritu sancto, et Philippū, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenã, & Nicolaum profelytum Antiochenum. Hos statuerunt in conspectu apostolorum, & quum orassent,

orassent, imposuerunt eis manus.

Sanis obsequi consilijs, non minima est felicitas, Et hominibus spiritu dei imbutis obsequi, est ipsi deo obsequi. Nihil autem temere & citra maximam agūt reuerentiam fideles, sed omnia cum timore & inuocatione numinis, cumq̃ grauitate præcellenti. Huc enim pertinet manuum impositio, de qua disserui in 6. cap. Pauli ad Hebræos. Cæterum sunt qui dicant ex hoc Nicolao postmodum ortam esse hæresim, quæ ex ipso au-
Eusebius Eccles
 siast. hist. lib. 3.
 cap. 29.

thore Nicolaitarum appellatur. Quod si uerum est, nemo est qui non uideat, cœtui bonorum semper immixtos fuisse pessimos quoscq̃, quorum tamen consortio boni non sint commaculati. De qua re multis egit Aurel. Augusti, in opere quo Petiliani respondit epistolæ.

Et sermo dei crescebat, ac multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis ualde, multaq̃ turba sacerdotum obediebat fidei.

Iterum monemur creuisse negotium fidei, adeo ut etiam sacerdotes acerrimi ueritatis hostes, fidei iugo colla subderent. Nemo ergo propter peccata sua desperet. Si enim sacerdotibus illis locum pœnitentiæ concessit dominus, quibus damnatio filij dei fuit gratissima, quis post hac facile desperauerit? Et coniectura est istos integritate ecclesiæ apostolicæ permotos credidisse libentius. Sanctimonia ergo ædificatur ecclesia, nõ uolentia. Quod enim robur humanum erigit, hoc ipsum & robur humanum dericit. Ex hoc item loco denuo constat, apostolos non suum, sed dei sermonē prædicasse. Id quod uehementer pugnat cum illorum impudentia, qui in diuinis humana quærunt, neque hoc contenti, quo ferocius blasphemant, hominũ traditiones diuinis æquant, atq̃ uinam non anteferent etiam.

Porro Stephanus plenus gratia ac fortitudine, ædebat prodigia & signa magna in populo.

Descripta iam ordinaria uocatione & institutione diaconorum, auspicatur nunchistoriam Stephani elegantissimam quidem illam & fructus plenam. Præmittit autem in hac personæ descriptionem, Stephanum fuisse uirum ueracem, fidelem & firmum, plenum sancto spiritu, id est omnibus præclaris & sanctis dotibus ornatum, atq̃ ob hæc plenum gratia, id est, prorsus gratum acceptumq̃ hominibus pijs, at impijs uerèdum maxime propter inuictum animi robur. Huc accedebat miraculorum uirtus, quæ spectabilem aliàs multo efficiebat illustriorem.

Exorti sunt autem quidam è synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorũ, & Cilicum, & Asianorum, disputantes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur.

Semper enim uirtus ad se inuidiam trahit, ut Cæcias nubes. Nec pietatem ferre potest impietas. Coniurant itaq̃ in ueritatem collegia Libertinorũ, & Cyrenensium, &c. Libertini autem dicuntur Latinis (& Lucas *λιβερτινων* dixit) qui iusta seruitute manu-
Stephanus
 Collegia Liber
 tinorum,

missi sunt. Hinc uero colligimus synagogam fuisse Hierosolymis alteram, quæ aduenis instituta esset, ut Cyrenensium, Alexandrinis, Cilicibus, & Asianis, quam Libertini, hoc est manumissi, & è peregrinis hisce regionibus Hierosolymam studendi sacras literas gratia profecti, ingressi sunt. Iam uero & alteram fuisse ingenuorum & indigenarũ coniectura est. Lyranus glossam interlinearem citans Libertinos falso putauit à regione dictos esse, cum id nominis palàm doceat Valla conditionis esse. Videas hodie in nostris illis academijs, quas Vniuersitates uulgus appellat, diuersa quoq̃ pro diuersitate & hominum, & regionum constituta esse collegia. Hoc enim nobilibus, illud pauperibus ac plebeis, istud uero Germanis, hoc autem Gallis siue Scotis esse institutũ. Coniunctis ergo uiribus Libertini consilio communi feruntur in Stephanũ, quem tamen iccirco superare non potuerunt, quod dñs dixisset: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterant resistere omnes qui aduersantur uobis. Quo autè doctiores & spectabiliores erant

aduersarij Stephani, hoc maior & illustrior uictoria uiri & ueritatis.

Tunc subornarunt uiros, qui dicerent: Audiuius eum dicentem uerba contumeliosa in Mosen ac deum.

Falsa testimo-
nia.

Quod ueritatis præsidio efficere non possunt impij, hoc tentat offutij & sycophantijs. Hæc semper fuit eritq; (ut illi aiunt) procedendi uia aduersus ueritatem euangelicam & ministros eius: ut quorum synceram doctrinam iustis caussis opprimere non possunt, illorum famam liuore denigrent, & quæ sancte & uere docuerunt mendacijs & sutelis adulterent. Sic enim hodie impingitur nobis quoq; blasphemia in deum, diuorum contemptus, sacramentorum proculcatio, bonorum operum proscriptio, ecclesie sancte contemptus, & omnium bonarum rerum odium. Sic illi armati coram misera & plus nimio stulta ac credula plebecula in euangelicos (ut uocant) inuehuntur, inuidiam & nobis, & causæ iustæ parantes innoxiosq; traducentes.

Commoueruntq; plebem & seniores, & scribas, atq; inuadentes corripuerunt eum, & adduxerunt in concilium, statueruntq; falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui uerba contumeliosa aduersus locum sanctum hunc & legem. Audiuius enim eum dicentem: Iesus Nazarenus iste demolietur locum hunc, & mutabit instituta quæ tradidit nobis Moses.

Fons accusatio-
nis Stephani.

Huc enim spectant hominum istorum conatus ut commoueant plebem, utq; sæuiat ignobile uulgus. Cæterum hoc falsorum testium adminiculo impetrant. Et falsorum testium impudentia semper perierunt optimi quiq; , sed & ipse saluator Christus sub falsis testibus crucifixus est. Solent autem falsi testes, uel prorsus mentiri, & adserere factum esse, quod reuera factum non est; uel non nihil de suo assuere, ut iam oratio & longe aliud habeat institutum, & multo sit grauior: uel simpliciter dicta peruertere & adulterari. Quæ omnia crediderim in hac Stephani accusatione facta esse. Ille fortassis dixerat deum non probare ceremonias, sed nec ipsum Mosen lege lata uoluisse quod pharisei docebant, sed fidem & uitæ innocentiam prædicari cum à lege, tum à prophetis, quibus nisi crederent, Iesum Christum, qui legem impleset, & ceremonialia in melius mutasset susciperent, ac mores mutarent, breui excindendos fore propter peccata, nihil obstante uel templo ipso, uel ceremonijs. Hæc enim summa est religionis, & summa eius prædicationis, quam ipse quoq; dominus Hierosolymorum urbi annunciarat. Cum itaq; Stephanus magistrum imitans paria inculcarer, illi simpliciter & bene dicta peruerterunt, dum de suo quædam affingunt, & in plerisque mentiuntur impudentissime. His adde quæ Ieremias 26. cap. scripta sunt, & lucem clarissimam habebis. Nam ut tunc Ieremiam accusabant propter templi religionem neglectam, ita nunc quoq; Stephanum in ius protrahunt propter templi religionem uiolatam. Ieremias docuerat, Non proderit templi religio, non proderunt hostiæ, non ceremoniæ ullæ: peribitis unam cum superstitione uestra, nisi prorsus conuertamini, & derelictis hisce stultis, seruiatis deo in uera fide, iustitia, iudicio, æquitate, ueritate, uitæq; sanctimonia. Hæc potissimum legis in cap. 7. 11. & 15. Hic autem nemo dicebat, Accusat scelera nostra, suadet iustitiam, culpam superstitionem, auaritiam quoq; sacerdotum, regis & principum tyrannidem prodit. Horum nihil audiebatur. Sed unanimi uoce clamitant, Reus est mortis homo iste, quoniã aduersus urbem istam prophetauit. Itaq; templi religionem & urbis sacre prætexunt reuerentiam, nequitiam dissimulant. Et quid obsecro uel hodie aliud quæ ecclesiam, constitutiones sanctorum patrum, auitos mores, sacrum sacerdotalem ordinem, tot annorum tempora, tot regnorum consuetudines, tot monachorum ordines nobis obijciunt pontificij? Quasi uero ista omnia omnipotenti & soli sapienti deo ac ueritati eius perpetuæ constantissimæq; præiudicare possent. Cur non potius agnoscut scelera sua, & aiunt: Blasphemi sumus, sacrilegi, scortatores, impij, qui uniuersam religionis faciem uertimus in forum. Id accusant isti hostes nostri euangelici, qui poenitentiam nobis & remissionem

missionem peccatorum non nisi per Christum prædicant. Sed hæc hæc hactenus.

Et intuentes eum omnes qui sedebant in concilio, uiderunt faciem eius tanquam faciem angeli. Dixit autem princeps sacerdotum: Num hæc ita se habent?

Relucet in ipso uultu mentis innocentia. Vere enim dicunt uultum animi esse speculum. Nulla tamen re quantumuis præclara permouetur inuidi mens. Pergit ergo sacerdotum princeps & ait: Num hæc ita se habent? Non quod cuperet uerum experiri, sed quod aliquam saltem iudicij speciem exhiberet, ne uis non ius uideretur esse quod cum Stephano agere instituerant. Atque hoc uersutæ hypocrisis prauum est ingenium.

At ille ait: Viri fratres & patres, audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham, quum esset in Mesopotamia priusquam moraretur in Charran, & dixit ad illum: Exi de terra tua & de cognatione tua, & ueni in terram quamcunque monstrauero tibi. Tunc exijt è terra Chaldaeorum, & habitauit in Charran. Et inde postquam mortuus est pater eius transtulit illum in terram hanc, in qua nunc uos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne uestigium quidem pedis, & remisit illi eam se daturum possidendam, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium. Loquutus est autem deus sic, quòd futurum esset semen eius inquilinum in terra aliena, quodq; seruituti illud subiecturi essent, & male tractaturi annis quadringentis. Et gentem, cuiuscunque seruierint, iudicabo ego, dixit deus. Et post hæc exhibunt, & seruient mihi in loco hoc.

Pleriq; hanc Stephani orationem, quantumuis longa sit, in absolutam tamen credunt, quod Iudæorum tumultu & obstrepentium clamoribus impeditus, ordine non potuerit dicere quæ uolebat. At ego prorsus absolutam existimo. Maxime quod Catastrophen ad finem adiectam habet. Post longam enim sacrarum rerum expositionem tandem istis finit, Duri ceruice & incircumcisi corde, &c. Iam quod alij hanc orationem obscuram esse queruntur, id ex eo est, quod ad nullum certum relata scopum temere uagari ac desuere uideatur. Quod si ita haberet, iam uel hoc ipsum satis magno argumento esset, orationem à Stephano non fuisse absolutam. Cæterum ad certum est directus scopum, qui etiam si in ipsius orationis frontispicio claris uerbis more oratorio non exprimat, ex ipsis tamen accusationis capitibus colligi potest. Iudæi impingebant ipsi blasphemiam dei, eò quod & legem contempisset, & templi religionem uiolasset. Hæc accusationis summa. Ad illa ergo respondens, expositione historica, sacris exemplis comprobatur, quod fides in deum & ante legem & in lege, deo, non ceremoniæ, placuerit: & quod ipse deus patribus apparuerit & cum eis commercium habuerit absque templo: quocirca ueram religionem non affixam esse neq; templo neq; ceremoniis, sed fidei in deum. Quod cum ita habeat, iam satis efficaciter liquere, quod neq; in deum neq; in legem eius, neq; in locum sanctum quicquam deliquerit. Hæc omnium summa est. Ex qua etiam nos discere possumus quæ sit uera, antiqua & indubitata fides: nimirum ea, quæ uni deo per Christum nititur, nullis autem ceremoniis, creaturis, aut ullis commentis fidit humanis. Idem traditur & in II. ad Hebr. cap. quod eiusdem cum hac oratione argumenti est. Iam uero ipsa scripturæ exempla paucis perstringemus propositionibus nostris aptabimus. Exordij locum occupant hæc uerba, Viri fratres & patres audite. Quæ quidem Paraphrastes sic exposuit, Viri quotquot adestis uel genere fratres, uel ætate atq; autoritate patres, qui patienter audistis calūniantes, audite & ueritati patrocinantem, Atq; sub hæc protinus ipsam auspiciatur causam à nomine dei, dicēs: Deus

Scopus huius orationis.

Vera est anti-
qua fides quæ.

gloriæ, id est, deus gloriosus, purus & sanctus, celebris & iustissimus, hoc ipso perfirmus aduersarios qui ipsum blasphemiam in deum infimularant, Palam enim hic fateatur deum, neque alium fateatur quam deum patrum, neque sine honorifica nominis appellatione. Deinde uero primarij in uera religione uiri Abrahamæ, cuius illi se filios esse iactabant, exemplum producit in medium, quomodo is est patrijs euocatus sedibus migrarit in terram peregrinam, atque in hac mira longanimitate, confusus dei promissionibus expectarit deum. Quæ omnia fusius describuntur Gene. 12, 13, & 15. In hoc autem hæc adduxit Stephanus, ut uideas Abrahamum uirorum iustissimum deo placuisse seruifecit & absque templo & sine ceremonijs. Siquidem obedientia eius, fides, spes, constantia ac patientia, longanimitas & rerum terrenarum contemptus, reuerentia quoque numinis in eo probatur laudaturque in scripturis. Veram igitur pietatem in ijs non externis illis quæ miratur caro confitere. Hæc autem ad negotium præsens sufficere uidentur. Quæ præterea de terra & fide promissionis dicenda erant, absoluius olim in 17. capite ad Hebræos. Quæ autem de Mesopotamia & Charris annotari poterant, præstitit D. Ioachimus Vadianus celeberrimæ Sangallensis urbis Consul prudentissimus, uir, ut imaginibus, pietate & multijuga eruditione clarissimus, ita in rebus ad Cosmographiam spectantibus, nostri æui, omnium etiam doctiorum iudicio, facile primus. Is enim in gratiam studiosorum, ad importunas postulationes nostras, Epitomen locorum, quorum mentio fit in sacris, potissimum autem Noui testamenti libris, summa eruditione, diligentiaque incredibili conscripsit, e qua tu cætera quoque quæ huius professionis sunt haurire poteris. Porro quatenus conueniat Stephano & Mosi in expositione historica de morte patris Abrahamæ, ante uel post emigrationem, facta, intricatius & prolixius est, quam conueniat hisce inseri Commentarijs. Certe planiora sunt quæ hic recenset Stephanus. Moses enim Hysterologia usus esse uidetur. Sed copiosissime de hac re disputarunt præcipui ecclesiæ doctores, Hieronymus in Traditio, super Genesim, & D. Aurelius Augustinus libro de Ciuitate dei 16. cap. 15.

Et dedit illi testamentum circumcisionis, atque hic genuit Isaac, & circumcidit eum in die octauo, & Isaac genuit Iacob, & Iacob genuit duo decim patriarchas.

Testamentum. Circumcisio non est ipsum testamentum, sed sacramentum testamenti. De quo alibi. Pepigit dominus sempiternum fœdus cum Abrahamo & posteris eius, Gene. 17. At in hoc nulla mentio templi uel ceremoniarum, sed fidei in Deum ac innocentiam. Ego (inquit Dominus) sum deus ille Schadai siue Saturnus, omnium rerum saturitas siue sufficientia. Ambula tu coram me, & esto integer. Proinde in fide & integritate consistit uera pietas. Quod circumcisio addita est, in hoc factum est, ut sub hanc religionem obligarentur omnes posteris, nec illi unquam crederent se alia re quam fide in deum saluos futuros. Id quod Paulus ad Romanos 4. doctissime tractat, e quo loco plurimum & roboris & perspicuitatis huic accedet, si utrumque inter se diligenter contuleris. Iam uero ne filij quidem Abrahamæ, patres nostri Isaac & Iacob, secus deum coluisse quam patris Abrahamæ religione, certum est. Hinc Stephanus nihil de ijs quam circumcisos esse testatur. Per hoc enim constat, quod deum patris sui Abrahamæ, cultu & religione ita coluerint, ut circumcisionis significatio præscripsit.

Et patriarchæ inuidia moti, Ioseph uendiderunt in Aegyptum. Et erat deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus afflictionibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegyptiorum. Et constituit eum præfectum super Aegyptum, & super totam domum suam. Venit autem fames in uniuersam terram Aegypti & Chanaan, & afflictio magna, nec inueniebant cibos patres nostri. Cum audisset autem Iacob esse frumenta in Aegyptum, misit patres nostros primum.

Et

Et cum iterum misisset eos, agnitus est Ioseph à fratribus suis, & innotuit Pharaoni genus Ioseph. Misso autem nuncio Ioseph, accersiuit Iacob patrem suum, omnemque cognationem suam in animabus septuagintaquinque. Et descendit Iacob in Aegyptum, defunctusque est ipse & patres nostri,

Copiosius exponitur hæc historia à Mose in 1. lib. cap. 37. & ab eo usque ad 42. Ex quibus tamen omnibus hoc certo constat Iosephum omnis sapientiae, constantiae & temperantiae exemplum, nullis ceremonijs, nullo in templo, nullisue hostijs demeruisse deum, sed fide, patientia, castitate, & uitae integritate. Praeclarum enim est quod ad petulcā procacemque heri sui uxorem, castitatem adolescentis sollicitantem, dicebat, Quomodo facerem hoc magnū malum, & peccarem in deum meum? Proinde uerus dei cultus subsistit in fide, ueritate, amoreque recti & iusti. Cæterum quod Lucas ex Stephani sententia septuagintaquinque animas numerat, uidetur sequutus esse LXX. interpretes, uel quod esset profelytus, uel quod illa uersio ecclesijs esset uulgata. Fortassis numerarunt Graeci & nepotes Ioseph. Nam Hebraica ueritas numerat animas septuaginta, Gen. 46. De Lea nempe 33, de Zilpa 16, de Rahele 14, & de Silha 7, hoc est in summa 70. Quod autem eodem loco numerantur tantum 66, uidetur uitata esse scriptura. Si enim Iosephum his addas cum filijs duobus, colliges tantum animas 69. At si Dinam addas, habebis 70. Verum si in catalogum ueniunt & foeminae, quo loco numerabimus Særah? Aut quid etiam reponemus in locum Er & Onam, qui mortui sunt in terra Chanaan? Et sanè fieri potest, ut librariorum incuria nobis multam in numeris obscuritatem pepererit.

Pietas Ioseph,

& translati sunt in Sychem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham precio argenti à filijs Emor filij Sychem.

Hæc quæ supernacanea uideri poterant intertexuit, ut constantiam fidei patrum notaret, qui tametsi ne uestigium quidem pedis in pollicita essent consequuti terra, attamen in ipsa tanquam consequuta sepeliri uoluerunt, certi quod hæreditate obuentura esset posteris. Atque hoc erat sperare in ipso etiam funere. Iterum autem hic necitur nodus indissolubilis. Stephanus enim uelut ad alia properans, historiam non nihil confundit. Constat enim neque Abraham, neque Isaac, neque Iacob ipsum in Sychem, sed in spelunca agri duplicis, qui est iuxta Hebron, & quem Abraham ab Ephron filio Seor Hethæo quadringentis siclis emerat, sepultum esse, teste scriptura Gene. 23, & 49. Sed fieri potuit ut scriptori in mentem uenerit ille ager quem Iacob emit ab Emor patre Sychem, cuius meminit scriptura Gene. 33. Et sanè scriptores ecclesiastici sensum referre maluerunt quam uerba. Neque uero pietati quicquam decedit, etiamsi in proprijs nominibus personarum & locorum nonnulla inueniatur commutatio aut etiam confusio. Diuus Hieronymus in calce libri de optimo interpretandi genere ad Pammachium, nodum hunc quidem necit, sed non soluit, Lectoremque suspendit. Iacobus Zieglerus Landauus, uir multis animi dotibus præclarus, existimat Abraham emisse hunc agrum prope Sychem sepulchrum sibi suisque, dum inter initia uocationis ad terram appulisset Chanaan, sed postea uarijs iactatum casibus, reliquisse agrum emptum, quem deinde post annos plus minus centum & decem Iacob à Mesopotamia reuersus, propter memoriam aui Abraham recuperarit, ut nunc idem ager bis emptus intelligatur, martyrisque antiquioris meminerit. Sunt alij qui ex autoritate diui Hieronymi asserant non ipsum Iacob, sed filios suos patriarchas in Sychem esse translatos: sed Iosephus 2. libro Antiquitatum capite 3. in Hebron sepultos fuisse perhibet. Multo ergo uerisimiliores sententiae sunt quas paulò ante retulimus. Iudicent Lectores.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, de qua iurauerat deus Abraham, creuit populus, & multiplicatus est in Aegypto, do

nec exortus est alius rex, qui non nouerat Ioseph. Hic circumtueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerēt infantes suos, ne foetus essent uitales.

Crux.

Ista uero nihil peculiariter faciunt ad rem præsentem, sed interponuntur ad integrandam expositionis & historiæ seriem. Nisi forsan crucis & patiētiæ locos attingere, & illorum tyrannidem occulta collatione uoluit protrahere, quorum libidini iam subiectus, mortis expectabat sententiam. Nam sicut olim rex Aegyptius ueræ pietati contrarius innoxios opprimebat, ita nunc quoque proceres populi Iudaici tyrannidem exercebant in innocuos. Cæterum ut Pharaon hac re nihil aliud quam præproperum exitum in suum sibi caput cōcitauit, ita istos quoque nihil aliud tyrannide sua effecturos, quam ut orius in se iram dei prouocent. Locus est quo hæc mutuauit Stephanus, extat Exo. 1.

Eodem tempore natus est Moses, & fuit gratus deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris: Expositum autem illum, sustulit filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi uice filij. Et eruditus est Moses omni sapientia Aegyptiorum, & erat potens in factis & in dictis.

Pietas Moysi.

Expofita religione patriarcharum, qui ante legem latam uiuere, & deum sine templo & ceremonijs, fide & uitæ puritate coluerunt, transcendit iam ad ipsum legislatorem Moſen, & paucis perstringit, quæ fuerit uiri pietas, quæ legis per eum latae uis, quodue ceremoniarum per ipsum institutarum ingenium. Cæterum ad authoritatem uiri doctrinæque eius in primis facit, quod diuina prouidentia mirabiliter seruatus est & Nilo extractus: mirabilius autem institutus, adeoque in omni Aegyptiorum disciplina institutus, utpote ad gerendas res maximas destinatus. Ergo tum quidem cum iam excessisset ex ephēbis potens erat cum in dictis tum in factis. Meminit enim Eusebius singularis doctrinæ & eruditionis Moſeos, libro de Præparatione Euang. 8. capite 2. Porro diuus Augustinus de Doctrina Christiana libro 2. cap. 40. ex hoc loco multis ostendit, Christianis licere, ut philosophorum imbuantur doctrinis, ijsque ad religionem nostram purgatis aptatisque utantur. Et post multa, Quid enim aliud (inquit) fecerunt multi boni fideles nostri? Nonne aspiciamus quāto auro & argento & ueste suffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus doctor suauissimus & martyr beatissimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius, ut de uiuis taceam, quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse fidelissimus dei famulus Moſes fecerat, de quo scriptum est, quod eruditus fuerit in omni scientia Aegyptiorum. Hæc Augustinus. Plurima huius generis legere est apud diuum Hieronymum in Epistola ad Magnum urbis Romæ oratorem. Historia autem quam hic delibat Stephanus, extat apud Moſen Exodi secundo.

Prophana studia.

Ut uero expletum est ei quadraginta annorum tempus, subiit in cor eius, ut inuideret fratres suos filios Israēl. Et cum uidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & ultus est uicem eius qui affligebatur, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres suos, quod deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt. Et sequenti die conspectus est illis litigantibus, & redegit eos in concordiam, dicens: Viri, fratres estis, cur uos inuicem læditis? Cæterum is qui iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te constituit principem ac iudicem super nos? Nunquid interficere me tu uis, quemadmodum interfecisti heri Aegyptium? Fugit autem Moſes ad dictum hoc, & factus est aduena in terra Madian, ubi generauit filios duos.

Historia

Historia scribitur Exodi secundo cap. Et Paulus ad Hebræos 11. hoc ipsum Mosis factum citans clarius hunc locum explanat, hisce uerbis, Per fidem Moses iam grandis renuit uocari filius filia Pharaonis, potius eligens simul malis affici cum populo dei, quam temporarijs peccati comodis frui, maiores arbitratus diuitias probrum Christi, quam Aegyptiorum thesauros. Respectum enim habebat remunerationis. Proinde fide, misericordia & charitate, cuius instinctu & scelera puniuit, & oppressos subleuare desyderauit, superno numini etiam absque templo & hostijs seruiuit. Quod autem eadem attinet ne quis ea offenderetur tanquam crudeli facinore, ipse Stephanus praecipuus, dicit: Existimabat autem intelligere fratres suos, quod deus per manum ipsius daret salutem illis. Quasi dicat, Quod Moses contra Aegyptium egit, non in hoc egit ut generale exemplum caedendi praescriberet omnibus, sed ut peculiare quiddam populo suo praefiguraret, nempe, se eum esse a deo designatum, per quem Aegyptij tandem essent perimendi, Israelitae uero redimendi. Pronostica enim ac portenta siue praedicia non ut exempla proponuntur imitanda, sed ut futura nuntient, auctoritatemque ipsius concilient per quos agenda sunt.

Homicidium
Mosis.

Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus domini in flammeo incendio rubi, Moses autem ut conspexit, admiratus est uisum. Porro cum accederet ut attenderet, facta est ad eum uox domini: Ego sum deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moses, non audebat attendere. Dixit autem illi Dominus: Solue calciamentum pedum tuorum. Locus enim in quo stas, terra sancta est. Vidi, uidi inquam, afflictionem populi mei qui est in Aegypto: & gemitum eorum audiui, & descendi ut eruam eos. Nunc uenito, & mittam te in Aegyptum.

Pertinent haec ad uocationem Mosis, atque ad ipsam auctoritatem & uiro & doctrinam parandam. Apparuit autem ipsi dominus & conuersatus est cum ipso iterum absque templo & ceremonijs. Vocauit item se deum Abraham, Isaac & Iacob, hoc ipso ueterem comprobans religionem, qua patres sancti citra templum & ceremonias, ipsi seruauerunt. Idem afflictionem uidit attriti & omnibus modis afflicti populi Israelitici. Vidit inquam nullis istud ceremonijs demonstrantibus, aut ad miserendum demerentibus: sed ipsa misericordia sua sponte miserente. Illud quoque in primis obseruandum traditur, quod Moses in colloquium Dei non prius admittitur quam soluisset pedum suorum calceamenta. Non iubetur templum extruat, hostias caedat, ceremonias instituat, sed ut calceamenta de pedibus soluat, hoc est, carnalibus exutis affectibus in fide & animi integritate ad deum accedat. Proinde uera pietas in animi integritate consistit. Porro alij satis diligenter adnotarunt quod mons Sina sanctus, hoc est, augustus propterea sit appellatus, quod in ea sancta Dei lex sit lata. Quod autem rubus ardet nec tamen flamma consumitur, absoluta perfectio & (ut ita dicam) omnissufficientia dei significatur, quae non diminuitur quantumuis abunde se nobis impartiat. Significatur & dei populus qui in medijs afflictionum flammis non perit.

Solue calciamentum.

Hunc Mosen quem negauerunt, dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc, inquam, deus principem & redemptorem miserat per manum angeli, qui apparuerat illi in rubo. Hic eduxit illos, aedens prodigia & signa in Aegypto, & in rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moses, qui dixit filiis Israel: Prophetam suscitabit uobis deus uester e fratribus uestris, similem mei, illum audietis.

Iam uero inserit quaedam de Mose quae per typum de Christo sunt intelligenda, Sic Typi Christi,

enim conueniebat, ut etiam prophetarum typos & testimonia de Christo produceret. Typus est quod Moses Israëlitis obmurmurantibus, à deo datus est in principem & redemptorem. Nam Christus reuera rex & redemptor missus est ad domum Israël, quæ neglecto ipso clamauit, se nescire regem, agnoscere autē Cæsarem. Sed & miracula Mo-
 sis designabāt uerum Messiam maxima quæq; facturū. Id quod Euangelistæ per Christum ostendunt esse completum, in primis uero Ioannes in 6. & 10. cap. De testimonio Mo-
 sis Christo præstito, & ex Deut. 18. petito, diximus Act. 3.

Hic est qui fuit in congregatione in solitudine cum angelo, qui lo-
 quebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris, qui accepit sermo-
 nem uiuum ut daret nobis; cui noluerunt obedire patres nostri, sed re-
 pulerunt, & auersi sunt corde suo in Aegyptum, dicentes ad Aaron:
 Fac nobis deos qui præcedant nos. Moli enim huic qui eduxit nos de
 terra Aegypti, nescimus quid acciderit. Et uitulum fecerunt in diebus
 illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur super operibus
 manuum suarum.

Lex tabularū.

Hic propius accedit ad propositum, & refert quomodo lex lata sit. Nihil autē adhuc
 dicit de ceremoniarum lege, sed de Decalogo siue lege tabularum, in qua nihil reperias
 quod non habuerint prius patriarchæ uetusti. Tota enim tradit amorem dei ac proxi-
 mi, fidem nempe in deum, & uitæ innocentiam. Recte ergo uocata est à Stephano uer-
 bum uitæ. Virtus enim, uita & perfectio legis est Christus ad iustificationem omni cre-
 denti. Priusquam tamen ad ipsos legem detulisset Moses, stolidissimi moræq; impatien-
 tissimi iam iam peccarant, externum peregrinumq; cultum excitâtes. De quo diximus
 ad Romanos 1. Historia porrò extat apud Moysen Exodi 32. capite. Cæterū in hoc iam
 accusat omnem illum externum cultum, quem Israëlita subinde comminiscabantur,
 & magni pendebant, neglecta interim fide & uera animi pietate, quam ipse deus præ-
 scripserat. Ad quam rem uehementius & copiosius exprimendam plurimum faciebat
 testimonium Amos mutuatum ex cap. 5. quod ad hunc modum subiungit:

Conuertit se autem deus, & tradidit eos, ut colerent militiam cœli:
 sicut scriptum est in libro prophetarum: Num uictimas & hostias ob-
 tulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël: Et suscepistis
 tabernaculum Moloch, & sydus dei uestri Rempham, figuras quas fe-
 cistis ad adorandum eas. Et transferam uos ultra Babylonem.

Locus prophete tractatus.

Conuersio dei non aliter hic usurpatur quàm ad Roma. 1. cap. Tradidit eos in repro-
 bum sensum, &c. Et per Militiã cœli intellexit signa zodiaci, planetas, sydera & omnis
 generis stellas, quæ omnia Achab & Achaz & Manasse summa coluere reuertiã. Rursus
 ne Iudæi obijcerēt seipsos quoq; improbare idolis exhibitas hostias, protinus prophe-
 tico præoccupat testimonio, hoc ipso cōprobans à deo cū aras tum hostias unã cū ex-
 terno & carnali cultu uniuerso prorsus esse proscripita reiecta & damnata. Malle enim
 illum obedientiam & uitæ pietatem quàm uictimas. Ita autem loquitur apud prophe-
 tam dominus, Odi & proieci festiuitates uestras, & non capiam odorem coetuum ue-
 strorū. Quod si attuleritis mihi holocaustomata & munera uestra, non accipiã, & uo-
 ta pinguium uestrorum non respiciam. Aufer à me tumultum carminum tuorum, &
 cantica lyræ tuæ non audiam. Quin potius effice ut reueletur quasi aqua iudiciū, & iu-
 stitia quasi torrens fortis. Num uictimas & donariū obtulistis mihi in deserto per an-
 nos quadraginta ô domus Israël: Et portabatis scenam regis uestri, effigiemq; simula-
 chrorum uestrorum (nempe) sydus dei uestri, quæ uobis effecistis. Ego etiam captiuos
 uos ablegabo ultra Damascum, ait dominus, qui nomen habet domini exercituum.
 Hæc iuxta ueritatem Hebraicam translata habentur. Lucas autem paulò diuersius cita-
 uit. Græcis enim scribens sententiam prophetæ recitat ferme ihs uerbis, quæ habentur
 etiamnum

etiānum in sacris Græcorum libris: cum tamen uerifimilius sit martyrem apud Hebræos dicentem, Hebraica ueritate fuisse usum. Porrò quod sensum attinet, Minatur Amos Iudæis exitium postremum, nisi mutant uitæ institutum profligatissimum. Dicit autem eos qui calamitatibus in patria non fuerint oppressi, longissime abducendos fore in captiuitatem, non utiq; in Damascum, quæ Iudæis in propinquo erat, sed ulterius. Quod Stephanus augendi causa dicit, Ultra Babylonem. Id quod euentus postea comprobauit, quum abducerentur ad remotissima Mesopotamiæ. Per occupationem uero dicit sacrificia eorum non ereptura ipsos ex impendētibus malis, quippe quæ sint nausæ domino. Neq; enim deum curare cultum externum, sed animi potius integritatem. Id autem probat ex ante actis. In deserto (inquit) non petij mihi offerri sacrificia, idq; per annos quadraginta. Quinetiā quod pleriq; citra numinis reuerentiam degentes circumtulissetis tabernaculum meum, perinde æstimo ac si scenam idolorum circumtulissetis. Proinde in captiuitatem deducā uos. In hoc autem testimonio regē & deum illorum uocat idola, sicut & Isaias in octauo dicens: Quum esurierit irascetur, & maledicet regi suo, & deo suo. Alij putarunt Moloch idolum Ammonitarum intelligendum esse. De quo 1. Paralip. 20. Hebræis enim uox est מלכום, quam Aquila, authore Hieronymo, uertit μελχόμ. Significantius autem uerterunt Symachus & Theodotio, Regis uestri. Lucas Hebraicam uocem reliquit sicut & LXX. Item pro ביי LXX. posuerunt ζουφάρ, quam uocem & Latina nostra exemplaria reliquerunt. Habent enim, Et sydus dei uestri Rempham. Aquila & Symachus Hebræa uoce usi sunt in sua interpretatione. Theodotio ἀμάρωσιρ, id est obscuritatem interpretatus est. Hebræorum quidam exponit pro pistorio opere, placentis uidelicet effigiem dei præferētibus, quas imolauerint, sicut apud Ieremiam in 7. בניים quidam stellam sabbati, hoc est, sydus Saturni, quod etiānum sermone Persarum & Ismaëliitarum dicatur ברייא. Etymon uocabuli adustionem significat, quod magis conuenit Marti quàm Saturno, si aliquem ex planetis significat. Alij Luciferum intelligunt. De utroq; Plinius in 2. cap. 8.

Tabernaculum testimoniij fuit patribus nostris in deserto, sicut ordinauerat illis, loquens ad Moysen, ut faceret illud secundum formam, quā uiderat. Quod & induxerunt, qui successerunt, patres nostri, cum Iesu in possessionem gentium: quas expulit deus à facie patrum nostrorum, usq; ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram deo, & petijt ut inueniret tabernaculum deo Iacob.

Præoccupatio est. Ne enim illi dicerent: Quid uero in externū cultum ita debaccharis, nōne ipse deus nobis in deserto & tabernaculū, & externū instituit sacerdotium? Respondet enim: Instituit quidem tabernaculum, sed tabernaculum testimoniij, & ad formam illius quod in monte uiderat deformatum. Nam dominus non in hoc instituerat, ut in ipso tota pietatis summa subsisteret, sed ut tabernaculum testimoniij esset, testimoniij inquam quod ipse futurus esset deus illorum, ipsi uicissim populus, si modo in fide & integritate coram ipso ambularent, Leuit. 26. 2. Cor. 6. Deinde uero cum ipsa scriptura palam testetur Exod. 25. hoc uisibile tabernaculum ad alterius tabernaculi formam fuisse deformatum in monte, quis tam stupidus ut non uideat uisibile tabernaculum non aliud esse q̄ umbrā uerorum bonorū, quæ in cœlis sunt, ubi Christus est, assidens ad dexteram patris, & semper intercedens pro nobis? De qua re copiosius ad Hebræ. 8. ibi enim exponitur hic locus. Rursus, Si summa pietatis in tabernaculo & externo cultu constituta erat, iam religio tabernaculi & institutum eius nequaquā fuerat mutandum. Constat autem mutatū esse. Nam Solomon neglecto tabernaculo, templum ædificauit. Proinde in externis non est sita constans ac certa pietas. Hoc ipsum admo-
net idē ille Paulus in Hebræis cap. 7. Constat & illud ex illa expositione historica, quod uetusti sancti patres omnes Adam, Abel, Enoch, Noë, Abraham, Isaac, Iacob & Ioseph Deum absq; tabernaculo coluerunt: item quod Moyses ipse, Aaron, Iosue, Iudices,

sancti, deniq; ipse magnus dei propheta Samuel et inclytus Israëlitarum rex David deo gratissimus, deo placuerūt absq; templo. Nam Solomon primus ædificauit templum. Ex quibus omnibus iam liquebat templi religionem multo esse recentiore, quàm illi stolidi ceremoniastæ uideri uolebant.

Solomon autem ædificauit illi domum: sed excelsissimus ille, nō in manufactis templis habitat, sicut propheta dicit: Cœlū mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit dominus: aut quis locus requietionis meæ est? Nōne manus mea fecit hæc omnia?

Templum. Iam & illud ostendit, ne templum quidem ipsum hoc esse quod illi contendebant. Quin ab ipso Solomone non in aliud erat institutum, quàm ut esset domus orationis, quod planissimis uerbis expressum est 3. Reg. 8. At illi summā pietatis in religione templi consistere docebant, clamantes, Templum domini, templum domini. Eum ergo errorem hic refellit Martyr, euidentissimo Isaïæ testimonio, ex 66. cap. mutuato. Tractat autem eo loci hoc ipsum Isaïas quod Ieremias in 7. Docet enim uterq; deum non morari templum, hostias, & externa: quin potius contemptis ijs, requirere pietatem, immutationem uitæ. Verba Isaïæ multo clarissima sic habent, Hæc dicit dominus: Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Vbi stabit igitur domus illa quæ ædificabitis mihi, & ubi est locus ille in quo quiescere possim? Quum hæc omnia fecerit manus mea, & inter ea quæ facta sunt computentur, ait dominus. Ad quem autem respiciam? Ad eum qui est humili & fracto spiritu, quiq; contremiscit ad sermonem meum. Porro qui bouem immolat, quasi qui hominem occidat. Qui mactat pecus, quasi qui canem iugulet. Qui munus offert, quasi suillum sanguinem offerat. Qui autem thuris recordatur, perinde facit ac si scelera collaudet. Hæc omnia isti elegerunt, & anima eorum his uijs & abominationibus delectata est. His iam adde Ieremiæ uerba è 7. capite, super quæ D. Hieronymus, Præcepit autem (inquit) & tunc populo Iudæorum, & hodie nobis, qui uidemur in ecclesia cōstituti, ne fidutiam habeamus in ædificiorū splendore, auratisq; laquearibus & uestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus: Templum domini, templū domini, templum domini est. Illud enim templum domini est, in quo habitat uera fides, sancta conuersatio, omniumq; uirtutum chorus. Hæc Hieronymus, qui paulò post, Quid enim (ait) prodest audacter ingredi limen domus dei, erecta stare ceruice, & non solum cor, sed & manus habere pollutas furto, homicidio, adulterio, periurio, sacrilegio, & cultu deorum quos nescias? &c. Errāt ergo turpissime qui tantas expensas in templorum structuras effundunt, & ex pauperum cruore sudoreq; luxum augent ecclesiarum, arbitantes se gratificare deo, cum ipsum magis prouocent ad iram. Non autem damnamus uerum & frugalem templorum usum, sanè accommodatissimum prædicationi uerbi dei, orationibus & sacramentorum dispensatione: sed Iudaicas templorum superstitiones, imò & gentilitias, qua & ornatui fidere cœpimus, & lapides & ligna ornamus, non modo improbamus, sed execramur etiā. Consulatur Lactant. Institut. lib. 2. cap. 7. & 17. huius libri caput, in quo plura fortassis de templorum religione dicemus. Ex ijs autem quæ hactenus proposita sunt, didicimus pluri ma per exempla cum piorum, tum impiorum, uitam & ueram religionem non in externis, siue templorum cultu, siue ararum extructione, siue oblationibus alijsq; id genus nugis, sed in pectore, in fide, & sanctimonia uitæ consistere. Ita enim coluere dominum sancti omnes quotquot ante legem & in lege uixerunt. Nam quod pauculas quasdā attinebat Ceremonias à Mose traditas, ipsæ quidem ad præscriptum tempus, & ut umbræ essent futurorum bonorum, erant traditæ. Vnde iam constat istos ijs esse abusos scēdissime, qui ceremonijs fisci, clamarunt, Templum domini, templum domini, interim uero fidem & animi pietatem ipsas inquam res neglexerunt, umbras coluerunt. Atq; hic iam locus & occasio erat uela colligendi, & inuehendi in impios. Sequitur ergo:

Duri

Duri ceruice, & incircumcisi corde & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis: sicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non sunt persequuti patres uestri: Et occiderunt eos, qui prænunciabāt de aduentu iusti illius, cuius uos nunc proditores & occisores fuistis: qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis.

Quasi dicat, Sed quid hæc frustra infidelibus ingero? uidetis in quibus rebus uera *Perfidia.* consistat pietas, sed uidere non uultis. Viderunt olim hoc ipsum & patres uestri (de impijs autem hoc & stultis ceremonias intelligit per synekdocham) sed ueritati & sanctis prophetis resisterunt. Hoc ipsum facitis & uos. Venit enim filius dei, annunciauit uobis ueritatem, iustitiam & pietatem eo prorsus modo, quo futurum prædixerant prophetæ, at hunc ferre non potuistis, sed gentibus traditum crudeliter trucidastis. Nunc uero legem, deum & templum iactatis, cum tamen templi religio uos non sit eripura ex malis impendentibus. Deum enim contemnitis, & legem eius prorsus conculcatis. Nam perfectionem legis, ipsum Christum dominum, in dies persequimini & blasphematis. Sic autem retorfit in eos accusationis capita, ad quæ hætenus satis docte, pie, uere & cordate respondit. Hinc autem cōijce, an non absoluta sit oratio. Pulchre enim finis rediit ad principium, caput ad circulum. Quod autem paulò uideatur obscurior, breuitas scriptoris in causa fuit, cui satis erat summa quæq; annotasse responsionis uestigia, quæ si quis ardētius sequeretur, & diligentius scrutaretur, citra negotium totum orationis inueniret contextum. Illud autem in primis uenustum & euidens est, quod conceptis & ex scriptura petitis cōiunctis in impios ultima hac Catastrophe inuehitur. Duriceruices enim & incircumcisos corde & auribus per oppositionem eius loci dixit, qui Deuteronomij 10. sic legitur: Circumcidite præputium cordis uestri, & ceruicem uestram ne induretis amplius. Vt nunc Stephanus aliud nihil dixerit quàm hoc, Gloriamini uos circumcisos esse: iactatis præterea legem dei, cuius auditores sitis, ad uos enim missos esse prophetas, sed si mores uitæ uestræ expendantur, reuera incircumcisi estis, & omnino tales, quales pinxit Isaias in 6. Auribus audietis, & non intelligetis, &c. Christus item Matthæi 23. dicens: Væ uobis scribæ & pharisæi, quia ædificatis sepulchra prophetarum, &c. Porro Christum Iesum propterea uocat Iustum, quod ipse sit iustitia nostra. Ieremiæ 23. & 1. Corinth. 1. Et uerbum resistendi (*ἀντιπίπτειν*) miram habet elegantiam. Nondum enim institutis sacrificijs sua sponte sacrificabant. Institutis autem sacrificijs secus agebant quàm instituta erant. Iam uero cum morte Christi antiquata essent, illi mordicus sacrificare pergebant. Tales uideas uel hodie multorum impiorum animos esse, ut qui olim p̄fissos (quos uocant) confessionem auricularem canne peius & angue oderint, Missas quoq; uota, monachos, indulgentias, atq; totū Romanæ imposturæ forum, contempserint: iam ista omnia reuocare, tueri, & proprio (ut aiunt) sanguine asserere uelle. Sed uerum hic quoq; asserere oportuit, quod prouerbio dicitur, Similes habent labra lactucas. Obserua item amice lector dicēdi libertatem, & seuerius etiam accusandi scelera autoritatem omnibus uiris ecclesiasticis hoc Stephani exemplo suppeditatā esse. Nam malo nodo malus quærendus est cuneus. Habet tamen obiurgatio ecclesiastica suam modestiam, & plus grauitatis quàm scurrilitatis aut maledicentiæ.

Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum.

Εἰκόνη, hoc est effigies & simulachrum proponitur hominum impiorum ueritateq; irritatorū. Nam quò fidelius proponitur ueritas, hoc impotentius incandescunt impij.

Quum autem esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, uidit gloriam dei, & Iesum stantem à dextris dei. Et ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris dei.

Peruersi mores impiorum.

*Visio Step-
hanum roborat.* Recte dixit Ioannes apostolus, fortiorem esse qui est in sanctis quàm qui in mûdo. Non enim terruerunt plenum spiritu sancto hominem minæ & insanientium sanæ. In primis autem peculiaris raræq; consolatio contingit martyri plus nimio in pericula coniecto. Siquidem cœlesti uisione roboratur. Nam cum in media morte & irruentiũ turba omnem spem in deum uiuum collocaret, & oculos animi in eum intenderet, e quo omnis salus nostra manat, protinus diducit se cœlũ, ibiq; maiestas diuinę glorię ipseq; dei filius, cui iam ferebat testimonium, martyri apparet. Nam etiam si ista corporaliter gesta uideri poterãt, ipse tamen fidei sensus flagitat, quod talis omnino fuerit uisio, qualem dominus Isaię exhibuit, Isa. 6. Sed & ipse locus in quo agebantur causę, nimirum obseptus & conclusus undiq; deniq; ipsa fidei uirtus, & quod hic nulla est necessitas uidendi corpus domini corporaliter, suadent hanc nõ esse rem gestam, sed uisionem (ut aiunt) mentalem. Quanquam non magnopere super hac re cõtenderim. Quod autem uidet, hoc præpropere nũciat. Ecce (inquit) uideo cœlos apertos, & filiũ hominis stantem à dextris dei. Quo dicto & iudicium coarguit iniuriam, & omnes eos cõsolatur, qui uel in fide decedunt, uel ueritatis nomine patiuntur. Hi enim omnes audiũt cœlorum regiam esse apertam, regnare in ea dominum Iesum, & ita quoq; ut nostri meminerit familiariter. Huc enim pertinet quod dicit eum stare à dextris, quem aliàs scriptura refert sedere. Sedendi enim habitus regnantium est; at standi ad occurrendum & auxilia ferenda accinctorum. D. Hieronymus in ea epistola (si modo titulus non fallit) qua de ijs differit quæ deo in scripturis tribuuntur, Deus (inquit) stare dicitur, cum nos infirmos, id est, suam creaturam ad pœnitentiam ac conuersionem patienter sustinet. Poterat ergo Stephanus uideri sic loquutus coram Iudæis, nõ tam quod Christo ferret testimonium, ipse sumq; sentiret auxiliatorem fore, quàm quod testaretur deum paratum esse ad dandam misericordiam ijs qui pœnitentia compuncti ad se conuerterentur.

*Christus stat ad
dexteram.*

Exclamantes autem uoce magna continuerunt aures suas, & impetum fecerunt unanimiter in eum.

*Impij obturant
aures.*

Impij clamoribus res suas agunt, ad arma protinus profiliunt. De ijs in hunc modum scripsit propheta Psal. 57. Impij in corde concinnant nequitiam, & in terra manus ipsorum ad rapinam extendunt. Alienantur ab utero, errant à uentre, loquentes mendacium. Furor eorum par est anguium furori, & sicut aspis surda obturant aures suas, quæ non audit uocem incantatorum, quantumcunq; docte incantent.

Et eiectum eum è ciuitate, lapidabant, ac testes deposuerunt uestimenta ad pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus.

Mos lapidãdi.

Hoc fit ex more gentis Iudaicę. Lapidandos enim ex urbe exturbabãt, at ubi ad supplicij locum peruentum esset, testes ut ad cædem essent paratiores, exuebãtur uestibus, deinde primi primos iaciebant lapides. Sic enim scriptum est Leuit. 24. Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt manus super caput eius, & lapidet eum populus uniuersus. Porrò mentio Pauli non citra maximam utilitatem inseritur. Docetur enim pœnitentia, & dei inenarrabilis misericordia, De quibus paulò post.

Et lapidabãt Stephanum inuocantem ac dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis peccatum hoc.

*Constantia Ste-
phani.*

Hysteronproteron uel Epanaphora est. Redit enim ad id quod iam dixerat Stephanum fuisse lapidatum, & amplissimis uerbis modum lapidationis, & quomodo se martyr dei in periculo mortis gesserit exponit. Principio neq; iurgatur, neq; maledicit, sed summa modestia deum inuocat, huic uni animam commendat. Deinde in genua pro uoluitus orat pro inimicis suis, ne insanientibus hanc cædem imputet. Quibus admodum expressit domini nostri exemplum. Hic enim in crucem adactus clamat: Pater, remitte illis, quia nesciunt quid faciunt. Deinde, In manus tuas cõmendo spiritũ meum. Discamus ergo magna animi constãtia & patientia mortem semel in nos grassaturum infractio

infractio perferre animo. Qui in Christum credit, de morte transit ad uitam. Discamus uitam & animam nostram in manus commendare domini Iesu, qui mortem fregit, uita & resurrectio est omnium sibi fidentium, & se in extrema necessitate inuocantium. Stulti sunt qui diuos inuocant. Neq; Stephanus uel Zachariam uel Naboth ante se lapidatos inuocabat, sed tantummodo sanctum domini nomen Iesu.

Et cum hoc dixisset, obdormiuit.

Dormit iuxta idioma scripturarū qui mortuus est spe resurrectionis futuræ. Omnis enim qui dormit, expergiscitur. Et qui in fide mortuus est, in fide saluatur olim suscitandus. Hoc ipsum testatur & Didymus Alexand. apud Hieronymum ad Minerium & Alexādrum. Hactenus autē de Stephano uirtutis perfectissimo exēplari, qui tametsi misero & indigno mortis genere interierit, tamen perpetuum uiuit, & gloria eius nequaquam interibit.

Saulus autem consenserat in necem eius.

Σαυλος δὲ ὄντως illorum unus erat quos apprime affecerat, & quibus admodum placuerat supplicium uiri. Hæc autem adijciuntur ceu præparamenta ad consequentem Pauli historiam.

Facta est autem in illo die persecutio magna aduersus ecclesiam, CAP. VIII. quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter apostolos.

Quum semel exarsit populi furor, raro uno aliquo malo sedatur. Iudæi ergo nihil saturati effuso martyris innocenti sanguine, quin latius grassantur. Solet enim impietas crudelitasq; ueluti gradibus quibusdam, subinde seipsa animosior, ad summa conscendere. Videas itaq; hoc in loco completum esse quod in euangelio futurum prædixerat dominus Ioannis 16. Fuga autem, quæ & dominus apud Matth. in 10. permiserat, consulunt sibi multi. Soli apostoli propterea non cedunt, quod prius oportebat in hac Hierosolymorum urbe ad miraculum & ad superstitionem usq; prædicari Euangelium, ut ex hoc & misericordia & iustitia dei toti orbi innotesceret. Misericordia quidē quod deus supra modum longanimis, miseram plebem satis tempestiue satisq; diligenter uocaret ad pœnitentiam. Iustitia uero, quod frustra non punierit immerētes, sed pessima quæq; commeritos, pessime, & summa cum æquitate perdiderit. Hac inquæ caussa noluit nunc quidem apostolos excedere, reliquos autem omnes (quod non crediderim carere synekdocha) dispergi uoluit, sed non citra egregiā ueritatis ac religionis frugem.

Curauerunt autem unā Stephanum uiri religiosi, feceruntq; planctum magnum super eum.

Nemo sanæ mentis damnauerit moderatam & iustam mortuorū curam. Quis enim *Iusta mortuis probauerit Scythicæ gentis morem, quæ nullas impendit corporibus honores? Humana persoluere.* nitatis est cum honore corpus demortui sepelire. At superstitionis sacra instituire. Proinde modum adesse uolumus, & ne quid superstitiose fiat, aut fidei contrarium. Quis enim istuc probauerit? Siquidē & Paulus ad Thessalonicen. Nolo autem (inquit) uos ignorare fratres de his qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri qui spem nō habēt, &c. & D. Cecilius Cyprianus sermone de Mortal. 4. Nobis quoq; (ait) quoties reuelatum est, q̄ frequenter atq; manifeste de dei dignatione præceptum est, ut contestarer assidue & publice prædicarem, fratres nostros non esse lugendos accersione dominica de sæculo liberatos, quum sciam non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes ac nauigantes desiderari eos debere, non plangi. Nec accipiendas esse hic atras uestes, quando illi ibi indumenta alba iam sumpserint. Occasionem non dandam esse gentibus, ut nos merito ac iure reprehendant, quod quos uiuere apud deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & uoce depromimus, cordis & pectoris testimonio reprobemus. Spei nostræ ac fidei præuaricatores sumus. Simulata, fucata, ficta uidentur esse quæ dicimus. Nihil prodest uer

bis proferre uirtutem, & factis destruere ueritatem. Hæc Cyprianus. Proinde in hunc locum, D. Ioan. Chrysofto. Nondum illi (inquit) qui plangebant, erant perfecti. Rectius tamen D. Hieronymus super obitu Blefillæ ad Paulam, Planctus ille in Actis (inquit) super Stephano habitus, non in plangentium exanimatione, sed in pompa funeris & exequiarum frequentia intelligendus est. Iam & in Ieremia uidemus plerofq; funerandi ac exequiarum ritus pertinuisse magis ad uiuorum consolationem quam ad mortuorum salutem. Dolebat ergo non immerito plerifq;, quod tantum in religione propugnatorem amisissent. Frequentes ergo aderant fideles, & sanctum dei martyrem, non transferebant, aut (ut dicunt) canonizabant, sed sepeliebant. Iam ergo frequentem illam turbam plebis, planctum dixit per metalepsim aut catachresim. Apparet autem hæc exequias ante proscriptionem & fugam illam fuisse exequutas. Commiscet enim historiam nonnihil hoc loco Lucas. Aut certe hinc claret non omnes au fugisse, proinde per tropum esse exponendum, quod dixit omnes esse dispersos præter apostolos.

Saulus uero deuastabat ecclesiam, per singulas domos intrans, trahensq; uiros ac mulieres, tradebat in custodiam.

Pauli tyrannis.

Iam redit ad hoc quod dixerat, factam esse persecutionem magnam, & adumbrata Pauli tyrannide modum ac rationem, imò simulachrum afflictionis, cæu hypotyposi statuit ob oculos. Saulus (inquit) antesignanus erat huius persecutionis. Nam is non modo in deprehensos grassabatur, sed & in ædes illorum iruebat qui huius religionis essent infimulati. Id quod de sese exponit Paulus, dum causam suam ageret coram rege Agrippa, dicens: Et multos sanctorum ego carceribus inclusi, & dum occiderentur detuli sententiam. Quæ cum luce sint clariora, sanè mirandum est quid Lyranum & non nullos alios adegerit, ut apologiam pro Paulo scribere tentarint, quasi Paulus ceperit quidem plurimos, neminem autem occiderit. Quasi uero obscurum sit quod mox in sequetur: Saulus autem adhuc spirans minas & cædem aduersus discipulos domini. Ergo qui Dauidem homicidam non reiecit, idem apostolum Paulum reuocare potuit, ut eum toti orbi exhiberet euangelicæ gratiæ & exemplar & præconem, 1. Timoth. 1.

Illi igitur dispersi peragrabant, annunciantes sermonem dei.

Vide quàm facete fallat dominus impiorum consilia. Impi in hoc insituerant persecutionem, ut ueritatem opprimerent euangelicam, sed ea ipsa persecutio cedit in maximam Euangelij frugem. Prius enim in paucis certisq; urbibus prædicabatur Euangelium, nunc uero quàm latissime propagatum in multis gloriosum coruscat & urbibus & regionibus. Ad hunc modum uidemus subinde amarioribus dulciora misceri à domino, ne sancti se desertos esse suspicari possint. Nondum autem prædicabatur Gentibus euangelium. Id quod in 11. cap. clarius explicabitur.

Philippus autem peruenit in ciuitatem Samariæ, ac prædicabat illis Christum.

Philippus diaconus.

Quemadmodum hucusq; Stephani historiã peculiariter descripsit, paucis quibusdam de communi ecclesiæ statu interiectis: ita nunc quoq; pauculis de Petro & Ioanne insertis, Philippi duntaxat gesta ad 9. usq; caput describet. Video autem à multis dubitatum esse, Philippus ne hic Apostolus unus è numero duodenario, an diaconus fuerit è numero septenario ab ecclesia electorum. Et Polycrates quidem & Clemens apud Eusebium Ecclesiast. hist. libro 3. cap. 31. uidentur hæc de apostolo intelligere. Nisi fortassis apostoli nomen (quod uero similius est) non redegerint in numerum duodenarium. Nam ex consequentibus, & ex 21. cap. clarissime patebit hunc non fuisse apostolum è numero duodecim, sed diaconum, qui tamen assumpto apostolatus munere, & deserta diaconatus functione Apostolus dici cepit. Atq; huius nobiscum sententiæ est D. Hieronymus in dialogo aduersus Luciferianos. Obseruandum autem est, quòd apostoli ac ministri Christi aliud nihil prædicant quàm CHRISTVM & SERMONEM DEI. Deinde quòd etiam Samariæ prædicat, quod ipse iusserat in discessu suo ultimo, ut liquet Actorum primo.

Intende.

Intendebant autē turbę his, quę à Philippo dicebantur, unanimiter audientes & uidentes signa quę ædebat. Spiritus em̄ immundi è multis qui ab illis tenebātur, exibant, clamātes uoce magna. Multi autē paralytici & claudi sanati sunt. Et factū est gaudiū magnū in illa ciuitate.

Hoc ipsum est quod scribitur Marci 16. Illi autem egressi, prædicauerunt ubiq; domi no cooperante & sermonem confirmante per signa subsequētia. Non autem faciunt fidem miracula, id quod supra quoq; annotauimus. Aliās em̄ credidissent impij quoq; Iudæi: sed adhibentur à domino ut curiosę carnī non nihil respondeant & ueritatis uerbo uiam sternant. Deniq; ad uerbum ueritatis clamant dæmones, contrā uero gaudēt & lætantur fideles. Nam Euangelio expellitur expugnaturq; huius sæculi princeps: peccatores autem spem recipiunt, itaq; gaudent. De morborum generibus scripsere Medici, de paralyti uero Cœlius Lect. antiq. lib. 3. cap. 22.

Vir autem quidam nomine Simon, qui ante in ea ciuitate artem exercuerat magicam, ac gentem dementauerat Samarię, dicens se esse quempiam magnum, cui auscultabant illi à minimo usq; ad maximū, dicentes: Iste est uirtus dei, quę uocatur magna. Auscultabant autem ei, propterea quòd multo tempore magicis artibus dementasset eos. Cum uerò credidissent Philippo Euangelizanti de regno deo, deq; nomine Iesu Christi, baptizabantur uiri simul ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cum baptizatus esset, adhærebat Philippo. Vidensq; signa & uirtutes fieri, stupens admirabatur.

Aduersaria potestas adeo non frangit ueritatem, ut eam magis consolidet. Proinde ueritas rarissime est sine aduersaria uirtute. Id quod uel in hoc Simone mago uiro Iudæo & impostore egregio apparet, qui uirtute dei uictus ipse magicam suam & aspernari & ad tempus deferere cogitur. Faciebat hoc plurimum ad auctoritatem apostolicā confirmandam. Potuissent enim homines suspicari quod & ipsi magicis præstigijs luderent alicubi aut dæmonum arte instructi id facerent quod faciebant, quę suspicio Simonis fide penitus sublata est. Nam ambiens uirtutē apostolicam, suam prodidit stultitiam. Exigit autem hic locus pauca quædam annotare ex scriptoribus de magia, ut aliquot scripturę loci ex hisce illustrentur. Est ergo communis opinio Magiam & Magum uoces esse Perficas, & Magum significare eorum lingua idem quod sacerdotem, philosophum, diuinorumq; interpretem & cultorem, Magiam uero omnem philosophiam physicam & mathematicam, sed & religionum uires complecti. Atq; in hac sententia fuere Porphyrius, Apuleius, Cœlius atq; Sabellicus. Idem illi deprehenderunt Magiæ huius species esse duas. Alteram quidem nō aliud quàm naturalis philosophiæ apicem. Alteram uero infamem ac immundorum spirituum commertijs inauspicatā: quam & non magnopere Magiam sed Goetiam appellarint Græci, incantationibus & carminibus nefarię (ut ait Cœlius) curiositatis arte compositis concinnatam, quam honestiore uocabulo etiam Theurgiam nuncuparint. Illius porrò studiosi uulgo uocantur Malefici: horum enim proprie est Goetia, cuius libros improbatę lectionis appellat iureconsultus Ulpianus, quos & protinus statuit esse corrumpendos. Alij forsan expeditius bifariam diuiserunt Magiam, in naturalem uidelicet & ceremoniam. Naturalem nihil aliud esse putarunt, quàm quod supra diximus, totius philosophiæ apicē, quę naturalium uirtutum adminiculo, astrorum, herbarum, gemmarumq; ex mutuarum & opportuna applicatione, opera ædit supra omnē admirationis captū. Et hac Indi ac Aethiopes maxime usi traduntur, utpote apud quos herbarum, lapidū, astrologiæ studium, cæterorumq; ad id spectantium facultas suppetebat. Cuius quidem generis Magos uidetur fuisse eos, qui Christum natum muneribus inuisentes adorauerūt. Si quidem & Euangeliorum interpretes illos exponunt Chaldæorum fuisse philoso-

phos: quales omnino fuere Iarchas apud Brachmanas, Tespion apud Gyrrnosophytas, Numa Pompilius apud Romanos, & Hermes apud Aegyptios. In hac imbuebantur Persarum regum filij. De qua re copiosiora inuenies apud Antonium Sabellicum Enneade 2. lib. 2. Sub naturalem retulerunt & Magiam mathematicam, qua miracula quædam præter naturam fiunt. Qualis fuit Architæ Tarentini columba lignea, quæ uocabatur, ut extat apud Plinium & Plutarchum. In ea præmodum excelluit maximi ingenij uir Boëtius, de quo Aur. Cassiodorus, Tibi (inquit) ardua cognoscere & miracula monstrare propositum est. Tuæ artis ingenio metalla mugiunt. Diomedes in ære grauius buccinatur, æneus anguis infibilat, &c. Sub eandem retulere & magiam ueneficam, quam alij uocarunt *φουακεία*, quæ poculis, philtis, uarijsq; ueneficorum medicamentis constat: cui & metamorphosin Circes artem ascribunt. Huius meminit etiam Augustinus in libris de Ciuitate dei. Eiusdem quoq; generis uidetur Aegyptiorum fuisse incantatio, qua baculos uertebant in colubros. At hac quidem parte plurimum inclinatur ad Goëtiam. Ceremonialis enim magiæ species sunt Goëtia & Theurgia. Goëtia autem constat (ut supra diximus) immundorum spirituum familiaritate & auxilio. Huius ministros non modo Maleficos, sed & Necromanticos appellamus. Nam defunctorum in clamant consuluntq; animas. Huc pertinent Epodi, qui excantant pueros & in eloquium oraculi eliciunt, & qui dæmones parædros, quos famulantes spiritus uocant, iactitant quicq; ut dicitur, spiritus pascunt in uitro, per quos se prophetare mentiuntur. Et hi omnes bifariam procedunt. Nam alij dæmones malos uirtute quadam maxime diuinorum nominum adiuratos aduocare & cogere student. Alij autem omnium nephandissimi se dæmonibus submittentes, illis sacrificant, eosq; adorant. Ex hac hominum fece profluxerunt nobis characterum & prodigiorum nominum genera, ad quæ mali dæmones sponte comparent, nimirum ut astu suo decipiant, ut adorentur ac uenerentur. Iam uero Theurgia maximam ceremoniarum partem continet, & consistit in mûditia cum animi tum corporis seruanda, item eorum quæ circum corpus sunt, ut in cute, in uestibus, in habitaculis, in uasis, instrumentis, hostijs & id genus superstitionibus. Dæmon etenim ad decipiendum callidissimus, imposturas suas specie sanctitatis ceu nassa inuoluit, ut imprudentiores capiantur facilius. Neq; uero & minima portio huius maleficiæ artis est præstigiorum artificium, hoc est illusionum, quæ secundum apparentiam tantum fiunt, quibus Magi phantasmata ædunt, multaq; miracula circulatorijs fraudibus ludunt, & somnia immittunt, quod non tam Goëticis incantamentis quam etiam certis fumigiorum uaporibus, luminibus, collyrijs, alligationibus & suspensionibus, præterea & annulis, speculis, & alijs id genus magiæ instrumentis fit. Hæc autem omnia ex uarijs rerum scriptoribus maxime uero Cornelio Agrippa in usus studiosorum collegimus. Ex quibus omnibus patet non aliud esse Magiam potissimum ceremoniam, q̄ complexum idololatriæ, astrologiæ, perfidiæ & superstitionis nephandæ, e qua nobis maximæ & pleræq; in ecclesia Christi blasphemix atq; hærefes exortæ sunt, quemadmodum de hoc ipso Simone Mago in Ecclesiast. hist. exposuit Eusebius, & de Valentinianis sanctus dei martyr Irenæus. Certe Simon in hac infami magia illustris fuisse uidetur, cuius subsidio & miracula patrarit, & morbos induxerit corporibus, deinde uero eosdem iterum expulerit. Hoc enim permittit deus propter infidelitatis nostræ crimen scelestissimum. Quin & ipse Paulus de Antichristi prodigijs mentionem faciens, Cuius (inquit) aduentus est secundum operationem satanæ, cum omni potentia, & signis, & prodigijs mendacibus, & cum omni deceptione iniustitiæ, in ijs qui peccant, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc ut salui fierent: & propterea mittet illis deus efficacem illusionem, ut credant mendacio, qui ueritatem repulerunt. Huc pertinet & illud e lege domini petatum, Si surrexerit in medio tui propheta, & dederit tibi signum atq; portentum, & euenerit quod loquutus est, dixerit autem, Seruiamus dijs alienis, non audies uerbum eius, quia tentat uos Dominus deus uester, ut palam fiat utrum toto corde ipsum diligatis. Constat ergo impostores aliquid posse. Nam & Strabo celebris author libro 8. de situ orbis tradit Epidaurij celebre Aesculapij fuisse

Ceremonialis
Magia.

Magia Theurgica.

Simon Magus.

2. Thess. 2.

Deut. 13.

fuisse templum, quod non alia causa peteretur, quam quod tot morbi in eo curarentur. Mira quoque de Apollonio Tyaneo refert Philostratus, & multo mirabiliora de uarijs miraculis Lactantius Institut. lib. 2. cap. 8. Minus ergo mirandum quod hic in Luca legimus de Simone mago. Nobis autem hoc spectandum est, quod ipse Lucas artes illius nihil aliud ait esse, quam dementiam, imò quod ipse præstigiator Simon arte sua reiecit, uirtutem Philippi a deo admiratus est, ut eam auro etiam, si licuisset, comparasset. Proinde reiectis contemptisque præstigijs illis, audiamus quid præceperit dominus, dicens: Ne sit inter uos qui ariolos scissitetur, & obseruet somnia atque auguria, nec sit maleficus, nec incantator, neque qui pythones consulat, nec diuinos, & qui quærat à mortuis. Omnia enim hæc abominatur dominus, & propter istiusmodi scelera dominus deus tuus deleuit Gentes in introitu tuo. Perfectus eris cum domino deo tuo. Gentes istæ quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt, tu autem à domino deo tuo aliter institutus es. Et alibi, Vir siue mulier in quibus pythonicus uel diuinationis fuerit spiritus, morte moriatur. Illud porro nimis uerum est, quod audimus promiscuum uulgius ad præstigijs adorandas semper fuisse promptissimum. Quid enim aliud est quod dicit, Auscultabant illi à minimo ad maximum? Videas & hodie multos pro magnis haberi à superstitiose credula plebe, qui certe profligatissimi nebulones sunt, & multis digni erant supplicijs. Quod autem scribitur Simonem credidisse, ex communi more loquendi scribitur. Siquidem eos etiam credere dicimus, qui licet uerè non credant, attamen se credere simulat. Miror autem quid ad hunc locum respondere possint Catabaptistæ, qui infantibus hoc potissimum nomine baptismum denegant, quod prærationis infirmitate nondum credant. Nam & Simon non credidit & tamen baptizatus est. Porro si contendunt confessionem oris ualere aliquid, quid aliud quam non credentes baptizandos esse contendunt? Confitentur enim & hypocritæ. Nulla certe erit posthac inter infantium & hypocritarum baptismum differentia. Nam quo iure illi hypocritas baptizant, hoc nos infantibus baptizamus: imò longè meliore. Si enim in baptismo spectanda est animi integritas siue sinceritas, quæ fidei summa uirtus est, iam certiores sumus de infantium sanctimonia, quam illi de adultorum confessione. Proinde si non peccauit Philippus baptizando Simonem, ne nos quidem peccauerimus, infantibus lustrando aqua sancti baptismatis.

Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria sermonem dei, miserunt ad eos Petrum ac Ioannem:

Mittuntur apostoli primarij, ut Philippo laboranti ferant suppetias. Quis enim unus possit omnia? Auxilia igitur in omnibus rebus in primis sunt necessaria. Ita audiemus Paulum apostolum à Barnaba Antiochiam esse uocatum deductumque. Mittuntur autem ut adiutores, non ut domini. Par enim potestas omnibus data est. Donorum augmenta alium alio præcellentiorè efficiunt. Nullibi uero inuenias Petrum misisse quemquam, at missum ab alijs hoc loco demonstratur. Hic item impleri uides quod dixit dominus, fore ut & Samariæ prædicetur Euangelium, Act. 1.

qui cum descendissent, orauerunt pro ipsis, ut acciperent spiritum sanctum. Nondum enim in quenquam illorum illapsus fuerat, sed baptizati tantum erant in nomine Christi Iesu. Tunc imponebant manus super illos, accipiebantque spiritum sanctum.

Si ergo spiritum sanctum nondum acceperant, quomodo credere potuerant? An uero quisquam uere deo fidere poterit absque sancti spiritus illustratione? Aut cui uideatur uerisimile ante apostolorum aduentum neminem profus in tota Samaria credidisse? Hic non nescio quam hic locus multos torserit, & ansam multis præbuerit asserendi Philippo propterea non tantam fuisse uirtutem quantam apostolis, quod esset diaconus. Verum ego crediderim totam difficultatis causam regi orationis amphibologia. Nam Accipere spiritum sanctum non eodem semper modo in scripturis usurpatur.

Nam spiritum sanctum accipiunt aliquoties qui docentur: ita accipere spiritum sanctum significat doceri. Aliquoties accipiunt spiritum sanctum, quorum corda sensu cœlestium bonorum tanguntur: ita accipere spiritum sanctum, est credere. Aliquoties accipiunt spiritum sanctum, quorum mentes confirmantur pacanturq;: ita accipere spiritum sanctum, significat tranquilla esse conscientia, ut in Galat. 3. Scire cupio an ex operibus legis spiritum acceperitis, an ex prædicatione fidei? Rursus accipiunt spiritum sanctum, qui dona linguarum, sanationum ac uirtutū suscipiunt: ita hoc loco accipere spiritum sanctum non significat iam primum credere, aut conscientiam assequi tranquillā, aut erudiri, sed augeri spiritum, & dono linguarum præcellere & uirtutes facere. Id autem sic habere principio ex temporis liquet circumstantia. Inter initia adhuc erat, nec diu docuerat Philippus, alioqui non expers huius uirtutis, sed præcesserat apostolos (& ipse apostolus, nec iam amplius diaconus) & candidatos nihil adhuc quàm inuenerat.

Baptismus.

Hoc enim pollet quod dicit, Baptizati tantū erant sub nomen Christi Iesu. Vnde nos quoq; colligere possumus, baptismum non esse aliud, quàm initiationem populi dei, qui tempore in fide & donis dei grandescit. Non enim perfectorum duntaxat est hoc signum, ut Catabaptistæ contra huius loci genuinum asserunt sensum, sed eorū quoq; qui huius religionis alumni sunt futuri. Deinde peculiarem quoq; uim habet hæc loquutio, ἢ ὑδραπτισμὸς, Erat elapsus siue delapsus. Nam hoc magis innuit exteriorē (qualem in 2. capite audiuius, & in 10. audiemus) donorum dispensationem, quàm animorum immutationem. Aliās enim Simon homo prophanus, & omnis interioris expers uirtutis, nisi sensu externorum donorum allectus esset, haudquaquā tanto animi ardore ac pretio summo spiritum licitasset. Crediderunt ergo Samaritæ prædicationi Philippi, adeoq; & per spiritum sanctum crediderunt, quem acceperant, sed secundum mensuram. Non enim in initio aliter fieri potuit. At cum iam descendissent apostoli, & pietas multorum iam indies confirmaretur augeturq; orarunt pro eis apostoli, & manus imposuerunt credentibus, tum uero spiritum sanctum acceperunt abundantius, adeo ut & linguarum miraculo & alijs pollerent uirtutibus, in quibus tamen hæctenus nemo illorum post Philippum quicquam præstiterat. Hisce astipulatur diuus Ioannes Chrysostomus, dicens: Spiritū remissionis acceperant, spiritum autem signorum non acceperāt. Nam non est idem assequi redemptionem & illam uirtutem. Atq; hic uidetur omnium simplicissimus esse sensus. Nam ea quæ hic à nonnullis disputantur de discrimine episcopi & diaconi, non in loco dicuntur. Nā Philippus hic iam non erat diaconus, sed apostolus: olim Hierosolymis fuerat diaconus, dum præfectus ærario ecclesiastico non iam prædicaret, sed pauperum gereret curā. Tales enim ueteribus dicebātur diaconi. Hos inferiores esse episcopis & presbyteris, recte disputauit ad Euagriū Hieronymus. Iam uero manuum impositio, cuius & in Euāgelio & hic fit mentio, nō ubiq; pari ratione est obseruata. Inuenias enim & sanatos & spiritu dei donatos esse, quibus tamen nullæ manus imponebantur. Aliquoties ergo ceu ceremonia est adhibita, quæ externo signo significaret, huius quod conferebatur beneficii authorē esse non hominem, sed manum, id est uirtutem dei. Hinc enim iungitur ei & oratio.

*Episcopus
Diaconus.*

Cum uidisset autem Simon, quòd per impositionem manuum apostolorum daretur spiritus sanctus, obtulit eis pecunias, dicens: Date & mihi potestatem istam, ut cuiuscunq; imposuero manus, accipiat spiritum sanctum.

Hic tandem prodit se ueteratoris malitia, e qua coniectamus quo affectu animiq; in stituto illectus, fidei se simularit assecclam. Affectus enim æmulatione gloriæ, cæcatusq; lucri gratia, hanc uirtutem ambiuit, ut solent qui paruo emunt ut pluris reuendāt. Sed damnati sunt iam olim cum à Christo in Euāgelio Matthæi 8. tum ab apostolo Paulo dicente, Seiungere ab ijs qui mente corrupti sunt, quibus adempta est ueritas, & qui existimant quæstum esse pietatem. Est autem quæstus fatis magnus pietas cum animo sua sorte contento, 1. Tim. 6. Quin potius audiamus Petri super hac re sententiam.

Petrus

Petrus autē dixit ad eū: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donū dei existimasti pecunijs parari. Non est tibi pars neq; fors in ratione hac: cor em̄ tuum nō est rectum coram deo. Respice igitur ab ista malitia tua, & roga deū si forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & colligatione iniquitatis uideo te esse.

Principio uerbis apostolica autoritate plenis in peccatum eius inuehitur, hoc protrahit & condemnat. Deinde uero hortatur ad pœnitentiam. Quod sanè elegantissimū exemplum est diuinæ ac apostolicæ cum seueritatis tum lenitatis. Prima autem orationis pars stomachum habet ac per aposiopesim uidetur elata. Quasi dixerit, Dispereras unā cū nummis tuis: adeon' cecus es, ut credas cœlestia dona parari posse pecunia terrenā. Hinc uero infert, Nō est tibi pars, neque fors in negotio Euangelico, alludens ad terræ promissæ hæreditatem, typum æternæ uitæ. Caussam addit, Cor enim tuum non est rectum coram deo. Exigit autem deus cordis integritatem, hypocrisin auersatur. Secunda porrò orationis parte hortatur ad respicientiam. Modum quoque indicat per quem ad respicientiam possit peruenire, Iusta dei inuocatione. Et quo magis mouere-

tur iterum caussam eius exaggerat, & ait: Uideo te esse in felle amaritudinis & in uinculis siue colligatione (*verstrickt*) iniquitatis. Posuit autem amarum illud fel aut bilem atram pro æmulatione & inuidia, qua par esse laborat apostolis Magus homo, qui prius rerum gestarum magnitudine famam sibi non incelebrem comparasset. Egre enim superiores patiuntur, qui aliquando gradum habuere summum. Hac fellis metaphora usus est & Moses Deutero, 29. & Paulus Hebr. 13. Colligatio autem iniquitatis pecuniæ studium habet & auaritiā complectitur. Annotauit & illud Erasmus *ἐὶ ἄρα*, Si forte.

ἄρα, forte inquam Coniunctionem esse expletiuam, quod referendum duxi, ne quis criminis magnitudini, dei misericordiam denegatam suspicaretur, aut certe Petrum dubitasse de peccatorum remissa. Quanquam omnis remissio à conditione pendeat uerè uidelicet fidei & pœnitentiæ sinceræ. Habes ergo hic alterum apostolicæ seueritatis exemplum. In 5. cap. Ananias & Saphyra dederant pœnas simulationis. Hic uero damnatur æmulatio & lucri iniqui studium, quod ex religione capitur aut decerpendum instituitur. Vtrunq; in ecclesia maximorum malorum seminarium est. Vtrunq; ergo mira seueritate resecatur. In Simone Petro habent optimi quique episcopi exemplum, quo discunt quid ipsis sit faciendum. Porrò in Simone Mago discimus omnes, quid sit uitandum, & ne quis posthac in Euangelio suum quærat compendium. Legimus in historia Regum Giezi Helizei ministrum misere periisse quod dona dei uendidisset pro auro. Ab hoc autem Simone sunt qui Simoniam dictam existimant, crimen om-

nium nocentissimum & pessimum, quod hodie adeo occupauit ecclesiam ecclesiasticosq; proceres, ut hunc Simonem innocuum credere possis ad illos collatum. Constat enim remissionem peccatorum ipsissimum esse largæ dei misericordiæ munus. Audimus Petrum clamantem: Non potest pecunia parari donum dei. At illi clamitant, Redimite indulgentias, uota instituite, offerte, missas & preces emite, ut remittantur uobis peccata uestra, breuiter, nihil habent tam minutum quod sponte dent, nisi pecuniam numeres. Quid quod sacerdotia & præbendæ (quas uocant) deniq; omnes ecclesiastici redditus istorum auaritiæ & libidini sic sunt expositi, ut ijs alimonijs, quibus labores apostolici & sudor Euangelicus, necessitas item egenorum sustentari debuissent, iumenta hodie & canes, & seruitia, ne quid aliud dicam liberius, in otio luxu & uoluptate aluntur? Inuenias enim huius generis qui Cræso ditiores ac Sardanapolo corruptiores, otiosi & bene curata cute sex aut septem possideant sacerdotia. Interim uero pericitatur doctrina euangelica, negliguntur studia, & inopes misere affliguntur inopia. Sed faxit deus ut illi ad mentē redeant et supplicium dei impendens digna pœnitētia declinēt.

Respondens autem Simon, dixit: Precemini uos pro me apud dominum, ne quid eueniat in me horum quæ dixistis.

Respondens autem Simon, dixit: Precemini uos pro me apud dominum, ne quid eueniat in me horum quæ dixistis.

Respondens autem Simon, dixit: Precemini uos pro me apud dominum, ne quid eueniat in me horum quæ dixistis.

Videri poterat
et correctio es
se. Quasi dicat;
Sed quid te hor-
tor, cum despe-
raueris?

Seuerum exem-
plum.

Aduersus Simo-
niacos.

Lösend den ab-
lass.

Ficta est illa pœnitentia qualis & Iudæ proditoris erat. Quin & ipsa uerba satis frigida desperationem respiciunt. Nam quod preces apostolorum ambit, non solida pœnitentia facit, sed metu percussus. Tandem enim subdit, Ne quid horum in me eueniat. Plura de hoc Simone mago lege in Iustino & Irenæo apud Eusebium Ecclesiast. hist. libro 2. cap. 23. Sunt qui dicant Simonem & uere credidisse & pœnituisse, sed falluntur hi hominis hypocriti.

Et illi quidem testificati & loquuti sermonem dei, reuersi sunt Hierosolymam, & multis oppidulis Samaritanorum euangelizabant.

Testificari.

Paucis quidem abrumpit hanc de gestis apostolorum in Samaria historiam, accingitur ad ea describenda, quæ post hæc per Philippum & cum Eunuchis & in nonnullis maritimis acta sunt urbibus. Testificari autem sermonem dei, est magna libertate & grauitate annũciare ueritatem, quam nisi susceperis, audieris tamen, tibi ipsi in testimonium iustæ damnationis audieris. Sumpta est metaphora à testibus & ratione testificandi.

Angelus autem domini loquutus est ad Philippum, dicens: Surge, & uade meridiem uersus, ad uiam quæ descēdit ab urbe Hierosolymorum ad ciuitatem Gazam, hæc est deserta. Et surgens abiit,

Præcones uerbi.

Omnia aguntur dei prouidentia. Aguntur autem per media quædam. Ita enim eunuchus prædicatione Philippi ad cognitionem ueritatis pertingit. At Philippus mandato domini eunuchum accedit. Quibus enim bene uult dominus, ijs mittit doctores ueritatis. Quos autem abijcere & supplitijs diris mancipare uult, ab ijs tollit ueritatis præcones. Proinde sicut Missio in primis necessaria est, ita supra modum salutaris est. Caueamus ergo ne obuiam ueritatem repellamus. Porro uocem Deserta, alij non ad Gazam urbem, sed ad regionem referunt. Alij ad urbem ipsam uastatam. Fortasse Lucas uiam deserti intellexit.

& ecce uir Aethiops, eunuchus, præfectus Cādaces reginæ Aethiopum, quem præfecerat uniuersæ Gazæ suæ, uenerat adoraturus Hierosolymam, & reuertebatur sedens super currum suum, legebatq; Isaiam prophetam.

De Eunuchis.

More historico nec sine mysterio describit principis personam à natione, officio, & religione. Nam natione Aethiops erat, hoc ipso specimen præbens fore, ut & Aethiopibus & omnibus alijs gentibus (iuxta Isaiæ uaticinium) prædicaretur salus, quamuis ipse uideatur fuisse profelytus. Deinde uero idem ille eunuchus, id est aulicus, reginæ Aethiopum ærario præfectus erat. Non itaq; ullum genus hominum reijcit ab euangelica salute dominus, non principem, non ærario præfectum, aut alio quopiam Reipub. præditum officio, modo istud cum manifesta impietate non sit coniunctum. Quod autem Eunuchum pro aulico interpretati sumus, hinc est quod ea uox hoc loco non sexus aut impotentis (ut sic dicam) denotatio est, sed officij. Nam ueteribus ministri aulæ per catachresim dicebatur Eunuchi. Catachresis autem nihil aliud est q̄ uocis abusus: ueluti cum piscinam dicimus in qua lauamus, nec pisces insunt. Habet tamen hæc figura allusionem: unde cum regibus receptissimum esset eunuchos præficere administrationi aulicæ, successu temporis factum est, ut hoc nominis ad omnes aulæ ministros dimanarit. Factus est igitur hic loquendi modus Hebræis usitatissimus, apud quos ego crediderim כּוּרֵי indifferenter poni pro כּוּר. Est autem כּוּר aliud nihil q̄ princeps aut satrapa. Huius rei certa argumenta comperies Gene. 37. & 40. Item 1. Samuelis 8. & 4. Regum 20. Quin & etymon uocis Græcicæ huc quadrat. εὐνύχου enim ab asseruandis cubilibus dictus est. Nam εὐνύ cubile dicitur, & χου asseruo. Quia ergo hic Gazam, id est opes (est enim Gaza, teste Seruio grāmatico, uox Persica) thesaurumq; asseruabar, per abusionem eunuchus, quasi Gazophylactus est appellatus. Felicius ergo reddiderimus Germanice, Ein amptmān oder hoffmān, quàm ein verschnitner. Iam & hæc nequaquam prætereunda sunt quæ nunc annotabimus, Prius, δὲ ὡς ἄνευ Græcam uocem & à Latinis

nis usurpari. Aegyptij enim soliti sunt suum magistratū Dynastiam, præfectos autem uocare Dynastas. Posterius, Candaces Genituum esse à Nominatio Candace, quod nominis ita cōmune omnibus Aethiopum reginis fuisse uidetur, ut apud Aegyptios Pharaos & Ptolemæus regibus. Id porrò ita habere testatur Plinius in 6. cap. 20. & Strabo libro Geograph. 17. Neq; uero incredibile cuiquam uideatur quod foemina Aethiopicis imperarit. Similia enim his referunt historiæ de Semiramide, Didone, Thomyri, Saba, Penthesilea, alijsq; multis. Illud uero uiri religionem attinet quod Hierosolymam adoraturus uenerat, & Isaiæ prophetiam legebat. Vnde profelytus uideri poterat. Nondum enim uocatio Gentium in hisce terris, intraq; gentem Iudaicā cōcepta ac usitata erat, sed à Petro primum cum Cornelio inducebatur. Cæterum si quis contendat Aethiopē prorsus fuisse gentilem, non magnopere recalcitrabo. Causæ enim propter quas uideri poterat profelytus fuisse non ex sunt, quæ contrauertentem reuincere possint. Nam quod Hierosolymam adoraturus ascendit, non ex Iudaica religione, sed Gentium quoq; obseruatione ascendit. Tanta enim fuit apud omnes Gentes templi Iudaici gloria & opinio, ut ex remotissimis etiam terris religionis gratia Hierosolymam peregrinatio institueretur. Cuius quidem rei apertissima inuenias testimonia, & in Cicerone alibi, & in Iosephi Antiquitatibus, maxime uero apud Ioannem in 12. Deinde uero tanta semper fuit Aethiopicis cum Iudæis familiaritas, ut aliquando etiam publico nexi fuerint foedere, id quod Isaias testatur in capite 19. Non itaq; mirū si illi sensum habuerint legis dei & prophetarum. Quid quod ante ducentos annos rex Aegyptiorum Ptolemæus curauerat legem Iudaicam opera LXX. interpretum transferri in linguam Græcicam, quæ tunc temporis omnibus penè nationibus erat notissima, in primis autem Aethiopicis, ac Aegyptijs maxime ob commercium cum Romanis, atq; ante hoc cum Alexandro Macedone. Præterea omnibus penè regnis receptissimū fuit, ut principes & in religione & in honestis disciplinis sanè instituerentur, quin & per omnem uitam lectioni quæ ad religionem & rempublicam promouendam faceret, essent addicti. Testatur hoc Plato in Alcibiade, Plutarchus itē in eo libello quo docet in principe requiri doctrinā, & Crinitus libro de honesta disciplina 1. cap. 2. Iterum igitur minus mirandum si is qui gentilis erat Isaiam legebat. Hinc autem discāt principes & magistratus nostri eruditionē amplecti, hoc est alea alijsq; uanitatibus positis, bonos uel sacros authores (cum per publica licet negotia) perlustrare. Neq; pudeat eos huius ceu pœnitendæ & minime magistratui dignæ rei, cuius non pœnituit neq; Iosue, neq; Dauidem, neq; Ezechiam, adde ne Alexandrum quidem ipsum, Scipionem uel Iulium Cæsarem, principes, quibus hic orbis nullos habuit uel fortiores, uel feliciores.

Dixit autem spiritus Philippo: Accede & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Isaiam prophetam, & dixit: Intelligis ne quæ legis? At ille ait: Quinam enim possum, nisi aliquis dux uiaē mihi fuerit? Rogauitq; Philippum, ut ascenderet, sederetq; secum.

Hic uide amice Lector, quid sit sacris nauare operā. Hoc medio (humano more loquor) inducitur Aethiops in ueram ueræ adorationis religionem. Vide autem quā comis sit hic princeps, & quā facilem se præbeat uiro ignoto & homini peregrino. Non arroganter (nostrorū more) apostolum reñcit, Vnde nouus hic hospes? aut quid tu hic? quid tua retulerit, impostor, intelligā an minus? sed in signi humanitate loquentem excipit, & ab eo quod non intelligit perdiscere cupit. Utinam multos tales habeamus principes, sanè plus felicitatis regnaret, minus miseræq;. Quin & in currū sustulit pedibus incedentem, ut omnia perdisceret certissime. Hinc autem doctissime collegit diuus Hieronymus de scriptura sacra ad Paulinum scribens, scripturam omnino expositione egere. Cæterum Aurelius Augustinus libro de doctrina Christi, 1. capite 35. hanc expositionem ad certas referens regulas, Quisquis (inquit) scripturas diuinas uel quarumlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet nēdi scripturas.

Hierosolymam
uenit & pro-
phetam legit.

Vide boni prin-
cipis studia.

Humanitatis
exemplū in-
signe.

Regula expo-
nēdi scripturas.

geminam charitatem dei & proximi, nondum intellexit. Quisquis uero talem inde sententiam dixerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, nec tamen hoc dixerit quod ille quem legit eo loco sensisse probabitur, non pernitiose fallitur, nec omnino mentitur. Quapropter cum quis cognouerit finem præcepti esse charitatē de corde puro & conscientia bona & fide nō ficta, omnem intellectum diuinarum scripturarum ad ista tria relaturus, ad tractationem sacrorū librorum securus accedat. Hæc Augustinus. Est & alibi de exponendis scripturis dictum copiosius.

Argumentum autem scripturæ quam legebat, erat hoc: Tanquam ouis ad occisionem ductus est, & sicut agnus coram tondente se mutus, sic non aperuit os suum. In humilitate ipsius, iudicium eius sublatum est. Generationem autem eius quis enarrabit? Quoniam tollitur de terra uita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc, de se, an de alio quopiam? Aperies autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista, prædicauit illi Iesum.

Secundum translationem LXX, interpretum citauit Isaiam Lucas, & uerisimile est Aethiopem Græco usum esse exemplari. Mirū autem est quod hic locus quo in omnibus prophetis nullus est de Christo apertior, hic sese obtulerit. De hoc enim uerissime dixit Hieronymus, quod Isaias historiam uerius recitasse quàm uaticinium cōtexuisse uideatur. Sed facit diuina prouidentia omnia appositissime. Locus autē apud prophetam extat in cap. 53. Quem nos iuxta ueritatem Hebraicam paraphrasi, quo omnia plura sint, referemus. Sic habet negotium. Descripserat hæcenus propheta à 40. capite liberationem & beneficia quæ per Christum ecclesiæ fidelium conferuntur, & quia non immerito fidelis animus mirari potuisset quis uel qualis nam ille futurus esset tatarum rerum & mysteriorū collator in 53. cap. ipsum CHRISTVM per prosopographiā describit, maxime tamen humanitatem, passionem & uictoriā, diuinam naturā partius attingit, & dicit: Nascetur hic ē stirpe Dauidica, & crescet coram domino tanquam uir gultū. Et sicut radix in humo siticulosa, ita hic inuitis omnibus suis hostibus emerget. Interim uero speciem nō habebit Messia, neq; decus regium. Non enim non habebit regias opes, sed ne tantillum quidem ut caput suum reclinare possit. Breuiter, non erit ei species aut forma, neq; ullius eum reputabimus. Apud impios ergo despectus & contemptissimus erit hominum: at apud pios in summo pretio habitus. Hi enim norunt, quod in hoc ita tentatus sit, ut fratrum quoq; dum affliguntur misereri possit. Illi porro sic affectum nullius reputabūt, adeo ut & uultū sint ab eo absconsurī, & dicturi, Recede à nobis, scientiam uiarum tuarum nolumus. Cæterum cum ipse uirorum iustissimus sit, tanta interim mala pertulerit, uere non suos, sed nostros labores tulit, & dolores nostros, nobis propter peccata debitos, portauit. Nos autem id non exactius persculantes, existimabamus hunc à deo merito plagatum. Cum tamen ipse non à suis, sed nostris uulneretur transgressionibus, & propter iniquitates nostras conteratur. Castigatio enim quæ nobis debebatur merito, in ipsum incidens, nobis pacem coram deo conciliauit, itaq; eius liuore sanati sumus. Et ut nemo nescire possit quale fuerit peccatum mundi, propter quod tanta passus est, item quàm perditum fuerit omne prorsus genus humanum, sic habet res. NOS OMNES tanq̄ ouis, pecudum stultissima, errauimus, & quiuis nostrū sua tam eximie quæsiuit & suo genio indulgit, ut nulla superfuerit uiuendi spes: adeo corrupta erant omnia. Hic ergo quum nos non effemus soluendo, misericors dominus imposuit ei VNIVERSAS iniquitates nostras. Harum ergo gratia angustiabitur Messias & affligetur. Atq; hic tantam exhibebit patientiam, ut ouī conferri possit. Nam sicut illa ad lanienam protracta, aut ad refecandum uellus coram tonsore statuta, nihil oblaterat, aut recalcitrat: sic ille coram iudice mendacijs aspersus, & de summa impietate accusatus, non aperiet os suum, Proinde ex angustia & pena

Caput Isaiæ 53.
paraphrasi ex-
positum.
Christus.

Natiuitas.

Humilitas.

Infirmitas.

Iustus.

Pax.

Peccatum.

Satisfactio.

Patientia.

Gloria.

pena illa eripiet eum dominus, & dabit ei nomen quod est super omne nomen: maxime quod aliàs filius dei sit. Quanquam enim nunc ordo generationis ad uirginem referatur, diuina tamen generatione sempiternus est, eiusdem cum patris substantiæ. Nec obstat quod nunc quidem è uiuis est extirpatus. Nam hoc illi (quod iam sæpe monuimus) propter plagam populi sui cõtingit. Iam ut modus quoq; huius afflictionis uideatur, sic habet res. Constituit dominus ut hic filius suus maxime infami mortis genere caderet, nempe ut inter latrones medius cruci suffixus, ueluti latronum antesignanus excelleret. Deinde uero uoluit ut à cruce demissus in specioso aliquo mausoleo, diuitiù instar, sepeliretur. Cæterum quod tãtus tam misero mortis genere extinctus est, iterum nolim secus accipias, quàm quod in ipso nulla iniuria, nullus unquam dolus sit inuentus. Nunquam ille uel lingua fuerat lapsus: in nobis erat tãti mali causa. Ergo propter nos & ex ineffabili misericordia sua statuit dominus ita conterere illum, nimirù ut nos eius morte uiueremus. Præterea non modo tristia, sed & læta constituit: nempe ut post salutiferam pro peccatis mundi semel oblatam hostiam, resuscitetur, cœlos ascendat, ad dexteram patris sedeat: hic autem in terris numerosissimam cõsequatur posteritatem, in qua per euangelij prædicationē mira felicitate imperitet. Aequum enim est, ut is magno honore fruatur, qui ad ima deiectus crudeliter est diuexatus. Proinde post hac scientia sua, hoc est sensu euāgelij ac fide, ipse qui orbis est iustitia, omnes iustificabit quot quot iustificabuntur, eos inquam qui mihi seruire, hoc est uni deo fidere perrexerint. Nam ipsas illorum iniquitates, quæ iustitiæ repagulum obijciunt, ipse in sese suscipiet & diluet. Quod si qui ueritati suæ obistere & regnãtem conentur regno depellere, ipse uirtute sua hostium cuneos disijciet, & dæmonis, & impiorum spolia suis diuidet. Semel enim mortuus est, amplius nõ moritur, semel inter impios reputatus est, non semper impune blasphemabunt impij. In summa, Hic à deo constitutus est, ut totius multitudinis peccata in se suscipiat & expiet: quod quum faceret, tam faciebat patienter & absolute, ut pro transgressoribus & hostibus suis oraret. Hoc ipso se nobis & sacerdotem statuens sempiternum & exemplar patientiæ semper immitandũ. Hactenus autem Isaia uerba paraphrasi quàm breuissime fieri potuit retulimus. E quibus totam religionis summam decerpere possumus. Quid enim est, in omnium euāgelistarum libris uel apostolorũ epistolis de Christo dño conscriptũ, cuius summa hic non recensetur? Hic audimus Christũ Iesum uerum esse deum & hominem, iustitiã, hostiam, & satisfactionem unicam. Nos contra impios & quod uires nostras attinet damnatos. Audimus quid & propter quid per Christũ omnia suscepta sint, quæ uera iustificatio, &c. Commodissime ergo potuit Philippus ex hoc loco Christum (Christũ inquam, non Romanenses nugas) prædicare Aethiopi: cumq; tanta sit in uerbis euidencia, & perspicuitas, facile item potuit diuina fauente gratia ab eo aliquid impetrare. Porrò quid ab eo impetrari iam exponit.

Et dum irent per uia, uenerunt ad quandam aquã. Et ait Eunuchus: Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Dixit Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: Credo filiũ dei esse Iesum Christum. Et iussit sisti currum, ac descenderũt ambo in aquam, Philippus simul & Eunuchus: & baptizauit eum.

Ergo ex fide est peccatorum remissio, non per baptismum. Fides autem innititur in Iesum Christum quatenus filius dei est, Matth. 16. Quia enim filius dei est, saluare potest: & quia Christus, id est unctus ac homo est, nostris infirmitatibus compati potest, habetq; quod pro redemptione nostri offerat. Animaduertendum & illud quod Aethiops nõ obijcit, Si saluum efficit fides in Christum, quid ergo opus baptismi? Non potest em̄ fidelis mens contemnere institutionē domini. Sponte ergo poscit baptismũ, sentiens hoc initiari ac conglutinari fideles in unum corpus, & constringi sub fidem unius Christi ac uitæ sanctimoniam. Porrò nihil hic disceptatur de materia, unctã an falsa sit aqua. Simpliciter enim è fonte baptizat, quem adhuc ostendi peregrinis iuxta

Deus.

Cruz.

Sepultura.

Hostia.

Resurrectio.

Regnum.

Fides.

Victoria.

Sacerdos.

De baptismo.

Gazam testatur Hieronymus in epistola quadam ad Marcellam. Sic autem fieri ipsa p̄scebat necessitas. Quis enim aliàs tam uecors, qui nunc in quouis fonte aut flumine publico quemuis temere baptizet, quum iam certus sit in templo baptismati constitutus locus? Ipse Paulus præcipit ut omnia decenter & secundum ordinem fiant. Necessitati interim nemo præiudicat. Fides autem docet quatenus addicti simus circumstantiis. Interim uero aquam falsam unctiãmue, aut characteribus consecratam nolumus, puram uero uolumus, significatione & mysterio consecratã, & iam non puram tantũ aquam, sed sacramentalem & mysterio sanctam, quam minister cum precibus & summa oblationis affundat reuerentia. Nullius enim repuramus momenti mulierum aut obstetricum baptismum, propterea quod ex superstitione administratur, & non iusto ordine. Crediunt enim aquæ beneficio pueris salutem obuenire. Et Paulus noluit mulieres admittere in ministerium ecclesiæ. Quanquam planè fatear uxorem Moysi haud temere circumcidisse puerum, sed aliarum rerum aliæ causæ sunt. Verum ita ineptire cogit nos pontificiorum ineptia, qui mirum quàm hic se torqueant, & sanctum baptismum coinquinēt stultis suis opinionibus & disceptationibus. Literæ sanctæ planè sunt & de re exposita loquuntur simplicissime. Ne ergo seducamur fratres istorũ non necessarijs traditionibus. Veritatis oratio simplex. Sed satis olim & contra Catapaptistas, & in alios sacræ scripturæ libros de baptismo disputatum est. Illud hoc loco adiecerim baptismum & in scripturis & patribus uetustis tribui peccatorum remissionem, ceterum per alioquin sacramentariam, qua signo tribuimus quod reuera signati est: aut per Synekdocham, qua toti negotio aliquid tribuimus, quod tamen alteri partium tribui debebat, uel toti potius mysterio. Sic Marcus scripsit baptismum prædicatum esse in remissionem peccatorum. Et symbolum secundo conditum confitetur, Credo unum baptismum in remissionem peccatorum. Rectè enim docuit Athanasius, Baptisma nostrum non sensibilibus oculis, sed mentalibus considerandũ esse. Animus ergo noster in sacro baptismo cernit diuinam gratiam, per quam abluimur à peccatis, & inserimur in populum dei. Sacramenta enim omnia res habent inuisibiles. Aquam uero signũ uisibile uidemus oculis corporeis. Sed sacramentum non tantum altera parte constat, sed utraq;. Non ergo pura aqua est, sed & regenerationis lauacrum.

Baptismus peccatorum remissio.

Cum autẽ ascendissent ex aqua, spiritus domini rapuit Philippum, nec amplius uidit eum eunuchus. Ibat enim per uiam suam gaudens. Philippus autem repertus est Azoti, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec ueniret Cæsaream.

Aliò rapitur fidelis doctor ueritatis Philippus. Non enim quicquam deerat Aethiopi, qui & Christum cognouerat, & donum sancti spiritus acceperat: & proinde gaudebat. Verissime enim Ioannes, Non necesse habetis (ait) ut quisquam doceat uos, sed sicut ipsa unctio docet uos de omnibus & uerax est, &c. Notus est enĩ locus in 1. Ioan. 2. capite. Porrò Cæsareæ habuit domiciliũ Philippus, ut in 21. audiemus, Cæsareæ ergo permanfit. Hisce uero gesta Philippi finit, & ad Pauli uocationẽ describendã accelerat.

CAP. IX.

Saulus autẽ adhuc spirans minas ac cædem aduersus discipulos domini, accessit ad principem sacerdotum, & petijt ab eo epistolas, quas perferret Damascũ ad synagogas, ut si quos inuenisset eius uiaẽ seu uiros seu mulieres, uinctos duceret Hierosolymam.

Vocatio.

Solet scriptura magnorum aliàs uirorum uocationes ad munus uel propheticũ uel apostolicum diligenter describere. Ita enim legimus Moysi, Samuelis, Isaia, Ieremia, Petri, Andreæ, & aliorum summa fide descriptam. Ad quem prorsus modum etiam hoc loco Pauli apostolorum principis describitur uocatio, nimirum ne posthac de doctrina eius dubitarem quicquam. Principio autem mira copia recenset uocationis occasionem, e qua refulget diuinæ misericordiæ splendor clarissimus. Nam dum ferus cædem animo uolueret innoxiorum, & ad hanc rem facilius peragendam epistolas pete-

ret

ret delegatorias (gwaltsbieff) misericors dominus, in medio cursu, efferum à tanto auer *Misericordia*
 tit flagitio, nec auertit modo, sed & in apostolum nobilissimum deligit. Id quod ipse in *dei.*
 1. ad Timoth. 1. diuinæ ascribens misericordiæ gratias agit deo. In hoc ergo uerissime
 completum quod dominus dixerat, Nemo uenit ad me, nisi pater qui misit me traxerit
 eum. Falluntur enim qui conuersionē tribuunt uiribus nostris & libero arbitrio. Deus
 etenim est qui operatur in nobis pro bona uoluntate sua uelle & perficere. Porrò discipu-
 los ex more appellauit Christianos. Viam uero posuit pro disciplina & religione, schē
 mate Hebraico. Cæterum ad tyrannidis magnitudinem pertinet quòd non contentus
 ea sæuitia qua in urbe Hierosolymorum in sanctos fuerat debacchatus, quin & in exte-
 ras erumpit. Vnde in Galatis, Supra modum (ait) persequebar ecclesiam dei, &c. No-
 tanda est & mira huius sermonis elegantia, Saulus ἐπι ἐμπνέων etiamnum spirans mi-
 nas & cædem aduersus discipulos domini. Sic enim miro quodam modo ferociam eru-
 delissimi animi pinxit. Siquidē Græci μέγα πνέων dicunt præferoci esse animo. Nam
 Homerus id ipsum Græcis in pugnam proruentibus tribuit. Iam & consequentia per
 contextū probe cōmisit cū superioribus, in quibus nōnulla cœperat de Pauli sæuitia.

Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damasco. Et subitō
 circumfulgurauit eum lux de cœlo, collapsusq; in terrā, audiuit uo-
 cem, dicentem sibi: Saul Saul, quid me persequeris? Dixit autem: Quis
 es domine? Dominus autē dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris.
 Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Is tremens ac stupens dixit:
 Domine, quid me uis facere? Et dominus ad eum: Surge & ingredere
 ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.

Hic se prodit misericordia & fortitudo domini. In gratiam enim recipitur hostis, in- *Conuersio*
 terim uero maximo robore prosternitur, ut sentiat cum quo sibi hætenus bellum fue- *Pauli.*
 rit. Subito enim circumfulgurauit eum lux cœlitis ad terrorem incutiendū, & ad maie-
 statem dei significandā immissa. Ad hanc non subsistit miser, qui tamen nihil non co-
 nabatur, sed labitur exanguis. Hic mihi uide quid contra dei negotia possimus morta-
 les. Additur uox & ea quidem horrenda ac uehemens; non enim sonat, Saul Saul cur
 meos persequeris, sed cur me persequeris? Viuit em̄ in suis Christus, qui & dixit, Qua-
 tenus fecistis uni de hisce minimis meis fratribus, mihi fecistis. Et clarius: Ego (inquit)
 sum Iesus, quem tu persequeris. O magna dei mysteria. O magnam eorum miseriam,
 qui fideles fidei nomine persequuntur. Adijcitur elegans parcemia, Durum est tibi con-
 tra stimulum calcitrare. Monet enim Erasmus in Chiliadibus Chil. 1. Cent. 3. Adag. 46.
 parcemiā significare frustra repugnari ijs quos uincere nequeas, aut cum periculo con-
 iunctum esse, si eos prouocemus qui lacessiti nobis noceāt. Metaphora ducta à bubus,
 quos agricolæ lignis præacutis à tergo fodiunt, quibus si recalcitrent, tantum abesse ut
 stimulo noceant, ut grauius etiam lædantur. Quòd si quis consultis historijs sacris hūc
 locum diligentius exploret, comperiet neminem ex mortalibus feliciter repugnasse nu-
 mini. Deus enim ueluti petra firmissima & murus aheneus, contractis contusisq; ad-
 uersarijs omnibus in æternum stabit immobilis. Hic autem uide quid possit correctio
 domini. Protinus enim clamitat Paulus, Quid uis ut faciam domine? Presto enim sum
 posthac obsequi mandatis tuis. Utinam tam prompti omnes efficeremur ad correptio-
 nem domini. Certe melius habituræ essent res nostræ. Percutit enim dominus, ut sa-
 net. Quòd si non sanamur, id quidem ex nostra est malitia & pertinacia. Cæterum illa
 est maxima uerbi dei gloria, quòd etiam si arcana dei institutione animus Pauli esset im-
 butus, nihilominus tamen ad Ananiam reijcitur. Is enim postea exposuit quid faceret.
 Pari modo audiemus & in 10. angelum Cornelio missum nihil priuatim erudire, sed Pe-
 trum indicare doctorem. Non autem pugnant hæc cum ijs quæ dixit in Galatis, Non
 ego ab hominibus accepi Euangelium neq; didici, sed per reuelationē Iesu Christi. Ma-
 gis enim præscribunt, ne externam uerbi administrationem contemnamus. Diuus

Augustinus de
Correctione.

Aurelius Augustinus de Correctione Donatistarum ad Bonifacium capite 15. de hac Pauli conuersione scribens, Ipse dominus (inquit) qui Petrum & alios solo uerbo uocauit, Paulū tamen ecclesie suae uastatorem non solum uoce compescuit, uerum etiā potestate prostrauit. Si autem illa non erat poena, quid postea opus ut sanaretur? Vbi ergo est quod isti clamare consueuerunt, Liberum est credere uel nō credere. Cui uim Christus intulit, quem coegit? Ecce habent Paulum apostolum, Agnoscat in eo prius cogentem, deinde docentem; prius ferientem, & postea consolantem. Hic quoque sic coactus plus ceteris laborauit. Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios ut redirent: cum perditii cogant bonos ut pereant? Hæc Augustinus. Quod si quis præterea acumen ingenij sui acuere uelit & disquirere, quomodo Christus simul ad dexteram patris sedere, & Paulo potuerit apparere, permittimus quidem. Cæterū nos Dextrā longe aliud esse scimus quā ut eiusmodi natiuæ nobis ueniant in mentem. De qua re satis in capite 1. Nam etiā si caro Christi uel clarificata sit finita, loco tamen non ita affixa est, ut nihil aliud quā sedere cogatur in præscripto loco. Nam & sedendi uerbum longe alium habet sensum. At quod hinc colligūt pontificij, Ergo corpus Christi est ubiq; stultius est quā quod responsonem mereatur.

Viri autem illi qui erant ei comites itineris, stabant attoniti, audientes quidem uocem, neminem tamen uidentes.

Non potest non attonita stare caro & sanguis ad uocem dei. Nihil enim diuinum sustinere potest hominis insufficientia sine gratiæ adiutorio. Vnde & ille populi timor natus est, cuius meminit Moses Exod. 19. Laurentius Valla putat locum qui est in 22. cap. atq; huic ueluti repugnare uidetur, esse deprauatum transpositis duabus uoculis, ijsq; inter se apud Græcos non dissimilibus φως & φωνη. A Luca ergo sic scriptum fuisse, Videntes quidem lumen, neminem autem audientes. Cæterum constabit sibi aliā ratio, si Metaphoram uerbis inesse intelligamus. Nam eadem uox audiri potest & non audiri. Audiri quidem cum sonus aliquis ad nos defertur incerta tamen significatione. Et non audiri, cum uox audita non intelligitur. Neq; illud præsentī expositioni repugnat, quod coram Agrippa differens, dixit: Simul omnes delapsi sumus in terrā. Non enim hic omnia, habitum inquam ac situm uoluit describere rerum. Et fieri potuit ut ad primum (quod Erasmus asserit) pauorem collapsi mox erexerint sese Paulo adhuc iacente. Simili prorsus modo corruerūt & illi quorum mentio facta est apud Ioannem in 19. sed non pari felicitate surrexerunt. Nam correctione indurantur impij.

Surrexit autem Saulus è terra, apertisq; oculis neminem uidebat: sed manu ducentes illum, introduxerunt Damascū. Et erat tribus diebus non uidens, ac non comedit, neq; bibit.

Talio.

Mira amplificatione ac hypotyposi auget potentiam dei, è diuerso miseriam & impotentiam humanam. Occæcatur enim qui sibi uidebatur oculatissimus. Ducitur ab alijs, qui optimos quosq; uenerat ducturus. Sed nec edit nec bibit qui hæctenus fidelibus maximarum ærumnarum maxima causa fuit. Qui uero allegorias in sacris concinant, Primus (inquiunt) gradus ad uirtutem est erigi. Secundus occæcari & carnali renunciare sapientiæ. Tertius autem non humano cibari alimento, sed coelesti doctrina saginari. Nec desunt qui censeant Paulum hoc triduo in tertium delatū cœlum, uidisse quæ in 2. ad Corinth. 12. iactat. Verum q̄ probe hi coniectarint Christiano Lectori expendendum relinquo. Certe dominus hoc triduo maximum hominem ad res maximas uoluit parare agendas. Non etenim illotis manibus contrectandæ sunt res sacratissimæ. Sanctissimis ergo rebus exercitari apparatq; oportuit sanctis dicatū hominē.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias, & dixit ad illum per uisum dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum, Surge, & uade in uicum qui uocatur Rectus, & quære in domo Iude Saulum nomine Tarsensem; Ecce enim orat. Et uidit

per

per uisum uirum Ananiam nomine introeuntem, & imponentem sibi manum ut uisum reciperet.

Hactenus descripsit uocationis occasionem & grauem domini manum, imbecillitatem contra tyrannorum: nunc uero describit ipsam uocationem & restitutionem admirandam, quæ utiq; illi non contigit per primum Apostolum, sed per uirum aliam sanctum ac integrum, certè ne quid carni aut sanguini ascriberetur. Hinc est quòd tanta diligentia & Ananiæ persona describitur, & quo minus dubij superfit locus quo que notatur. Annotauit autem Erasmus, uicum hoc loco non esse pagum aut oppidulum, sed urbis partem. Ciuitatem enim distingui in uicos, hos uerò in uias, & hasce in domus. Cæterum id animaduertendum, quod mutua uisione utrumq; parauit alteri. Habuit enim uisionem Ananias qua docetur adire Paulum: at ipse Paulus uisionem habet qua instruitur recipere Ananiam. Pulchre enim sibi constât & se mutuo iuant que domini instinctu fiunt. Porro in medijs tribulationum procellis orat Paulus, exemplū præbens quid in tentationibus facere conueniat. Et de uisionum ratione non est quòd multa disputem. Frequentissimæ fuerunt olim apud prophetas, quibus dominus spectro aliquo obiecto aut imaginatione ceu hypotyposi quadam declarabat quid futurum esset. Verum nonnihil de hoc dicemus in cap. 10.

Respondit autem Ananias: Domine audiui ex multis de uiro hoc quanta mala fecerit sanctis tuis Hierosolymæ. Et hoc loco habet potestatem à principibus sacerdotum, uinciendi omnes qui inuocant nomen tuum.

Sæpe inuenias in prophetis prophetas ipsos propheticam detrectasse functionem, uel quod plurimū inuidiæ & periculi habere uideretur ea functio, uel quod minus apti ad eam administrandam sibi ipsis uiderentur. Periculum caussatur hoc loco Ananias; sed repellitur à domino, qui præcipit ut excluso omni timore & firma in eum fiducia animi collocata, id faciat quodcumq; ille iusserit. Se enim institutum hoc, quod ipsius ceptum auspicijs, fortunaturum. Sic enim sequitur:

Dixit autem ad eum dñs: Vade, quoniam organum electum est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & regibus ac filijs Isra-
el. Ego em ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Hæc proprie pertinent ad commendationem nominis Pauli, maxime tamen doctri-
næ eius. Tria autem dicit. 1. Organum electum est mihi Paulus, siue ut more Hebraico loquamur, Vas electionis est mihi Paulus. Innuat autem forma loquendi hominem electissimum & omnibus numeris absolutissimum, Ein vsserwelter mensch, quo non alius sit uel charior uel nobilior. 2. Nomen meum, id est, gloriam, ueritatem, iustitiam, bonitatem, misericordiam, breuiter ipsum Euangelij mei negotium, omnibus prædicabit Gentibus, imò ne Iudæorum quidem insidijs aut regum cedet superbiæ. Audiemus enim augusta quædam quæ in Iudæa & coram regibus & principibus egerit diuinus hic Apostolus. Allusum autem uidetur hisce uerbis ad sententiam Ieremiæ quæ recensetur in 1. cap. 3. Hactenus quidem uastauit ecclesiam & tyrannidem exercuit in miseros, at nūc uicem rependet. Multo enim seueriora perferet uolens quàm modo parabat uobis. De hoc ipse plura de sese testatus est in 2. ad Corinth. 11. Multa autem salubria dogmata ex hoc loco decerpi possunt, nempe de constantia, de dicendi libertate contra ignauum pauorem, de absoluta ueritate nominis dei prædicanda, & de cruce sponte perferenda, item de certa ueritatis uictoria. Homines nitimur regibus, moribus uerustis, hominum regnorumq; multitudini: sed fortior hisce omnibus est ueritas, qua innixus Moses, Samuel, Helias, Michæas & Christus, Pharaonem, Saulem, Achab & omnium impiorum manum deuicit.

Et abiit Ananias, & introiuit in domū, et imponens ei manus, dixit:

Saul frater, dominus misit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uisum recipias, & implearis spiritu sancto.

Expositio est historica, nunc enim describit quomodo prouinciam impositam subierit, ac feliciter miracibus religione præceptum domini impleuerit. Resipiunt autem ipsa Ananiæ uerba phrasim propheticam. Prophetæ enim subinde ingerebant, Dominus misit me, Hæc dicit dominus. His iungit exteriorem ceremoniam, impositionem uidelicet manuum. De qua supra.

Et confestim deciderunt ab oculis eius tanquam squamæ, & uisum recepit, & surgens baptizatus est. Cumque cepisset cibum, corroboratus est.

Ita sine difficultate sanat dominus quos percusserat. Sanati autem subiciunt se uoluntati eius, quemadmodum hic uidemus apostolum Paulum sese totum dedicare domino, suscepto sacro baptismi symbolo. Porro de squamis multi multas adferunt allegorias. Atqui uideo simplicius esse, si dicamus decidisse squamas propterea, ne cæcitas uideretur fuisse phantasma. Si uero quippiam significant, iam crassitiam Iudaicam & sapientiæ mundanæ, denique & erroris sordes significant, quæ per spiritum dei sanctum expurgantur. Quod autem cibum sumpsit & corroboratus est, docuit necessariam & moderatam curam corpori esse impendendam. Nam in 2. ad Coloss. cap. clarius tradit istos non esse imitandos qui sese religionis specie emacerant, à cibis abstinent, & nescio quam angelicam uitam simulant.

Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo in synagogis prædicabat Christum, quod is esset filius dei. Stupebant autem omnes qui eum audiebant, ac dicebant: Nonne hic est qui expugnabat Hierosolymis eos qui inuocabant nomen istud? Et huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum? Saulus autem multo magis conualescebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damasci, affirmans quod is esset Christus.

Christus Deus. Euangelij fundamentum est, quod Iesus Christus sit filius dei. Hoc subuerso, euacuum est totum Euangelium. Ab hoc ergo non temere auspicatur Paulus. Si enim Christus deus non esset, iam salus & obiectum fidei nostræ esse non posset. Proinde qui Christi diuinitatem negant, totum Euangelium subuertunt. Hoc primum erat quod de Christo prædicabat. Secundum illud erat, quod scripturis demonstrabat Iesum esse Christum, id est, uerum in lege & prophetis promissum Messiam, qui uenturus erat rex, iustitia, salus, sacerdos, & hostia credentibus. Atque hæc quidem omnia non frigide tractabat, sed ardentissime, adeo ut & Iudæi præ inuidia rumpi potuissent. Verbum enim Confundebat non significat hic pudefaciebat, sed commouebat ac perturbabat, *Macht sy gar vnrichtig, vnd das sy nit wußtend wozan sy warend.* Alij qui paulò erant æquiores mirabatur de subita mutatione. Et sanè mirandum erat quod tantus uir tam cordate prædicaret quod tam atrociter hæcenus impugnauerat. Neminem ergo posthac pudeat susceptæ ueritatis & abnegatæ superstitionis. Iam si sint qui obiciant, inconstantis esse ut quis olim damnata, nunc quidem amplectatur. Didicimus nos hoc præfenti exemplo Pauli, non indecorum esse, si quis intellecto errore ad ueritatem declinet, & hanc non minori defendat ardore quam prius superstitionem propugnauit.

Expletis autem diebus compluribus, inierunt inter se Iudæi consilium, ut illum occiderent. Sed intellectæ sunt Saulo insidiæ eorum. Afferuabantque portas die ac nocte, ut eum interficerent. Accipientes autem eum discipuli nocte, per murum demiserunt, submittentes in sporta.

Non

Non enim habent impij arma alia quibus errores & superstitionem suam propugnent quàm minas, carceres, flagra, horrenda & uaria mortis genera. Atqui hic non fuerit turpe duci uerbi, si se subducat & sese melioribus seruet. Nam dominus, Si (ait) uos in una ciuitate persequuti fuerint, fugite in aliam. Nemo itaq; uitio uerterit Paulo, quòd sporta è Damasci mœnibus demissus abierit in Arabiam. Fugiunt enim & strenui nonnunquam duces, ut iterum pugnare ualeant. Inuenias & apud Gentes maximi nominis uiros sæpius cõmutasse sedes, donec & personæ absentia & temporis diuturnitas hostilem animum lenisset, & obliuionem inuidiæ obduxisset.

Fuga.

Cum autem Saulus uenisset Hierosolymam, tentabat se iungere discipulis, & omnes timebant eum, non credentes quòd esset discipulus. Barnabas autem apprehensum illum, duxit ad apostolos, ac narrauit illis, quomodo in uia uidisset dominum, & quòd loquutus esset ei, & quomodo in Damasco fortiter egisset in nomine Iesu.

Lucas hoc loco seriem historiæ continua narratione non texuit, sed ea tantum retulit quæ Christi Euangelio digna sunt uisa: præterita igitur Pauli in Arabiam profectio ne, cuius in Galatis meminit, protinus subiungit quomodo post reditum ex Arabia Hierosolymam uenerit: quod ipsum tamen toto triennio post factum esse ipse testatur in epistola ad Galatas capite 2. Quòd autem fideles ægre se committunt Paulo, monet ne quibusuis facile credamus quiduis simulantibus. Quòd autem Barnabas susceptum adducit ad apostolos, discimus modum quoq; in rebus seruare omnibus, & ne ad credendum nimium simus tardi ac præduri. Quis enim non reciperit uere pœnitentem? Barnabas ergo ex actis uirum commendat. Proinde si acta uirum nobis quoq; commendarint, merito ueterum obliuiscimur iniuriarum, si modo tales sint quæ ueniam mereantur. Hic autem idem ille Barnabas est cuius mentio habetur in cap. 4. de quo multa ac uaria per historiam traduntur. Vir omnino prudens, sanctus, fortis, eruditus & uere pius fuit. Ioannes Chrysoftomus existimat hoc citius Pauli familiaritate usum fuisse Barnabam, quòd ipsi olim fuisset amicus. Vt cunq; uero res habeat, hoc tamen constat Barnabam uirum fuisse incõparabilem, doctum, & uaria rerum experientia sapientissimum.

Credulitas.

Barnabas.

Et erat cum illis uersans Hierosolymis, cum fiducia loquens in nomine domini Iesu. Loquebaturq; & disputabat aduersus Græcos: Illi uero quærebant occidere eum. Quod cum cognouissent fratres deduxerunt eum Cæsaream, & emiserunt Tarsum.

Ipsa re, & publica Christi confessione comprobabat se Christi esse discipulum. Proinde conuenit ut priusquam credamus ei, qui aliquando turpiter aut crudeliter uixit, prius sanctimoniam & iustam respicientiam certa argumeta habeamus. Quæcunq; autem egit Paulus, summa egit fiducia, hoc est, maxima certitudine, constantia & libertate: in primis autem conuicit factionem Hellinistarum, quæ ut Stephanum falsis perdidit testibus, ita Paulo quoq; parabat insidias. Verum prudens fratrum simplicitas nolens maximum uirum succumbere impiorum inuidiæ, deductum aliquousq; emiserunt in patriam Ciliciæ Tarsum, ut & hanc ueritatis prædicatione nobilitaret. Pietas enim in patriam maxima uirtus uel apud Gentes celebratissima hoc suadebat. Sed & ipsa prudentia suadet, ut nonnunquam furorem imperitiæ plebis declinemus. Iam aliquousq; suspenditur narratio de gestis Pauli, & quædam inferuntur de Petro acta nobilissima, prius tamen in genere descripto communi statu ecclesiæ.

Igitur ecclesiæ quidem per totam Iudæam & Galilæam & Samariam habebant pacem, & ædificabantur uersantes in timore domini, & consolatione sancti spiritus multiplicabantur.

Vere enim dicitur, Quod caret alterna requie, durabile non est. Pacem igitur conce- De pace ex-
dit ecclesiæ suæ nonnunquam dominus, non ut secunda & iners stertat, sed ut à malis ali- terna.

quousq; respiret, & se ad uentura pericula paret. Porrò ipsa pax non paratur ueri abnegatione, inconstantia, hypocrisi, & pusillanimitate: sed timore dei, amore ueri, constantia iusti, & odio mali. Locus autem aduersus eos primum pugnat, qui ecclesiam cruce explorant, & proinde omnes illas ecclesias damnant, quæ non publicam persecutionem sustinent. Quos & Augustinus alibi confutauit. Deinde pugnat aduersus eos qui pacem uel prodicione ueri, uel dissimulatione mali inducere uolunt. Tales enim omnium miseriarum authores sunt.

Factum est autem, ut Petrus, dum peragraret per omnes, deueniret etiã ad sanctos qui habitabãt Lyddæ. Reperit autem ibi hominem quendam, nomine Aeneam, annis iam octo decumbentem in grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Aenea, sanet te dominus Iesus Christus. Surge & sterne tibi ipsi. Et continuo surrexit, & uiderunt eum omnes qui habitabant Lyddæ & Assarone, qui conuersi sunt ad dominum.

Miracula quædam uirtute domini, Petri opera in uarijs urbibus patrata, mira describit euidencia. De signis satis disputatum in superioribus. Catastrophe signi subiicitur: Et uiderunt hoc habitatores Lyddæ & Assarone, & conuersi sunt ad dominum: non autem ad Petrum. Fallacia ergo sunt omnia ea signa, quibus discimus non domino soli, sed creaturis quoq; fidere.

Ioppe autem fuit quædam discipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & elemosynis quas præstabat. Factum est autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lauissent, posuerunt in cœnaculo. Cum autem uicina esset Lydda Ioppe, ac discipuli audissent quòd Petrus esset in ea, miserunt ad eum, rogâtes, ne grauaretur uenire usq; ad se. Exurgens autem Petrus uenit cum illis. Et cum aduenisset, duxerunt illum in cœnaculum, & circumsteterunt illum omnes uiduæ flentes, & ostendentes tunicas uestesq; quas faciebat, quum esset cum ipsis Dorcas.

Vere bona
opera.

Eiusdem generis cum superiori est & præsens miraculum, nisi quod in Dorcade laudantur opera misericordiæ, ut eius exemplo etiam nos ad ea præstanda incitemur. Hæc enim uere bona opera esse testatur ipse dominus Matth. 25. Quidam falso & frustra operam & impensas maximas impendunt lapideis templis & statuis, at uiuum dei simulachrum hominem negligunt, uel quia miserum propter auaritiam non iuuant, uel quia inopem opprimunt iniuria. Sed misericordiam uult dominus, non sacrificium. De nomine autem ratione disputans Capnion, uir in omni disciplinarum genere peritissimus, existimauit in libro de Verbo mirifico, non Tabitham, sed Thabiam hoc loco legendum esse, quod ea uox Assyrijs Dorcadem significet, quod animal Latini Capream uocamus, admodum acri oculorum acie præditum. De quo apud Plinium. Fortassis id nominis propter uisus aciem acutissimam animali tributum est, Δορκας enim Græcis deriuatur à δεικναι, hoc est uideo. Iam & Hebræis טָבַי, significat uidit. Vnde iam abiectis adiectisq; aliquot more Hebræo literis deriuatum uidetur תַּבִּיָּת. Quod si Etymon mysterium habet, iam significatum est illam fuisse uisus acerrimi, quæ procul à cœlestibus sedibus hisce in terris agens, nihilominus æterna peruiderit, utpote quæ illa fidelibus ambierit operibus.

Eiectis autem omnibus foras, Petrus positus genibus orauit, & conuersus ad corpus, dixit: Tabitha, surge. At illa aperuit oculos suos, uisusq; Petro, resedit. Data autem illi manu, crexit eam, & quum uocasset sanctos ac

ctos ac uiduās, exhibuit eam uiuam. Id autem innotuit per totam Ioppem, & crediderunt multi in dominum.

Idē ad magistri exemplum, de quo simile quippiam legis apud Matthæū in 9. Duo autē hic obseruanda sunt, prius est quod orat, posterius quod Ioppēses domino credūt.

Factum est autem, ut dies multos maneret Ioppe apud Simonem quendam coriarium.

Bis Corium est, *supra* coriarius, siue is sit qui corium apparat *ein gerwer*, siue is qui corium in usus cōsueuit hominum. Mirandum autem est quod tantus apostolus in tam humili (ut uidetur) agit hospicio, cum nunc huius uicarium, si dijs placet, uix trium regum palatia sufficiant excipiendo. Cæterum Ioppe mansit propterea quod maximæ frugis maxima spes esset, Duremus ergo, & nosmet rebus seruemus secundis.

Vir autem quidam erat Cæsareæ, nomine Cornelius, centurio ex cohorte quæ dicitur Italica, religiosus ac timens deum cum tota domo sua, præstans elemosynas multas plebi, deprecansq; deum semper. CAPVT X.

Celebris est in omnibus scripturis maxime propheticis Gentium uocatio: proinde oportuit eam quoq; celebri initio auspicari. Hactenus enim nihil peculiariter de ea actū est, neq; hactenus palam Gentibus prædicatum est Euangelium. Samaritæ enim quibus prædicauit Philippus non ueniunt in numerum Gentium, & Aetiops erat Proselytus. Paulo modo dictum quod esset prædicaturus Gentibus, quod Arabibus prædicari non scribitur. Et fortasse hac causa obtinuit, ut hic tandem maiore cum autoritate & pondere differeret de legitima Gentium uocatione. Et posthac pauca admodum audiemus de Iudaica ecclesia. Nam omnis gloria ueteris synagogæ & populi dei deferretur iam ad Gentes. Illa ergo neglecta iacet. Hæc porrò speciosissime floret. Nā illa ueritatem (quod hactenus audiuius) neglexit, illam proscripsit & edictis propositis opprimere uoluit, ministros dei sanctos & fideles indignissime tractauit, conuictis proscidit, flagellauit & occidit, multos quoq; uiros bonos exturbauit in exilium ipsa morte calamitosiorem sortem. Dignissime ergo & merito reiecta est ne haberet in regno dei confortium, ipsumq; hoc dei regnum datum est genti facienti fructum eius. Caueamus o fratres, caueamus ne & nos simili exemplo propter impietatem & ingratitude nostram excidamus e felicitissimo ueritatis statu. Itaq; descripturus ecclesiæ Gentium felicissimum statum, à nobili exemplo Cornelij auspicatur, atq; uocationem Gentium (quæ apud multos adhuc in dubio stabat) uenusta reuelatione demonstrat: quæ omnia si conferantur scripturis propheticis & ijs quæ de uocat. Gent. ad Romanos scripsit apostolus, mira sese offeret cōsonantia, uirtus dei, & operū dei ratio sapiens ac iustissima. Principio autem præmittit more historico persopopceiam. Describit enim Cornelium à maioribus, officio, & pietate, qualis is fuerit per quem aut in quo primitus uoluerit dominus initiare ac solenni celebriq; ritu reuelare gentium uocationem. Cornelius ergo ex maioribus fuit Ethnicus, professione seu officio Centurio, sed religione pius *euos* *lig* ac timens deum, & talis omnino qualem referunt euangelistæ Christo occurrisse, & de cuius fide ipse dominus dixerit se parem in toto Israele non reperisse. Ex quibus colligimus deum uerum non modo Iudæorum, sed & Gentium esse deum, utpote qui uelit omnes saluare & ad agnitionem ueritatis uenire. Colligimus præterea aliquod esse genus militiæ quod non sit omnino impium, utpote in quo militarint summa fide uiri religiosi ac timentes deum. Quales forsan & Dauid rex plurimos habuit, & Baptista instituere uoluit, cum dixit: Ne cui uim inferatis, neq; quaslibet ob leues causas quenquam opprimatis, sed contenti estote stipendijs uestris. Talis nimirum fuit & Legio apud ueteres dicta fulminea, cuius meminit post Tertullianum in Apologetico Clemens apud Eusebium. Sed & ipse Augustinus libro aduer. Faustum Manicheum uicesimo secundo capite *74.* ostendit quodpiam esse Christianis quoque licitum genus militiæ. Et D. Hieronymus in epistola ad Saluinam de uiduitate seruanda, huius

Cornelij mentionem faciens, dicit: Nihil nocuit militanti paludamentum & baltheus, & apparitorum cateruæ, quia sub habitu alterius alteri militabat. Sicut è contrario alijs nihil prodest uile palliolum, furua tunica, corporis illuies, & simulata paupertas, si nominis dignitatem operibus destruât. Legimus & in Euangelio de alio Centurione domini testimonium, Nec in Israël tantam fidem inueni. Quibus tamen omnibus nos nullam ansam illis suppeditatam uolumus, qui quouis Care uiliores, principū sectantur stipendia, nullo belli neq; iure, neq; iniuria commoti, sed tantum turpi cupiditate lecti. Ad hos enim pertinet maledictio domini, Deut. 27. Maledictus qui accipit munerâ, ut percutiat animam sanguinis innocentis, & dicet omnis populus, Amen. Neq; uero militia Romana nostræ par erat. Intelligimus enim cohortem Italicam, hoc est militum Italicorum globum longo tempore Cæsareæ fuisse. Nam & domus totius, id est uniuersæ familiæ, cognatorum quoq; & amicorum necessariorum Cornelij meminit paulò post in historia Lucas. Iam est notius quàm ut referamus de Romanorum legionibus, quas in limitibus imperij contra hostium Parthorum maxime incurfiones, & ut in fide retinerentur prouinciæ, aluerunt, distributis oppidatim cohortibus & turmis. Sed & illud uel ex Vegetio notissimum est plures in eadem legione fuisse cohortes numero impares. De qua re in lib. 2. cap. 6. & in eodem libro cap. 8. Erant etiã (ait) Centuriones, qui singulas centurias curabant, qui nunc Centenarij appellantur. Iam uero si quis miretur quomodo potuerit esse pius, religiosus, ac timens deum, qui adeo non erat in fide institutus, ut Petrum cogere accersere doctorem, reuocet in memoriam uerba Pauli, quæ de Gentibus in 1. ad Rom. cap. & 2. scribit. Inde enim intelliget deum sensum aliquem sui indidisse Gentibus, qui postea per Euãgelij prædicationem clarior & euidentior fit. Nam nisi credidisset esse deum, proculdubio deum nequaquam precibus inuocare potuisset. Proinde quas conferebat elemosynas, per fidem conferebat, quæ fides prædicatione postea auctibus ad iustam excreuit mensurâ. Præterea fieri potuit, ut quotidiano conuictu Iudaico nonnullum religionis sensum non secus perceperit, atq; multos Gentilium in captiuitate Babylonica familiaritate Iudæorum percepisse uidemus. Breuiter, nulla religio uera, & nullus timor dei potest esse sine fide. Quin & ipsissima fidei opera oratio & elemosyna aderât, aderat ergo & fides, etsi imperfectior adhuc. Habet enim fides augmenta sua: sed & illud fidei insigne documētum est, quod totam familiam in uera religione instituebat. Porrò ne quem illud lateat, Cæsarea hæc illa erat, quam ueteres uocantur Turrim Stratonis. Præterea apud Romanos Cornelij nomen erat celeberrimū, ut nihil mirū sit uirum hunc hoc nomine fuisse nūcupatum: sed hoc forsan minutius est quàm quod annotari conueniat.

Is uidit per uisum manifeste fermè hora diei nona angelum dei introentem ad se, dicentemq; sibi: Corneli. At ille intuens eum, ac timore correptus, dixit: Quid est domine?

Vocatio dei.

Quemadmodum mutua uisione Paulum Ananiæ, & Ananiam Paulo præparauit dominus, ita hoc loco Corneliū Petro, & Petrum præparat Cornelio. Attemperat autem se deus nō nihil affectibus nostris, dum quemuis nostrum ihs uocat medijs, quibus facillime permouemur. Magos quidem nouo uocabat sydere, Iudæos scripturarū auctoritate, Gentes signorum miraculis, Cornelium uero noua angeli specie. Existimabant enim Gentes dijs cum hominibus plurimum esse commertij. Ergo pro reuerentia, Quid uis (ait ad angelum) domine? Sic enim uocat eum quem uidebat augustius quippiam esse quàm hominem. Audierat forsan à Iudæorum in religione magistris, deum angelorum ministerio in ihs rebus uti, quibus agit cum hominibus.

Dixit autē illi: Orationes tuæ & elemosynæ tuæ ascenderūt in memoriam coram deo. Et nunc mitte uiros Ioppen, & accersere Simonem qui cognominatur Petrus. Hic diuersatur apud Simonē quendā coriarium, cui est domus iuxta mare: Hic dicet tibi quid te oporteat facere.

Hoc

Hoc dicit angelus: Flexus est precibus & munificentia tua in pauperes dominus, ut tibi magnum aliquod donum impartiri pararit: nunc ergo quibus medijs id assequaris accipe. Est uir quidam Simon cognomine Petrus, nunc quidem Ioppe apud Simonem coriarium degens, eum accersere, is exponet tibi in quo consistat uera felicitas, & quo modo uere beatus esse possis. Igitur quæ Cornelio ad beate uiuendum sufficiebant, ea utiq; & nobis sufficient, etiam si in uniuersum nesciamus aut negligamus pontificias & humanas traditiones. Abutuntur autem pontificij hoc loco, dum ex eo uel iustitiã operum, uel meritum probare uolunt. Non enim uident omnia opera Cornelij ex fide facta esse, quæ sanè fides gratuitum dei donum est. Quin & ipse Beda in hunc locū, Non uirtutibus (inquit) ad fidem, sed fide pertingitur ad uirtutes, ut beatus Papa Gregorius exponit. Cornelius enim (ait) cuius elemosynæ ante baptismum, angelo teste, laudatæ sunt, non operibus ad fidem, sed fide uenit ad opera, &c. Hæc Beda. Præterea Mileuentana synodus in hæc uerba super hac re censuit, Manifestissime credendū est, quod Cornelij Centurionis, ad quem angelus domini missus est, illa tam admirabilis fides non fuerit de natura, sed diuinæ gratiæ largitate donata. Verum de hac re pluribus disputatū est in superioribus, & in epistola ad Romanos. Illud uero iterum hoc loco obseruandum, quod etiam si dominus citra externæ prædicationis ministerium potuisset instituisse Cornelium, nihilominus tamen id non fecit, sed ad Petrum Euangelij præconem fidelissimum ablegauit. Nemo ergo nostrum dixerit, Reuelationem habeo, ministerio uerbi non est opus, &c.

Aduersus iustitiam operum.

Et quum discessisset angelus qui loquebatur illi, uocauit duos famulos suos, & militē religiosum ex his qui sibi adhibebant. Quibus quum narrasset omnia, misit illos Ioppen.

Præpropere accingitur, ut diligentissime illud expediât quod angelus iniunxerat. Merito enim damnantur qui frigido & ignauo pectore stupent, ac tardius ad uerbum domini querendum se mouent. Singularis autem prudentiæ ac pietatis est, quod non quosuis mittit nuncios, sed delectissimos ac spectatæ fidei homines. Nam non parum retulerit quid cui delegemus officij, aut quos mittamus in re quauis nuncios.

*Obedientiã Cornelij.
Legatio.*

Postridie uero facientibus illis iter, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora domus ut oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, uoluit gustare cibum. Parantibus autem illis, irruit super eum mentis excessus,

Iam uero accingitur historicus, ut & aliam exponat uisionem, qua Petrum Cornelio præparauit dominus, & ostendit quod etiam Gentes in albo populi dei sint inscripti, quocirca nihil cunctetur illis Euangelij prædicationem annunciare. Cæterum ex hoc loco iterum cognoscimus quod temperantia & oratio ad deum perpetuū sit Christiani hominis exercitium. Quod autem ad sextam precabatur, ex more gentis fiebat. Nam constat, tertiam, sextam, & nonam peculiariter orationi apud Iudæos dicatas fuisse. Christus uero tempus & locum in oratione libera esse uoluit, & tamen ordinem in rebus quibusuis commodum, & à superstitione alienum, nunquā damnauit. Quod Petrus in superiora domus conscendebat, propterea fiebat, ne quis orantem interturbaret. Quin & ipsa templa apud nos non tantum ob cœtum instituta sunt, sed propter eos etiam, quibus domi ob strepitum familiarem non licet orare quietius. Porro quod ieiunus & in ipsa rapitur oratione, significatur quod orantibus & temperantibus reuelantur mysteria dei. Saturis enim & oscitantibus stupet mens. Crapulam enim & somnum malunt quàm spiritus diuini gratiam.

Horæ orationis.

Et uidet cœlum apertum, ac descendens ad se uas quoddam uelut linteam magnum, quatuor initijs alligatum, submitti è cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, bestiæq; & reptilia, & uolatilia cœli. Et facta est uox ad eū: Surge Petre, macta, & uescere. Ait autem

Petrus: Nequaquam domine, quia nunquam edi quicquam commune & immundum. Et uox rursus iterum ad eum: Quæ deus purificauit, tu communia ne dixeris. Hoc autem factum est tertio. Et rursus receptum est uas in cœlum.

De uisionibus.

Diuus Aurelius Augustinus contra Adimantum cap. 28. Multa (inquit) in scripturis inueniuntur uisionis genera. Vnum secundum oculos corporis: sicut uidit Abraham tres uiros sub ilice Mambre, & Moses ignem in rubo. Alterum secundum quod imaginamur ea quæ per corpus sentimus. Nam & pars ipsa nostri cum diuinitus assumitur multa reuelantur, non per oculos corporis aut aures aliumue sensum carnalem, sed tamen his similia: sicut uidit Petrus discum illum submitti e cœlo cum uariis animabus. Diuus porro Hieronymus hanc exponens allegoriam in epistola ad Rusticū scribit, iam te cum atque solarium cum Petro apostolo conscendisti, qui esuriens in Iudæis Cornelij saturatur fide, & famem incredulitatis eorum Gentium conuersione restinguit, atque in uase euangeliorum quadrangulo, quod de cœlo descendit ad terram, docetur & discit omnes homines posse saluari. Rursumque quod uiderat in specie candidissimi lintheaminis in superna transfertur, & credentium turbam de terris ad cœlum rapit, ut pollicitatio domini compleatur, Beati mundo corde, quoniam ipsi deum uidebunt. Hæc Hieronymus. Itaque uisio illa allegoriam habet, quæ ipsa rei gestæ historia clarissime postea exponitur. Cœlum enim apertum significat aditum paratum esse ad cœlestia, nec quibusuis, sed his qui intra lintheamen sint constituti. Lintheamen mundum, ecclesiam significat Christi sanguine mundatam, quæ cœlitus nascitur, & in cœlum tandem rapitur, quæ & finibus terræ terminatur. Nam quatuor initia significant quatuor plagas mundi. Ergo in hoc sunt omnia animantium genera etiam uetita (Leuit. 11.) & immunda. Nam ecclesia colligenda erat non ex Iudæis tantum, sed & ex prophanis quoque Gentibus. Id cum eo tempore à plerisque, imò & ab apostolo Petro nesciretur, oraculo cœlitus delato clarissime docetur. Audit enim Petrus, Quæ deus purificauit, ea nemo prophana dixerit. Hæc de uisionis huius mysterio. Eadem potest etiã ad ciborum libertatem referri, quo & D. Augustinus, cuius diligentia in sacris interpretandis etiam Hieronymus commendat, Homelia 45. retulit, palam testatus Christianis liberum esse, ut quibus uelint uescantur, dummodo ad satietatem non ad luxum. Beda contra miratur quomodo hæc quidam de escis sine delectu uescendis exponant, cum serpentes & alia hic numerentur reptilia quæ uesci non possint. Quasi uero nesciamus plures apud Cosmographos inueniri Ophiophagos, serpentidos, inquam, id est, eiusmodi homines qui uictitent serpentibus: item qui crocodylo immani belua uescantur, rursus qui ostreis passim testudinibus & locustis utantur in cibo. Quin nemini dubium est simul & literæ sensum & allegoriæ mysteriū in eodē loco scripturæ citra errorem recipi posse. Nam petra percussa & æneus serpens Christum (teste scriptura) significabant: sed nihilominus uerum erat & uere contigerat quod historia narrabat. Itaque saluo uocationis Gentium mysterio, hinc etiam colligi potest, quibuslibet indifferenter uescendum esse, maxime cum hoc ipsum cum alijs scripturæ locis prorsus non pugnet: sed & illa generalis sit sententia, Quæ deus purificauit, ea nemo immunda dixerit. Huic enim si addas Paulinam sententiam, Omnia pura puris, iam habebis quod uolebas, liberum esse fidelibus cibum quemlibet, modo cum gratiarum actione uescantur, 1. Timoth. 4.

Delectus ciborum.

Et dum apud sese hæsitaret Petrus, quæ nam esset uisio quam uidisset, ecce uiri qui missi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, adstiterunt ad ianuam. Et euocato quopiam, interrogabant, an Simon qui cognominaretur Petrus, illic haberet hospitium. Petro uero cogitante de uisione, dixit spiritus ei: Ecce uiri quærunt te. Surge itaque & descende, & uade cum eis, nihil hæsitans, propterea quod ego misi illos.

Hæsitant

Hæsitant enim & sancti nonnunquam, sed protinus instituuntur à domino, quem admodum uidemus hoc loco usu uenire Petro. Exponit enim uisionem spiritus, & ait, Descende ad uiros qui te quærunt, & uade cum illis, nihil hæsitans impartiri Gentibus gratiam Euangelij. Ex me enim institutum est quod suscipis. Existimat autem Beda spiritum dicere, quando occulta uel gratiæ, quæ agenda sunt cernimus.

Descendens autem Petrus ad uiros qui missi erant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce ego sum ille quem quæritis: Quæ causa est propter quã uenistis? Qui dixerunt: Cornelius Centurio, uir iustus, ac timens deum, & testimonium habens ab uniuerſa gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab angelo sancto, ut accerferet te in domum suam, & audiret uerba abs te. Intrò uocatos igitur eos, recepit hospitio.

Nihil hic aliud dicitur, quàm quod supra audiuimus expositum, nisi quod hic in serie narrationis siue historiæ pingitur mira Petri familiaritas ac hospitalitas, omnibus uiris apostolicis & ecclesiæ proceribus in exemplum, ut & ipsi humani, comes, benigni, & hospitales sint: non arrogantes, superciliosi, præfracti & plus nimio tenaces. Porro uerba posuerunt more Hebraico pro toto commisso negotio.

Sequenti uero die Petrus profectus est cum illis, & quidam ex fratribus ab Ioppenſibus comitati sunt eum. Postridie uero introierunt Cæsaream.

Hæc faciunt ad explendam historiæ seriem. Interim uero monent, ne quid nos pigeat laboris propter dominum & ecclesiæ suæ utilitatem suscepti: præterea Ioppenſes singulari quadam dei prouidentia in comitatu sunt, ut testes eorum essent quæ gererentur.

Porro Cornelius expectabat illos, conuocatis cognatis suis, ac necessarijs amicis.

Duas huius conuocationis causas assignant. Prior, ut ipsum nobile factum plures haberet testes. Posterior, ut beneficium ad plures diffunderetur. Solet enim mens pia admodum esse anxiosa, ut communis ac supremæ salutis multi, in primis uero necessarii nostri, sint participes. Hunc locum si obseruarent Catabaptistæ, nimirum intelligerent parentes de liberorum salute anxios esse, quando & Cornelius amicorum maximam uideretur habuisse rationem. Necessarii autem (Græcus ἀναγκαῖος φίλος dixit) Latinis dicuntur, qui iure affinitatis & peculiaris amicitie nobis coniuncti sunt. Et necessitudo inde dicta est ipsum ius & officium obseruantie affinitatis. De hoc Gellius pluribus in 13. capite tertio.

Vt autem factum est ut introiret Petrus, obuiam progressus ei Cornelius, ac procidens ad pedes, adorauit eum. Petrus uero erexit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum.

Reuerentia prorsus debetur seruis dei ac sanctis hominibus, sed humana ac moderata. Modum excedebat Cornelius, & proinde corripitur à Petro. Procidens enim ad pedes apostoli hominem adorauit: quod quidem non tantum ad geniculationem & gestum corporis (ut apud Hebræos sæpe) referri potest, quam iam expresserat, cum dixerat, Procidens ad pedes, sed plus quippiam de homine sensit, quàm conueniret. Proinde Petrus erigit eum, ac dicit: Surge, nam & ego ipse homo sum, asserens omnem gloriam deo esse deferendam. Facit hic locus plurimum aduersus eos qui cultum diuorum propugnant, & Pontificis Romani tuentur tyrannidem. Hic enim cum se Petri iaceret Vicarium, non modo Centurionem aliquem non erigit, sed ipsum etiam Romanorum Imperatorem maximum ad pedes deiectum, pedibus (ut aiunt) coronat, denique & pedes (turpe dictum) ad oscula obijcit in omnibus. Quod sane nullo apostolorum exemplo didicit, sed pessimorum in orbe hominum ritu. Nam Diocletianus maximus fidei Christianæ persequutor, edicto sanxit, uti omnes prostrati, pedes sibi exoscularentur,

Familiaritas.

Reuerentia.

Pedum osculatio.

quibus etiam uenerationem quandam (ut ait Urbinas Polydorus) adhibuit, exornās calceamenta auro gemmis ac margaritis: quod fecisse antea Caium Caligulam totius reipublicæ pestem nocentissimam, scribit Seneca.

Et colloquens cū illo, intrauit, & offendit multos qui conuenerant, dixitq; ad illos: Vos scitis, non esse fas uiro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi ostendit deus, ne quem communem, aut immundum dicerem hominem, quapropter & incunctanter ueni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me?

Deut. 7.

Iterum ostendit quædam in Petro humanitatis & familiaritatis indicia. Deinde uero recenset quomodo se expurgarit ab ea labe qua uideri poterat aspersus, quod cōtra legem domini commisceretur Gentibus. Nam aderant ex Ioppen sibus uiri qui hac re poterant offendi. Rursus, cum ipse Cornelius unā cum suis tanto tempore iam inter Iudæos esset uersatus, nescire non potuit quo animo Iudæi in Gentes essent adfecti. Proinde ne uel illi offenderentur, uel hic parum rei fideret, priusquam ipsam rem aggredia tur illud quod offendere ac labefactare poterat infirmorum mentes, apologia eximit. Hinc uero interrogat cur uocarent: nō quod nesciret qua causa uocatus esset, sed ut coram fatentes audiret, & solidi in deum amoris non fallentia perciperet argumenta: de-

Consortium
Gentium.

niq; ut undiq; sibi probe constaret cum reuelationis tum rei gestæ historia. Cæterum si quis indecorum & deo indignū putat, ut quod olim oderit aut inhibuerit, nunc amet & præcipiat: is expendat quod prius illud de uitando Gentium cōtubernio præceptum, ad tempus datum est, & quod ad morum uitæq; contagionem euitandam magis perti nit, quàm ad externam uitæ conuersationem.

Et Cornelius ait: Die ab hinc quarto usq; ad hanc horam sedebam ieiunus, & hora nona precabar in domo mea, & ecce uir stetit ante me in ueste splendida, & ait: Corneli, exaudita est deprecatio tua, & elemosynæ tuæ in memoria habitæ sunt coram deo. Mitte ergo qui eant Ioppen, & accerse Simonem qui cognominatur Petrus, hic diuersatur in ædibus Simonis coriarij iuxta mare, qui simul atq; uenerit, loquetur tibi. Cōfestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti qui adueneris. Nūc ergo omnes nos, teste deo, adsumus, ut audiamus omnia quæcunq; tibi præcepta sunt à deo.

Gratitudo.

Eadem dicuntur, quæ iam secundo sunt exposita. Declarant autem quàm probe sibi constet scripturæ sanctæ ueritas. Ad finem autem adiecta est illa elegantissima Cornelij & suorum confessio, & prudens gratiarum actio. Agit enim gratias quod uenire ad se dignatus sit. Agnoscens Euangelij prædicationem summū adeoq; incomparabile esse beneficium. Habes enim in hoc Cornelio summas quasq; uirtutes, fidem, obedientiā, pietatem, iustitiam, gratitudinem & prudentiam, absolutissime propositas. Nostro sæculo nulla re perinde peccatur, atq; ingratitude & neglectu non modo ministrorum uerbi, sed & uerbi ipsius. His subiungitur pia confessio, Nunc ergo nos omnes, teste deo, adsumus, nulla fraude aut sinistra mente præditi, sed ut simplici & sincero animo omnia ea audiamus quæ à domino tibi mandata sunt. Talem animum si hodie adlectionem sacrarum literarum & conciones Christianas adferremus, iam plus esset fructus Euangelici, & minus hypocriseos ac indignationis. Cæterum quales accedimus, tales & efficimur. Prauo animo accedimus, ergo auari & iniusti non equidem per uerbum efficimur, sed malitiam congenitam, & altius infidentem uerbo uel defendere, uel lenire, uel obtegere cupimus: & proinde deteriores redimus. Præstiterat enī pura mente ad oracula dei pura, omnibus positis adfectibus accedere.

Audire uerbum.

Aperiens autem Petrus os, dixit: Re ipsa comperio, quod non sit personarum

personarū respectus apud deum, sed in quauis gente qui timet ipsum, & operatur iustitiam, is acceptus est illi.

Cognita auditorum sinceritate & audiendi ardore, maxima grauitate se ad orādum componit. Oratio autem quam ad illos habet, genus sapit Didacticū. Nam expositione historica ostendit quid per Christū in carne egerit ac donarit nobis deus, remissionem uidelicet peccatorū, & æternæ uitæ hæreditatem, quæ percipiatur solida in Christum fide. Priusquam tamen ipsam Euangelij prædicationē de Christo ordiatur, ipsam maceriem & ipsum diruit interstitium, quod hæctenus Gentes diuiserat à Iudæis, & ait: ἐπὶ ἀληθείας καταλαμβάνομαι, In ipsa rei ueritate deprehendo quod apud Deum non fit ullus personarum respectus, ita ut Iudæus circumcisus Gentili præputiato præstet propter externam rerum quarundā obseruationem. Video enim pietatem animi, non speciem pietatis placere deo, adeo ut cuiuscunq; Gentis quis sit Barbarus, Scytha, Romanus, Græcus uel Iudæus, deo nihilominus placeat, si modo amplectatur iustitiā, & uerè pius sit. Sic enim subleuauit Gentium mentes, ne forsan se à deo (iuxta inueteratam Iudæorum opinionem) crederent neglectas. Ex materia autem dicti dirigendus est sermo, ne citra conditionem & rationem cum temporis tum personarum uerba intelligens, Christum euacues. Nihil hic disputat de his Gentibus, ad quas Euangelij fulgor non peruenit. Illas enim iudicio dei relinquimus indemnatas. De præsentī statu rerum loquitur, in quo nonnulli negabant Euangelij gratiā ad Gentes pertinere, id quod hoc loco asserit Petrus. Quòd si per opera sine Christo quisquam saluari posset aut unquam potuisset, iam Christus euacuatus esset, nec expiatio totius mundi recte crederetur. Proinde si qui apud Gentes saluati sunt, ut innumeram turbam saluatā credimus, certe non sine Christo saluati sunt, Omnia enim à condito orbe, à deo per filium facta sunt: etsi mysterium non omnibus æque illuxerit, sed alijs clarius, alijs obscurius. Facit huc quoq; quod Isaias, Ieremias, Daniel ac cæteri prophætæ nō minori diligentia Gentibus quàm Iudæis uerbum ueritatis annunciarunt, isdem cum pœnas tum benignitatem dei proponentes. Proinde si ante Christum & apostolicam in Gentes prædicationem Gentes quoq; deo placuerunt, propter iustitiā & pietatem placuerunt: at nulla pietas ac iustitia sine filio dei perfecta, ex gratia ergo dei & per meritum Christi placuerunt deo. Quemadmodum & ex Iudæis & uetustis patribus omnes propter uenturum Christum seruati sunt, quem tamen non aliter quàm in ænigmate tunc quidem uiderunt. Verum hæc omnia (ut diximus) iusto dei iudicio indemnata relinquimus: nos de præsentī rerum statu loquimur.

Personam non accipit deus.

Sermonem quem misit deus filijs Israël, annuncians pacem per Iesum Christum (hic est omnium dominus) ipsi nostis, de quo sermone fama diuulgatum fuit in tota Iudæa: rumore primum orto à Galilæa, post baptisma quod prædicabat Ioannes, ut Iesum Nazarenum unxerit deus spiritu sancto & uirtute, qui obambulauit benefaciendo, & sanando omnes oppressos à diabolo, quoniam deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium quæ fecit & in regione Iudæorum, & Hierosolymis, quem occiderunt suspensum in ligno. Hunc deus suscitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifestus fieret non toti populo, sed testibus prius ad hoc delectis à deo, nimirum nobis, qui comedimus & bibimus unà cum illo, posteaquam resurrexit à mortuis.

Oratio paulò est obscurior, propter longius hyperbaton, & membrorum inter se D. Petrus præmixtionem. Sic ergo explicari poterit: Scitis negotium quod deus coepit cum filijs Israël, nempe quomodo filium misit (qui omnium rerum dominus est) ut pacem annunciarer. Scitis inquam uel fama, quæ de illo per uniuersam Iudæam spargebatur, in dice, quomodo hic in Galilæa primum coeperit Euangelij prædicationem, præmisso

Ioannis Bapti-
stæ prædicatio.

tamen Ioanne, qui illi parauit uiam, ac testimoniū perhibuit quòd sit filius dei. Id quòd ipsemet dominus protinus uel signis comprobauit. Nam obambulauit, &c. Iam ergo uides bonam huius obscuritatis partem inde oriri, quòd Lucas breuitati studens non integram ascripsit Petri prædicationem, sed prædicationis dūtaxat prima capita. Solet autem id genus scribendi conscisum ac inuolutum esse. Hic ergo textit euangelicam de Christo historiam, quis sit, cur & quomodo uenerit, quid contulerit. Principio autem in genere dicit: Audistis quomodo deus Iesum Christum omnium rerum dominū nūserit, ut pacem annūciaret: statim in ipso orationis initio docens Iesum esse uerū deum & hominem: item quid contulerit, pacem. Nam deus sibi per hunc totum mundū reconciliauit. Hanc summam iam fufius spargit, & diligentius exponit, modum, initia & totam rem gestam enarrans. Auspicatur autem à Ioanne Baptista. Hic enim primus & maximus fuit Euangelij Christi præco, quòd uel ex 1. Ioan. cap. liquet, & ex eo quòd Marcus dixit, Initium Euangelij Iesu Christi filij dei, sicut scriptum est in prophetis. Id est, Euangelium de Iesu Christo dei filio sic ccepit, ut prædictum est à prophetis, nempe à prædicatione Ioannis. Errant enim foedissime qui nescio quid mediationis Ioanni tribuunt, ita tamen ut neq; legem prorsus, neq; Euangelium omnino prædicarit. Nam aliud tradidere nobis Euangelistæ sanctissimi: aliud tradit hoc loco Petrus, dicens, Ioannem prædicasse (obserua loquutionis genus) Baptisma, id est doctrinam de expiatione, & quomodo Iesum Nazarenum unxerit deus spiritu sancto & uirtute. Ecce Ioānes prædicauit quomodo apud filium omnium rerum sit potestas. Quid autem hoc aliud est quàm Euangelij prædicare? Legatur caput Ioan. 1. & 3. & clarissime apparebit quid Ioannes de spiritu, unctione & uirtute Christi testatus sit. Quanquam hæc particula, Ut Iesum Nazarenum unxerit, &c. uideri poterat ad superiora esse referenda, ut intelligamus rumorem de Christo sparsum quomodo ipsum unxisset deus. Sed hic sensus paulò est coactior, & à simplicitate remotior. Hæc de Ioannis prædicatione & testimonio: iam historix seriem subtexere pergit, miracula referens, quæ non humana, sed diuina uirtute patrauit, id quòd sic extulit, Quoniã deus erat cum eo, ita loquens humano more, cum reuera senserit illa signa diuinæ eius fuisse naturæ: id quòd ipse dominus de sese palàm testatur apud Ioannē in 10. Et quo grauius pondus haberet narratio, addit ceu à pronuntiatis testimonia, nempe quòd ipse Petrus unã cum alijs Apostolis omnium rerum gestarum in Iudæa, Samaria ac Galilæa fuerint spectatores, & proinde certissimi testes. Addit præterea mortem Christi, & à mortuis resurrectionem ueram, quam & multis comprobarit signis, de quibus in cap. 1. Breuiter, Cornelio & suis nihil aliud prædicauit quàm Euangelium de Iesu Christo crucifixo & resuscitato. Fructum & scopum eius subiungit.

Et præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac testificaremur quod ipse sit ille qui constitutus erat à deo iudex uiuorum ac mortuorum.

Christus Iesus dei filius omnipotens, iustus & iudex omnium est. Vnice ergo colendus & timendus est. Huc enim pertinent miracula omnia, ne cruce & ignominiosa offendamur morte, sed ipsum nihilominus credamus uerum esse deum. Iudicio enim patet eius diuinitas Ioan. 5. cap. Iam mortis miserix & humilitatis fructus iam sequitur.

Huic omnes prophetæ testimonium ferunt, quòd remissionem peccatorum accepturus sit per nomen eius quisquis crediderit in eum.

Ex morte Christi emergit nobis uita, redemptio & salus. Neq; hoc quisquã uanum putet. Hoc enim docuere omnes quotquot unquam ab initio uixerunt prophete, nempe quòd omnis qui in filium dei credit, remissionem peccatorū & æternam uitam assequatur. Moses non uno in loco, clarissime tamen Exodi 12. Isaias in 43. & 53. Ieremias in 23. & 37. Ezechiel in 36. Daniel in 9. Hic autem orauerim te Lector, ut hanc Petri prædicationem conferas cum superioribus, & cum ijs quæ de absoluta fide citauimus ex Irenæo & Tertulliano, hincq; iudices quæ apostolica & uetus de fide sit traditio. Solum Christum prædicat, & in hoc omnia, Id si nostri quoq; facerent, interissent indulgentiæ,

gentiæ, idola, anathemata, Missæ, & id genus humanæ traditiones. Sed de hisce forsitan copiosiora dicemus in 15. cap.

Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes qui audiebant sermonem. Et obstupuerunt hi qui ex circumcisorum genere credebant, quotquot uenerant cum Petro, quòd & in gentes donum spiritus sancti effusum esset. Audiebant enim illos loquentes linguis ac magnificantes deum.

Vt gratiæ suæ largitionem erga Gentes testaretur deus, spiritum demittit ante baptismum, ut Iudæis declararet quod et Gentes in populi dei albo sint recensiti, et iustitia dei nullis acquiratur rebus externis. Nam & ante baptismum & sine circumcissione & ceremonijs donatus est spiritu sancto Cornelius. Vnde in 15. cap. colligit Petrus iustitiam ueram misericordiæ dei & fidei deberi, non legalibus aut externis. Inde erat quod circumcisi mirarentur. Existimabant enim quod ad solum semen Abrahæ carnale pertineret prophetarum promissio. Cum tamen illi satis clare dixerint spiritum sanctum super omnes effundendum esse, qui inuocarent nomen domini. Hic quoque ne quid omnino dubij superesset, non aliter uarijs linguis loqui cœperunt quàm supra in 2. cap. cœpissent Iudæi. Sic enim in prima illa & maxima uocatione Gentium oportuit illas quidem citra omne legis præsidium Iudæis æquari, ut certò iam constaret iustitiam solius esse gratiæ & electionis diuinæ & nullorum operum.

Tunc respondit Petrus: Num quis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine domini.

Clarissimo signo euectus Petrus, qui & præter illud, maximam uiderat uisionem docentem Gentes à societate populi dei non esse arcendas, subiicit: Nemo omnino posthac prohibere poterit ut Gentes non baptizemus. Quando non secus spiritu sancto baptizati sint, atque nos baptizati sumus. Ex quibus uerbis nos colligere possumus quid sit baptismus, & quibus debeatur. Est enim baptismus initiale sacramentum populi dei, quo intra populum dei ascribimur, & sub ueram unius dei religionem uitæque innocentiam astringimur. Debetur autem ijs qui sunt dei. Sic enim dicit Petrus, Cur non baptizarem eos qui acceperunt spiritum sanctum? At accipere spiritum sanctum quid aliud est quàm externo manifestari signo quod dei sis qui donum dei accipis. Nam ipse Petrus postea in 15. cap. spiritum sanctum testimonium appellat. Iam ergo sic colligimus. Quicumque dei sunt baptizandi sunt, pueri dei sunt, ergo baptizandi sunt. Hanc ratiocinationem nemo Catapaptistarum eludet. Siquidem Maior ut uocant propositio firmatur hisce Petri uerbis, quibus planissime exponit quibus debeatur baptismus. Porro Minor propositio multo est clarissima & Christi & apostoli uerbis confirmata. Nam Christus in Euangelio, Sinite (inquit) pueros uenire ad me. Talium enim est regnum cœlorum. Et Paulus ad Corinth., Sanctificatus (ait) est maritus incredulus per uxorem fidelem, & sanctificata est uxor incredula per maritum. Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quæ sanctimonia non est ex carnali natiuitate, sed fide ac gratia dei, quæ illis impartitur qui nascuntur de fidelibus. Tales enim sunt filij Abrahæ non secundum carnem, sed secundum spiritum. Carnales enim rebus externis & carnalibus nituntur. Spirituales uero gratiæ. Non ait, Sancti sunt quia ex carne Abrahæ sunt, sed sancti sunt, quia ex fidelibus sunt. Sumus autem ex gratia fideles. Cæterum si quis obijciat, Satis certum fuisse Cornelium atque suos dei fuisse, eò quod uisibili signo confirmati sint: illud autem signum nullibi comparere in infantibus. Respondemus hinc non consequi quod omnes qui spiritu dei præditi sunt, protinus & externo signo spiritus manifestentur. Hoc enim in initio factum oportuit, ne quis dubitaret gentes non esse dei. Iam uero apostolus in Romanis dicit, Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Id si uertas inuenies eos qui Christi sunt, spiritum Christi

Baptismus spiritus.

Baptismus paruulorum.

habere. Astipulatur nobis & Aurelius Augustinus de Præsentia dei ad Dardanum capite 12. dicens, Dicimus in baptizatis paruulis, quamuis id nesciant, habitare spiritum sanctum. Sic enim cum nesciunt (quamuis sit in eis) quemadmodum & nesciunt mentem suam, cuius in eis ratio, qua uti nondum possunt, uelut quædam scintilla sopita est, excitanda ætatis accessu. Hæc Augustinus: sed redimus ad historiam. Petrus ergo iussit illos baptizari in nomen domini. Vnus enim dominus est in essentia, trinus in persona. In idem ergo recidit siue in nomen domini, siue in nomen patris, filij & spiritus sancti baptizemus. Id quod propter illos annotamus, qui Græcos damnantes, nodum in scyrpo quærunt superstitiosuli. Et Beda ipse hunc locum de forma (ut aiunt) baptismi disputans ex diui Ambrosij autoritate non aliter tractat, quàm nos tractauimus.

Tunc rogauerunt eum, ut remaneret aliquot dies.

Audire uerbū.

Humanitatis & gratitudinis argumentum est deniq; & ardoris in uerbum domini, quo illi ab optimo simul ac fidelissimo ueritatis doctore plenius cupiebant erudiri. Iudæi contra apostolos proscribent, & e synagogis eiiciebant ac persequiebantur. Nostri quoq; ad primam quamq; prædicationem se absolutos esse, & nullo doctore nullâue institutione posthac egere arbitrantur. Illi spiritum sanctum acceperant, & tamen orant ut Petrus remaneat, nostri nondum didicerunt an sit spiritus sanctus, & tamen absolutos se esse credunt. Sed uani sunt qui hac ipsa re suam inscitiam produnt. Verissime enim de aqua sapientiæ dixeris illud poëtæ:

Quo plus sunt potæ plus sitiuntur aquæ.

CAP. XI.

Audierunt autem apostoli & fratres, qui erant in Iudæa, quòd & Gentes recepissent sermonem dei. Cumq; ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Ad uiros præputium habentes introisti, & edisti cum illis.

Res noua nouo & mirabili modo uerbisq; quàm manifestissimis & copiosissimis exponi debebat, ne quid omnino dubij esset de Gentibus, hoc est, ne quis fortassis putaret illas exclusas esse ab Euangelica salute. Proinde ut certo crederemus & has pertinere ad populum dei, repetuntur eadem quæ iam audiuius. Hastenus enim execrabantur Iudæi Gentiles ceu impuros, prophanos & impios, adeo ut nec congressu dignarentur & templum suum pollui crederent si quis forte incircumcisus esset ingressus. Atq; adeo hæc inoleuit opinio, ut & apostoli cum Petro exostularent quòd Gentibus fuisset commixtus. Non quòd salutem Gentibus inuiderent, sed quòd indignos putarent quibus proponerentur cœlestes thesauri.

Petrus autem rem ab initio repetens, exposuit illis ordine, dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & uidi raptus extra me uisionem, descendere uas quoddam, ceu linteum magnum quatuor initijs emissum e coelo, & uenit usq; ad me. In quòd cum intendissem oculos, animaduerti & uidi quadrupedia terræ, & bestias, & reptilia, & uolatilia cœli. Audiui autem & uocem dicentem mihi: Surge Petre, macta & uescere. Dicebam autem: Nequaquam domine, quia nihil cōmune aut immundum unquam introiuit in os meum. Respondit autem mihi uox rursus e coelo: Quæ deus mundauit, tu ne communia dixeris. Idq; accidit tertio, & rursus omnia subducta sunt in cœlum. Et ecce extemplo tres uiri præsto aderant in ædibus, in quibus eram, e Cæsarea missi ad me. Dixerat autem mihi spiritus, ut congregarer cum illis, nihil hæsitans. Porrò comitati me sunt & sex fratres hi. Et ingressi
sumus

sumus in domum uiri: isq̄ retulit nobis, ut uidisset angelum domi sue, qui adstitisset ac dixisset sibi: Emitte uiros Ioppen, & accersē Simonē, cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus est, per quæ serueris & tu, & uniuersa domus tua. Cum autem exorsus essem sermonē, illapsus est spiritus sanctus in illos, quemadmodum & in nos fuerat illapsus initio. Veniebat autem in mentem quod dixerat dominus: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum uos baptizabimini spiritu sancto. Proinde si par donum dedit illis deus, quemadmodum & nobis quum credidissimus in dominum Iesum Christum, ego porrò quis eram, qui possem obsistere deo? His autem auditis obticuerunt, & glorificauerunt deum, dicentes: Igitur & Gentibus deus pœnitentiam concessit ad uitam.

Idem in hac responsione Petri repetitur quod in decimo capite dictum est, sed mutata orationis figura siue statu. Quod enim superius historica narratione contextum est, hic apologetica expositione proponitur. In summa. Cum Iudæi ad Christianismum conuersi, interim uero non nihil Iudaizantes, crederent Gentes immundas esse, & ab euāgelica gratia arcendas, quippe cum ipsis earum quoq̄ consortio esset interdictum, Petrus argumento spiritus contrariū asserit, Gentes uidelicet sanctificatas esse, & Christi sanguine mundatas, & proinde à se non repulsas, sed baptizatas. Cæterum miram uehementiam habet quod dicit, Si par donum dedit illis deus quemadmodum & nobis dum credidissimus, ego porrò quis eram qui possem obsistere deo? In quem locum Paraphrastes, An iam à domino spiritu baptizatis (inquit) negare debui baptismum aquæ, quæ nihil aliud est quàm signum gratiæ diuinitus cōferendæ? Atqui gratia iam præcesserat citra nostram operam. Itaq̄ negare baptismū aquæ quid aliud fuisset quàm improbare quod fecisset deus? Edocti ergo ueritatem à Petro, non remurmurant aut conuittantur, sed deum glorificant quod deus prophanis istis Gentibus aditum aperuisset ad uitam per respicientiam in Christo. Nam Euangelium (ut alibi ostēdimus) pœnitentiam ac remissionem peccatorum in Christo prædicat.

Et illi quidem qui dispersi fuerant ex afflictione, quæ orta fuerat ob Stephanum, perambulauerunt usq̄ ad Phœnicen, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes sermonem illum, nisi solis Iudæis.

Ergo quod Petro contigerat ignorabāt illi, inde non nisi profelytos ac Iudæos euangeliū communicatione dignati sunt. Porrò reliquis quibusdam mysteria sua reuelauit deus, ut illi Gentibus prædicarent Euangelium, quod sequentibus describitur.

Erant autem quidam ex eis uiri Cyprii & Cyrenenses, qui cum introissent Antiochiā, loquebantur ad Græcos, prædicantes dominum Iesum. Et erat manus domini cum eis, multusq̄ numerus credentium conuersus est ad dominum.

Comprobata uocatione Gentium, posthac, pauculis quibusdam per 12. cap. infer- *Ecclesia Gen-*
tis, Gentium ecclesiam omnibus uirtutibus, & ornamentis persequitur, exactissime ob *tium.*
oculos illam statuens, ac docens quomodo uocata per uerbum obediit, Christum susceperit, errores reliquerit, & deum in iustitia coluerit. Principio autem primitias Gen-
tium, Antiochenam ecclesiam, sanē & sanctissimā & speciosissimam describit. Postissi-
mum autem in illa ornamentū fuit prædicatio Christi domini pura. Nihil enim aliud
dicitur, quàm Prædicantes dominum Iesum. In hoc enim quum sit omnis plenitudo,
non est ut præter illum aut cum illo quicquā aliud prædicetur. Quin & feliciter omnia
cedebant, domino auxilium & gratiam suppeditante, adeo ut ingens numerus conuer-

teretur ad dominum. A domino enim est conuersio ad ueritatem, Jeremiæ 37.

Firmo & solido corde.

Peruenit autem rumor ad aures ecclesiæ, quæ erat Hierosolymis, super his, & miserunt Barnabam, ut iret Antiochiam. Qui quum peruenisset, & uidisset gratiam dei, gauisus est, & hortabatur omnes, ut proposito cordis perseverarent adherere domino. Nam erat uir bonus, ac plenus spiritu sancto & fide. Et addita est multa turba domino.

Constantia.

Eiusdem generis est cum illo, quod eadem illa Hierosolymorum ecclesia in Samariam misit Petrum & Ioannem: de quo satis dictum in s. cap. Commendatur autem hoc loco lectoribus Barnabas, qui unus ex maximis & eruditissimis apostolis fuit, cuius mentio facta est in capite s. Hic nullum nouum dogma in Antiochenam induxit ecclesiam, sed recte & simpliciter in Christo Iesu institutos animat atque confirmat, adhortans ut obfirmato corde pergerent adherere domino. Vnde nos iterum colligimus, quod omnes uirtutes bonæ languescunt ac inutiles sunt, nisi absoluantur constantia & infessa in bono perseverantia. Colligimus item quàm paucis contenti legibus apostoli, in hoc omnes animi uires intenderint, ut in uia domini constitutos retinerent, & in hac quàm longissime promouerent. Nisi enim in uia qua cœpimus, nihil respicientes, ierimus, frustra profectionem incœpimus. Siquidem ipse in Euangelio dominus, Qui (inquit) admota manu sua aratro respexerit, non est me dignus.

Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum: quem quum inuenisset, perduxit Antiochiã. Accidit autem ut annũ totum consuetudinem agerent cum ea congregatione, docerentque turbã multam, & discipuli cognominarentur primum Antiochiæ Christiani.

Christiani nomen.

Vide mirabile dei consilium, Iudæi uas electionis auersantur, ac Gentes contra summa complectuntur obseruantia. Prius audiuimus Paulum deductum à nonnullis fratribus abijisse Cæsaream, & ab hac soluisse Tarsum Ciliciæ, hæc cum Antiochiæ ferè uicina esset, uocatur à Barnaba, uocantemque sequitur Paulus. Non enim aspernenda est uocatio, quæ tametsi careat externo miraculo, à præclaro tamen aliquo uerbi dei fit ministro. Siquidem hæc uocatio felix ac fausta fuit Paulo. Nam huius & collegarum opera Antiochiæ celeberrima, & toto orbe laudatissima collecta est ecclesia, in qua primitus nobile Christianorum nomen inuentum, illisque inditum est, quibus hæctenus discipulorum appellatio, uti sæpe iam monuimus, indita fuerat. Porro de hoc nobili nomine nemo post Eusebium Ecclesiast. hist. libro 1. cap. 1. scripsit copiosius. Certe Christiani dicimur ab authore Christo domino, cui credimus, in quem baptizati sumus, cuius leges colimus, iustitiam ac redemptionem ueneramus, cuius item spiritu donati, charitateque sancto uncti per ipsum gaudemus. Dolendum uero quod hoc nobile nomen in tantum uenerit contemptum, ut impura nostra uita inquinatum, multis Gentibus sit materia ridendi. Dolendum magis quod nos quidem ipsi hoc cœlesti titulo abutimur ad hypocrisis, auaritiæ, crudelitatis ac impietatis nostræ prætextum. Nemo non hoc nomine gaudet, sed quotusquisque nostrum uita ac fide exprimit quod audit. Turpe erat Platonici, aut Stoici, aut Epicureis quoque nescire magistri sui dogmata, illis non superstitiose etiam inhærere, contrarias auersari hæreses, sui dogmata magistri propugnare, & ad astra usque extollere. Solis nobis licet magistrum ignorare Christum, dogmata eius proscribere, diuersa amplecti, imò hoc deserto in aliam siue Benedicti, siue Dominici, siue Francisci, siue Bernhaldi, aut Brunonis trãsire sectam. Sed faxit ille filius dei omnipotens Christus, ut posthac & uita, & doctrina Christianorum titulo melius respondeat.

In his autem diebus superuenerunt ab urbè Hierosolymorum propheta Antiochiam, surgensque unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare.

Raro

Raro inuenias ecclesie felicitatem prorsus omniq; parte beatissimam fuisse. Iam enim auspiciatissima quædam audiuimus de felici Antiochenis ecclesie successu: cæterum in hisce sequentibus multo audiemus miserima de fame omnium maxima qua supra modum ecclesia fidelium affligebatur. Ne ergo tædeat nos laboris & uicissitudinis rerum, o fratres. Si enim suscepimus bona de manu domini, mala cur non sustineamus? Cause et rerum nostrarum summam non metimur felicitate aut uoluptate, sed fide & malorum tolerantia. In quibus hoc maxime consolatur quod dominus suos nunq; deseruit, imò semper præmonuit, illisq; præ cæteris prospexit. Nam ut Aegyptios unà cum patriarchis olim unius Iosephi prudentia ab impendente fame præmonendo præseruauit: ita hic ecclesiam suam per prophetas, id est eos qui diuinandi ualebant peritia, in primis autem per Agabum monuit, ut scirent sibi prospicerentq;. Verissime enim Silius Italicus, Nil (inquit) temerare piget rabidi ieiunia uentris, Sed uetustas omnis male suadam famè dixit: hinc tam diligenter monentur sancti. D. Ioan. Chrysosto. aliam quoq; huius uaticinij causam annotat hisce uerbis, Necessario hic famem magnam futuram significat propheta, quæ sanè sicut prædicta est contigit. Ut enim ne putent quidam propter hoc factam famem quod Christianismus ingressus est, uel quod demones deieci fuerint, prædicat spiritus sanctus, quod enèturum esset, sicut & Christus prædixit multa, & euenerunt. Non igitur propter hoc, quoniã oportebat ab initio hoc fieri, sed propter mala quæ in Apostolos facta, quæ cum & fierent, longanimiter ferebat deus. Quum autem in peccatis perscuerarent, fames magna facta est, significans Iudæis euentura mala. At dicis: Si propter malos hæc fiebant, oportebat bonos à malis separari. Quid enim iniuste egerant Græci, ut propter Iudæos malorum fierent participes, qui nihil mali fecerant? Quare dic mihi: Nonne prius dixit eis Christus, In mundo tribulatione habebitis? Tu autè hæc dicens, forsitan & hæc dices quod neq; flagellari eos oportebat. Hæc autem omnia ex Græco illo authore prorsus ecclesiastico propter eos maxime ascripsimus, qui etiam hodie bella, fames, pestes, et omnis generis infortunia ad nuperum illud (ut aiunt) Euangelij dogma referunt, neq; uero unquam expendunt quod maxima illa mala nobis iustissimo dei irrogantur iudicio, propter scelera & nephanda flagitia nostra. Sunt enim qui ueritatè proscribunt, sanctos in exilium pellunt, sanctos sanctorum hominum libros cremant, ueritatem blasphemant, ministros uerbi indignissime tractant, excarnificant, iugulant, ius et iustitiam corrumpunt, ecclesie opes luxu concoquunt, patriam ære produnt, uisuris uersutis & sutelis pauperes circūueniunt, & delicatuli ex sudore pupillarum uidiuarum & egenorum uiuunt: deniq; & libidine, adulterio, & ebrietate omnia conspurcant. Propter hæc enim uenit ira domini super nos, non propter euangelij prædicationem, sed magis propter prædicationis neglectum. Verum inueteratum est istud & iam olim omnium impiorum à sæculo protritissimū conuictum, Ex ueritatis prædicatione nil boni emeruisse unquam. Impingunt istud impij Ieremie apud Iere. in 44. Et Ecclesiastici scriptores ad illud responderunt sæpissime. Nam Demetriano hoc ipsum obijcienti doctissime respondit sanctus dei martyr Cyprianus, & Symacho doctissimus & uigilantissimus Ligurij præsul Ambrosius. Quin & Aur. Augustinus libro de Consen. Euangelistarum primo cap. 33. maxime in eos inuehitur, qui conqueruntur per doctrinam Christianam rerum imminui felicitatem. Clarissime enim docet hanc morum imminui turpitudinè. Quod si quis consulat prophanos rerum scriptores, uel in his deprehendet impijssimam eius sæculi in quo uixere apostoli uitam in causa fuisse cur dominus tanta fame excruciarit miseros mortales. Videtur & ipse Lucas hoc notasse cum principis Claudij nomen refert in historiam. Hic enim prophanissimus existens, talibus imperitabat qualis ipse erat. Vere enim Claudianus, Mobile (inquit) mutatur semper cum principe uulgus. Siquidem Claudius imperator uentri (ut ait Sex. Aur. Victor) uino, libidini scædæ obediens, uecors & prope hebes, ignauus ac pavidus, libertorum & coniugis imperijs subiectus fuit. Quibus subscribens Suetonius, Nunquam temere (ait) triclinio abscessit, nisi distentus ac madens: toto anno uisus fuit Saturnalia celebrare. Hinc Antonia mater portentum

De fame et cauis eius.

Ouidius Metamorph. s.

An mala emergant ex Euangelio.

Claudij inconuenientia.

eum hominis dicitabat, nec absolutum à natura, sed tantum inchoatum. Ac si quem socordiae argueret, stultiozem aiebat filio Claudio. Et Philostratus libro de Apollonio Thyaneo 5. Claudius (scribit) mulierum amore attonitus, non imperij solum, sed uitae etiam est oblitus: siquidem ab ipsis, ut fertur, interfectus est. Ita uides, amice Lector, principum ac magistratus stultitia & impietate pessum ire respublicas etiam florentissimas, id est bello aliquoties, mox seditionibus, aliquoties fame. Sed de hac ipsa fame non nihil annotauimus & in 15. ad Romanos.

Discipuli autem prout cuique suppetebat, proposuerunt in subsidium mittere habitantibus in Iudaea fratribus: quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Barnabae ac Sauli.

Misericordia.

Hic commendatur nobis misericordia & mutua charitas. De qua satis dictum in superioribus. Quod autem dicit: Prout cuique suppetebat, latius exponit Paulus in 2. ad Corinth. 8. dicens: Non sic doceo exercendam esse (paraphrasi reddo) benignitatem, utique quos iuuatis opibus, suauiter & in otio uiuant, uos autem pereatis inopia: sed ut ex aequalitate in praesenti tempore uestra copia illorum succurrat inopia, &c. Et paulo ante haec: Volo ut bona animi promptitudine, iuxta illud quod possidetis, non iuxta id quod non possidetis, aliquid in usus impendatis pauperum. Ceterum ne illud quidem neglegendum, quod istud subsidium per manus, id est, delegationem & curam maximorum apostolorum mittitur, & ad seniores mittitur. Hoc enim commendatur nobis ordo & prudens rerum dispensatio, quae non quibusuis, sed senioribus deleganda est. Illo autem instituimur, ut diligenter perspiciamus, quid cuique mandemus, imò ut curam pauperum non nisi probatissimis committamus. De qua re dixi in cap. 6.

CAP. XII.

Eodem autem tempore iniecit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de ecclesia.

Inferio est historica. Suspenderat in 11. cap. narrationem de Petro, ad res Antiochena ecclesiae exponendas uenit. Haec hic uicissim ad 13. cap. initium usque differt, ad res Petri gestas & Hierosolymitanae ecclesiae historiam redit, ac hoc 12. capite exponit pulcherrima exempla de Herodis tyrannide, de sanctorum ac ecclesiae constantia ardentibusque uotis, de ueritatis uictoria, & Tyrannorum horribili exitio. Venusta autem sunt omnia, & miram habent cum gratiam tum euidenciam. Initio autem pulchre committit historiam. Est enim conexio quod dicit, Eodem autem tempore. Nam Salustius id sic extulisset: Dum autem haec agerentur Antiochia Hierosolymis iniecit manus rex Herodes, &c. Hunc uero Herodem alij uolunt esse Tetrarcham, qui decollarat Ioannem, & Christum alba ueste indutum ludibrii causa Pilato remiserat. Quod si uerum est, necesse est ut ab exilio reuocatus ab Agrippa hoc in regni admissus sit consortium. Alij uero (quorum sententia uidetur esse sanior) Agrippam Herodis tetrarchae, ex fratre Aristobulo nepote intelligunt, qui Herodes sit cognominatus, sicut Aegyptiorum reges dicebantur Pharaones. Perhibent enim omnes Iudaeae reges à magno illo Herode, sub quo Christus nascebatur, postea cognominatos fuisse Herodes, Raphaël Volterranus lib. Geograph. 11. negotium hoc intricatissimum alias ad hunc ferè modum digessit: Herodi magno filij fuere septem, Alexander, Aristobulus, Antipater, Archelaus, Philippus, Herodes dictus Antipas, & Lyfania. Ex his priores tres à parente occisi, reliquis uero tetrarchiae ita diuisae sunt, ut à Luca expositum est, Luc. 3. Archelaus, qui patri in regno successit, protinus à Iudaeis accusatus quod crudeliter imperitaret, in exilium ab Augusto Viennam Galliae pellitur, regno eius in prouintiae formam redacto. Alexander autem, siue, quod alijs placere uideo, Aristobulus filium hunc Agrippam post se reliquit, qui in diuisione regni nihil fortiebat. Exactis ergo aliquot annis Herodem Antipam Galilaeae principem apud Tiberium accusat, & non modo nihil impetrat, sed & in carcerem conicitur. Verum mox Tiberio defuncto, à Caio, cuius amicitiae causa uinctus fuerat, statim Iudaeae rex factus, additis ei fratris Philippi defuncti & Lyfaniae tetrarchijs, Hic Herodes Herodiadis pellicis hortatu, Romam & ipse regnum impetra

Herodes.

impetraturus uenit, sed Caligulæ principis minis & iurgijs territus, in Hispaniam fugit, tetrarchia eius Agrippæ cōcessa, Vadianus ex Iosepho scribit hunc à Caio propter conspirationis cum Artabano crimen in exilium Lugdunum esse ablegatum. Post hæc Agrippa Claudij etiam principis, cui Romæ adiuuēto ad imperium fuit, fauore speq̄ erectus, limites regni prorogauit, tantamq̄ sibi auctoritatem ac maiestatem parauit, ut multis terrori esset Augustū Agrippæ nomen. Extinctus autem ab angelo anno regni eius septimo, tres filias reliquit, Bernicem, Mariamnen & Drusillā, deniq̄ filium Agrippam uirum optimum, cuius in 26. huius libri capite fit mentio. Hæc omnia copiosius persequitur Iosephus, & in Epitome sua Vadianus.

Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio: uidens autē quòd gratum esset Iudæis, perrexit comprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum etiam apprehēdisset, posuit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum asseruandum: uolens post pascha producere eum populo. Et Petrus quidē seruabatur in carcere.

More prudentum tyrannorum detondet maximorum in religione uirorum capita, si forsan ignobilis plebecula infelici ductorum casu territa ad superstitionem reuertatur. Maximus enim Euangelij præco erat hic Iacobus Ioannis frater germanus, quem maiorem cognominant, & Compostellam Galitiæ delatum mentiuntur. Discamus ergo constantes esse, & mortem pro iustitia non formidare: neq̄ felicitate ueritatem religionis nostræ metiri. Cæterum quod populo gratificatur, & eius stultissimis morem gerit affectibus, imprudētissime facit. Non enim temere Anacharsis Scytha apud Chæroneum Plutarchum clamauit, O rempublicam breui interituram, in qua uiri principes consultant, populus autem & imperita rerum plebecula decernat, cui uidelicet propriū sit & in minimis maxime formidare, & in maximis minime p̄spicere. Quod Heracle dictum Anacharsis *ἔτι τοῦ μαυτίου* fuit, ex quo Plato philosophus, rerum publicarum uir consultissimus, aperte dicebat: Nullo modo iustum imperiū uel ciuitatem appellandā, in qua popularis improbitas summa quæq̄ reipublicæ munera tractare præsumat. Nec enim de nihilo Charondas (qui leges Cathinensibus condidit) in hunc modum de populo concludebat, Qui se populo committit, fortunam, non rationem sequitur, qui fortunæ fauet, periculo & alex se dedit, qui in alea est ad ruinā & cladem inclinat. Proinde Herodes fortunam suam committebat alex cum in gratiam populi quod placebat faceret. In hoc porro maxima erat afflictio ecclesiæ, quod principum alter decollatus esset, alter uero in uincula coniectus & ipse capitalem expectaret sententiam. Sed temperauit nonnihil seruorem furoris interstitium temporis. Aut enim notatione temporis taxauit crudelitātē tyranni, qui ne festi quidem religione flexus à crudelibus abstinuit ausis. Verum ita Iudæi quoq̄ obseruabant festi sanctimoniam, nolentes ingredi prætoriū, at nihil uerentes interim innocentissimi fundere sanguinem. Aut certe dei significauit prouidēriam, qua factum est ut minus festinaretur. Tempus enim & festi obstitit religio. Iam ut nihil omitteret quod pertineret ad crudelissimi tyranni descriptionem, Modum quoq̄ & habitum uinculorum depinxit. Non modo (ait) in carcerem coniecit, sed & quatuor militum quaternionibus asseruandū tradidit. Aiunt autem Quaternionem quatuor militibus præfectum esse quibus imperet, sicut Centuriones centū, & Decani decem. Sed simplicius est, si à numero militū quaternionem dictam intelligamus: ut sedecim ordinari qui alternis uicibus catenis implicitum asseruarent, ne uel arte, uel populi elaberetur auxilio. Decretum enim apud illum erat quod à festo illum populo producere, & ad supplitium uellet educere. Cæterum illud ad mouendos affectus facit, quod tandem subiungit, Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Vnde tu conijcies quæ sit sanctorum patientia, & impiorum ferocia ac felicitas.

Cæterū precatio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deū pro eo. Exemplo hæc nobis traduntur, ut etiā nos discamus quid agendū sit in tanto rerum

In gratiam populi aliquid facere.

Tyrannis.

Oratio.

discrimine. Orandum utiq; Nam plus potest oratio iusta, quàm exquisitissima impiorum armatura. Sed de hoc dictum est in cap. 4.

Quum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte dormiebat Petrus inter duos milites, uinctus catenis duabus, & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce angelus domini adstitit, & lumen refulsit in habitaculo, percussioq; latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge uelociter. Et exciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere & subliga soleas tuas. Et fecit sic. Et dicit illi: Circunda tibi uestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat quòd uerum esset quod fiebat per angelum, sed putabat se uisum uidere. Cum autem præterissent primam ac secundam custodiam, uenerunt ad portam ferream, quæ ducit in ciuitatem, quæ ultro aperta est eis. Et exeuntes processerunt uicum unum, & continuo discessit angelus ab eo.

Imbecillitas impiorum.

Non frustra tanto uerborum apparatu describitur custodia. Hoc enim partim (ut iam diximus) notatur crudelitas tyranni: partim uero adumbratur imbecillitas tyrannorum huius sæculi, qui dum robustissimi & instructissimi sibi uidentur prorsus nulli sunt. Habent ergo hæc tacitam quandam antithesim. Nam omnia Herodis anxia sunt & seuera, ampla, prædura, inuincibilia, ærea, ferrea & omni parte munitissima. At in his omnibus nihil anxij uideris neq; in Petro neq; in angelo. Ille enim nihil se excruciat, sed quiete dormit. Hic uero nihil morans portas ferreas, militum quaterniones, catenarum nexus, ingreditur, dormientem excitat, induit, educit, adeoq; & per triplicem illam custodiam, per portam ferream illæsum educit. Quid ergo conamini carceribus, catenis, militibus, catapultis, & uiribus uestris, ô principes sæculi? Non uincitur istis Christus, non pellitur ihs ueritas. Quid uero ad hanc rem probe exprimendam uel uiuidius pingi potuisset? Talis pictura est submersio Pharaonis in alueo maris Erythrei, excidium urbis Iericho, necnon & Tyri ac Babylonis. Nam nulla est potentia contra dñm.

Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio uere, quòd miserit dominus angelum suum, & eripuerit me è manu Herodis, & ex omni expectatione plebis Iudæorum.

Nebula carnis.

Etenim cum prius uisionem habuisset, facilius credidit & hanc uisionem esse, qua significaretur ipsum fore liberandum, Videntur præterea multa dei miracula nobis esse somnia, ob carnis nostræ torporem: cæterum posteaquam fide fuerimus excitati, protinus cum gratiarum actione glorificamus deum. Hic disce deum uerum illum esse, qui educit è uinculis, nõ Leonhardum aut Vuolphgangū aliquem deum fictitium. Illum uerum deum inuocauit Petrus, illi & gloriam liberationis tribuit. Vide Psal. 107.

Re autē perpenſa uenit ad domū Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, ubi erant multi congregati & orantes. Cum pulsasset autē Petrus ostiū uestibuli, processit puella ut subauscultaret, nomine Rhode. Et ut agnouit uocē Petri, præ gaudio non aperuit uestibulū, sed introcurrens renunciauit stare Petrū ante uestibulū. At illi dixerūt ad eam: Infanis. Illa autē affirmabat, sic se habere. At illi dicebāt: Angelus eius est. Petrus autē perseuerabat pulsans. Cum autē aperuissent, uiderūt eum, & obstupuerūt. Cum innuisset autē eis, mota manu ut tacerēt: narrauit illis quomodo dñs eduxisset ipsum de carcere. Dixit autē: Nūciate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus abiit in aliū locū.

Facilia

Facilia sunt quæ hic scribuntur, nec multa expositione egent. Hæc tamen uidebatur obiter esse annotanda. 1. Ecclesia fidelium non frigide orauit, sed ardentissime. Nam noctes duxit insomnes. Vnde nos discimus quâto ardore nobis in die tentationis orandum sit. Quod Petrus dormiebat, securitatis erat: nihilominus sancta uigilauit uigilia. *Oratio et uigilia.*

2. Describuntur in hoc Rhode & aliorum credentium affectus, turbæ ac motus, ut uideamus Christianos quoque homines esse qui & gaudio & tristitia, denique alijs quoque sint obnoxij affectibus. Quod propter eos annotamus, qui de fide nescio quid phantantur: quasi uero fide exuamus hominem, aut fide Stoica tradatur disciplina, quæ omnes affectus semel tollat. 3. Videtur angelus Petri aut pro spectro, genio, siue spiritu (ut aiunt) Petri usurpari. Nam uulgi more loquuntur. Existimat autem uulgi, spiritus quosdam hominum esse, qui uel mortis sint prænunciij, uel mortuorum genij. Sed refellitur ea opinio ab ipso domino Lucæ 16. & à Ioanne Chryostomo in Matthæum Homelia 29. Impossibile enim putat, ut anima à corpore separata, in hisce oberret regionibus. Multa quidem à dæmone fingi spectra, ut imprudentibus imponat: sed nullam reuera animam reuerti: sed quamuis continuo aut damnari aut seruari pro merito. Rursus uideri poterat simplicissimam & optimam interpretationem fore, si per angelum Petri, ipsum intelligamus custodem Petro deputatum à deo. Nam plurimi sunt loci scripturæ, ex quibus constat angelos animabus iam inde à natiuitate pro custodia delegari. Hoc enim significare uidetur uerbum Christi Matth. 18. & sententia Pauli ad Hebræos 1. Certe diuus Hieronymus in Epitaphio Paulæ angelum testem implorat, qui Paulæ custos ac comes fuerit. Et propheta in Psal. Angelis suis (ait) mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. 4. Quod liberationem suam nunciari iubet alijs quoque fratribus Iacobo in primis Alphæi, qui tum (ut referunt) Hierosolymorum fuit episcopus, charitatem & unum totius ecclesiæ sensum nobis commendat: ut iuxta Pauli uerbum, Eodem simus animo, eadem mente & sententia, gaudeamus cum gaudentibus, & lugeamus cum lugentibus. Præterea uult potentiam & beneficentiam domini multis innotescere, ut & ipsi deum inuocet in necessitatibus & gratias agant liberatori. 5. Cedit furori impij principis, ut & nos cedamus, posteaquâ nulla resipiscentiæ spes superfuerit. Neque uero omnis fuga turpis est, ut in 9. capite ostensum est. Quin & diuersum hic quoque pro ratione consilium dei audimus. E priore captiuitate, proxima in templum ibat Petrus, hic non item, sed prorsus se ex urbe subducit. Non igitur omni tempore & loco idem faciendum imitandumue. *Angelus Petri.*

Porrò ubi diluxit, erat turbatio non parua inter milites, quid nam accidisset Petro. Herodes autem cum requisisset eum, nec inuenisset, examinatis custodibus, iussit eos duci: descendensque à Iudæa Cæsaream, ibi commoratus est.

Parum (inquit Erasmus) liquet an Lucas Romano more dixerit, duci eos qui ducuntur ad supplitium, an abduci à sese in carcerem. Priorem ego sententiam uideo magis probari Chryostomo, ut simpliciore & ueriore. Cui forsan & illud congruit quod dicit, ἀνακρίνας τὴν φύλακα. Est enim ἀνακρίνω uerbum Atticorum forense, significans reorum causam agere, inquirere a deoque & damnare. Vnde uerisimile est, quod tyrannus custodes capitis damnarit supplitio. Est ergo hoc aliud ac nouum tyrannidis exemplum, miseros & nihil tale comeritos perdere. Ut uel hinc intelligamus merito dixisse Apollonium apud Philostratum libro 4. Hanc autem beluam quam Tyrannum uocant plerique, neque quot habeat capita scimus, neque utrum curuis unguibus aduncisque sit dentibus nouimus. Et quanquam civilis bestia esse dicatur, & in medijs urbibus habitat, eò tamen perhibetur immanior istis, quæ in montibus aut paludibus degunt, in quo leones quidem aut pantheræ quædoque si mulceantur mansuescunt, & innatam feritatem exuunt, hæc autem ob atrectationem ferocior facta omnia lacerat. Cæterum curiosæ quæstiones sunt quibus inquirimus, An Deus iustus sit, qui unico homine erepto, *Tyrannus custodes damnat.*

Cur cæsi custo-
des.

multos coniecit in periculum? Cur enim non seruauit Iacobum fratrem Ioannis sicut eripuit Petrum? Sic illi uisum erat, cuius uoluntas & administratio bona est, nec aberrare potest. Quid quod hoc seruorum genus quo utuntur ad supplitia ac damnatorum custodiam principes, crudele plerumque & atrox parumque captiuis propitium est. Vnde iam nullam illis irrogauit iniuriam deus, si scelera ipsorum uisitans, tyrannos tyrannico sustulit furore. Malo enim nodo malus quærendus est cuneus. Sed & ipsa poscebat æquitas, ut impij qui ecclesiam conturbant, funesto suorum spectaculo cõturbarentur. Caueant ergo impij, ne dum lætabundi sanctorum sitiunt sanguinem, suum tandem maxima desperatione effundi cernant. Iustus enim deus est, & uindex sanguinis seruorum suorum. Quod autem in fine Descensus regis ad Cæsaream, quæ & Turris Stratonis cognominatur, meminit, ad sequentem historiam quæ in ea urbe cõtigit, pertinet.

Erat autem Herodes infensus Tyrijs & Sidonijs. At illi uno animo uenerunt ad eum, & persuaso Blaſto, qui præerat cubiculo regis, petebant pacem: eo quod aleretur regio ipsorum annona regia.

Aliud tyrannidis exemplum.

Quod Latinus uertit, Infensus, Græce significantius positum est *δυμομαχῶν*, quasi quis dicat, Conceperat autem animo bellum Herodes aduersus Tyrios. Cuius quidem instituti nullus, quod sciam, meminit post Lucam historicus: at hic nimirum hoc ueluti quarto crudelitatis exemplo insignem uoluit regis arrogantissimi describere tyrannidem, qui occasionem ex miseria gentis captans, miserabiliorem efficere gestit, aut certe sub suum compellere iugum. Regio enim Tyriorum ac Sidoniorum admodum angusta, & Galilææ Damasciæque pressa finibus non tantum habuit agrorum quantum ad tantam hominum multitudinem alendam necessarium erat: sed regia alebatur annona. Quin & maximus prouentus ijs urbibus erat ex uicinorum commercijs negotiatorum. Periculosissimum ergo ipsis futurum erat bellum: proinde supplices Blaſto accidunt. Quo loco & inconstantiam principis notauit Chrysostomus, dicens, Vide autem illum quomodo à Blaſto iterum mitigatur, utpote homo facile irascens, & iterum conciliabilis, & ubique seruus uulgi, nihilque liberum habens. Porro nos hinc conijcimus tyrannum stultissimum & stulte res suas administrasse, & nihilominus domesticis & exteris infestum, imò funestum, & proinde omnibus inuisum fuisse. Siquidem famulitium suum duci iubet, Iacobum obruncat, Petrum uincit, reliquis eius religionis hominibus minatur: sed & in nobilissimas urbes bellum apparat: & quis tandem iniuriarum finis? An non merito exclamauerit quis, Dijs talem terris auertite pestem? Vide hic amice Lector quid dominus minatus sit, quum dixit, Dabo pueros principes eorum, Isaia 3.

Inconstantia tyrannorum.

Statuto autem die, Herodes uestitus ueste regia, sedit pro tribunali, & cõcionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum angelus domini, eo quod non dedisset gloriam deo: & erosus à uermibus, expirauit.

Tyranni interitus.

Hactenus descripsit atrocissimi hominis cædes, arrogantiam, potentiam, robur, successum, piorum quoque afflictiones, oppressorum querelas & labores, hoc est Prothesin & Epitafin huius (ut sic dicam) fabulæ. Posthac describet Catastrophen, hoc est prophanicissimi hominis interitum, qui hoc tyranno erat funestior & luctuosior quo ad spectacula & theatricam pompam pronior. Minus illi indolisset si priuatim & non in frequenti turba diuino fuisset perfossus telo. Sed publicam oportebat eius esse pœnam, qui publice publica potestate erat abusus. Interitum ergo hunc horribilem, quem Lucas, ut omnia aliàs, breuiter perstringit, Iosephus in 19. cap. 3. hisce ferme uerbis copiosius exponit, Igitur cum tertium annum in Iudæa cõplessset regno Agrippa, uenit in Cæsaream ciuitatem, quæ primitus Turris Stratonis appellabatur, ibique spectaculum ad honorem Cæsaris pro eius salute celebrabat. Ad quam festiuitatem eius provinciarum multitudo nobilium simul & procerum unà conuenerat. Secunda uero spectaculorum die,

Oportuit hunc puniri in cõspectu principum.

stola uestitus undique argento contexta, ita ut textus esset ualde mirabilis, uenit ad theatrum

trum incipiente die, & primis radijs sole oriente demissis argenti claritas repercussa fulgorem reddidit ualde perspicuum, & oculis inspicientibus formidandum. Mox autem adultores uoces fauorabiles emittebant, quæ nec illi bonæ pro ueritate uidebantur, deum scilicet appellantes eum, atq; dicentes, Propitius nobis esto. Quia licet hæcenus te uelut hominem timuerimus, attamen iam nunc superioris naturæ te esse conspiciamus. Has autem uoces rex nequaquã compescuit, nec impia eorum uerba compressit, donec respiciens (iam uerba adscribimus uti ab Eusebio Cæsariense citata sunt libro Ecclesiast. histor. 2. cap. 10.) paulò post imminentem atq; infestem capiti suo uideret angelum, quem etiam malorũ causam intellexit. Mox ergo corde passionem mortiferam suscipiens, respiciens suos amicos, Ego (inquit) uester deus iam uitam morte commutare compellor. Repente nanq; increpitus sum, quum mendaces ad me clamarent. Nam qui uocabar immortalis à uobis, ecce iam ducor ad mortem. Hæc ex Iosepho. Ita autem finijt arrogans superbia & intoleranda crudelitas impij. Sic finierunt & olim tyranni Pharaon, Saul, Achab, Senacherib, Zedechias, Iehoiachim, Balthasar, Herodes magnus, Maxentiusq;. Interibunt & hodie omnes qui uel ecclesiam dei affligunt, uel gloriam deo debitam sibi rapiunt. Non enim ob tyrannidem modo, sed ob immane illud flagitium tam seuerè punitur, quòd aduultices populi uoces non compescuisset, & quòd homo miserabilis ac mox periturus deus haberi gauderet. Nam diabolicum est (ut Augustini uerbo utar) dei honores postulare. Nullus ergo pius illos sibi uel ambiret uel arrogarit. Dominus enim apud prophetam clarissime, Gloriam meam (inquit) alteri non dabo. At maxima dei gloria est adorari, inuocari & coli. Nemo itaq; sanctorum illa sibi usurparit. Vbi igitur inuocatio & cultus diuorũ? An non intelleximus uerbum domini, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, & sic glorificabis me. Item, Dominũ deum tuum adorabis, & illi soli seruias. Proinde sanctiores sunt diui, quàm qui cultum nostrũ probare possint. Damnatur hoc eodem Herodis interitu superbia humana, de qua aliàs scripsere satis copiose Iesus filius Syrach Eceles. 10. & Ezechiel in inuectiua aduersus Tyrum cap. 26, 27, 28. Damnatur & Adulatio, de qua dixit Curtius, Regum opes hæc sæpius quàm hostis subuertit. Cæterum talionis erat, ut qui stolido populo cæde & uinculis honorum gratificatus fuerat, nunc eiusdem assentatione illæsus misere caderet. Plurima in Assentationem dixit Plutarchus in eo libello quo ostendit quid ab amico differat adulator. Anaxilas adultores diuitũ dicebat esse σκώλικας, hoc est uermes. Et uermibus arrosus dicitur hoc loco Herodes. Græce enim est, ἡὲν γὰρ νόμῳ σκώλικός ἐστιν, quod Erasmus uertit, Et obnoxius factus morbo, quo qui laborant, exeduntur à uermibus. Existimant autem hunc illum ipsum esse morbum quo interiit & Herodes magnus & Antiochus & Maximianus, cuius descriptionẽ habes apud Iosephum in 17. cap. 9. & 2. Mach. cap. 9. qui locus admodum huc quadrat. Eusebij Cæsariensis uerba de Maximiani tyranni morbo hæc sunt, sicut scribuntur libro Ecclesiast. hist. 3. cap. 18. Authorem sceleris ultio diuina corripuit, ille enim qui lætis ac saginatis carnibus incedebat superbus, inflatis subito uisceribus suppuratisq; distenditur. In profundioribus dehinc pectoris partibus obortum uulnus totos intrinsecus uiscerum secessus tabo serpente depascitur. Post etiam fistulis quibusdam in superficie purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefactis uulneris uenis ebullire undatim cœpit innumera uermium multitudo. Fætor uero tam intolerabilis erat, ut nullus omnino ne medicorum quidem propius posset accedere, quòd carnes satis lætæ, & in omni luxuria nutritæ, grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Deniq; medicos quòd uim fætoris tolerare nõ possent, interfici iubet. Quorum è numero cum quidã iugulandus potius q̃ medicaturus assisteret, aspiratus à deo, Cur (inquit) erras imperator, & quod deus infert ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare quãta in seruos dei egeris, quàmq; in religionem diuinam impius & prophanus extiteris, & intelliges unde tibi mala ueniant. Vide autem quã probe huc quadrat exquisitissima illa Eusebij descriptio. Porrò horribilis hic morbus à medicis Phthiriasis siue pedicularis appellatur,

Gloriam deo
subtrahere.

Psal. 49.

Math. 4.

Superbia.

Adulatio.

Pedicularis
morbus.

omnium morborum qui sunt, & qui fuerunt sceleratissimi, quo & L. Syllam arrogantem & tyrannicum hominem interijisse scripsit in Vita Syllæ Plutarchus. Mira autem dei uindicta est, & mira iustitia, quod illos perimit omnium sceleratissimo & terribissimo morbo, qui ultra communem hominum sortem efferuntur, & ferocia quasuis superant beluas. Hæc ergo fors arrogantium ac tyrannicorum hominum est.

Porro sermo domini crescebat, ac multiplicabatur.

Victoria uerbi.

Quemadmodum enim uerum est quod dixit propheta, Viri sanguinum, dolosi & impij non dimidiabunt dies suas: ita uerum esse oportet, quod idem dixit, Omnia pereunt, sed uerbum domini manet in æternum. Dominus superpetias fert sanctis suis, cædit tyrannos. Frustra ergo pollicemini uobis, o uos Pontificij, interitum Euangelij, & restitutionem traditionum humanarum. Citius enim perierit deus ille uester Romanus, quam gloria & Euangelium crucifixi domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & imperium semper.

COMMENTARIORVM IN ACTA APO

STOLORVM LIBER III.

PRO O E M I V M.



Aboluimus gesta Stephani, Philippi & Petri, uaria ac peculiaria quidem illa, Pauli quoque nonnulla, adeoque peregrinationem huius primam. Descendimus ergo ad secundam, & ad ea quæ cum Barnaba communia habet. Prima fuit, qua e Damasco elapsus abiit in Arabiam, triennio autem exacto redijt Hierosolymam, & ab hac iterum Cæsaream profectus, in Tarsum Cilitiæ soluit, unde a Barnaba reuocatus Antiochiæ Christum prædicauit, atque ab hac rursus unâ cum Barnaba subsidij conferendi gratia Hierosolymam ablegatus Antiochiam tandem redijt. Secunda iam tractabitur. In hac audiemus quomodo spiritus sancti auspicijs unâ cum Barnaba procul ad Gentes missus, appulerit Cyprum, atque in hac Sergium Paulum uirum primariû denique cum eo multas & maximas insulæ urbes ad fidem Christianam, profligato Elyma, conuerterit. Deinde quomodo in Pamphyliam nauigans, & Christum in hac prædicans, Antiochiam Pisidiæ uenerit. Hic exponetur quomodo Christum ex prophetarum prædicarit oraculis, inuidia tamen quorundam pulsus fugerit Iconium, denique & illa eiectus urbe, uenerit in Lycaoniâ. In hac uero Derben & Lystram urbes celeberrimas Euangelij fulgore illustrat, claudum quendam erigit, aduersus creaturarum cultum pro uera religione differit. Sed uincete ingratitudine quorundam hominum impijssimorum lapidatur. Restituitur tamen uirtute domini, rediensque per eas quas ad fidem conuerterat urbes, confirmat fidelium mentes, ne uspiam a cognita deficiant ueritate. Tandem re feliciter gesta Antiochiâ Syriæ unde uenerat redit. Cæterum cum eo tempore nouum suboriretur Nazaræorû dogma, operibus legalibus salutem tribuens, Hierosolymam ascendit, hæresim istam impugnat & communibus totius ecclesiæ calculis obtinet fide in Christum non lege iustificari credentes siue Iudæi sint siue Gentes. Hæc autem ceu in argumentum compacta sequentibus fusius exponemus.

CAP. XIII.



Arnabas autem & Paulus reuersi sunt Hierosolymam, expleto ministerio, assumpto & Ioanne, cui cognomen erat Marcus.

Redit ad intermissam historiam in cap. ii. & quos ibi dixerat Hierosolymam ablegatos abiisse, eos hic redijisse commemorat. Nam etiam omnia exemplaria constanter habeant, Reuersi sunt in Ierusalem, tamen ipsa res flagitat illorum hic reditum a Ierusalem esse descriptum. Atque in eum modum interpretatus est & Erasmus in Paraphrasi dicens, Barnabas autem & Saulus defunctis quæ receperant a fratribus curanda,

randā, traditaq; & per Apostolos distributa pecunia, quæ missa fuerat in subsidium egentium, reliquerunt Hierosolymam ac repetunt Antiochiam, adiuncto sibi comite Ioanne, cui cognomentum erat Marcus. Hæc autem secreuimus à superiori u. ca. quod ueluti sequentis capitis galea uiderentur. Sequitur enim,

Erant autem quidam in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ ac doctores, Barnabasq; & Simon, qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus:

Vti cœperat in u. cap. ita iam pergit Antiochenam describere laudareq; ecclesiā. Laudat autem ipsam à maxima dote, nempe quod diuina benignitate ipsi obuissent prophetæ ac doctores optimi. Neq; enim aliud ornamentum habet ecclesia nobilius. Adime enim ecclesiæ fidos et doctos ministros, quanta quæso reliqua erit ecclesiæ portio? A ministris traditur ueritas, impugnatur error, suadetur constantia, docetur concordia, deniq; & scelera corripiuntur & omnis generis uirtutes ex fide per gratiam plantantur. Hæc autem omnia maxima parte sustuleris, si ministros fidos & doctos sustuleris. Verum hoc differunt à doctoribus hoc loco prophetæ quod doctores sunt pastores Euangelistæ & Episcopi qui promiscuū pro contionibus publicis erudiunt uulgus. At prophetæ arcana scripturæ indagāt erunt & eruditioribus priuatis publice tamē institutis lectionibus tradunt, deinde & populo quæ profunt diligenter exponunt. Quamquam ea non semper obseruetur differentia, sed prophetæ quoq; euangelistæ dicantur. Sed de hisce alibi dictum, & à Paulo copiosius disputatum est in 1. Corinth. 14. cap. Præterea hic claret in eadem urbe plures fuisse doctores prophetas & episcopos, sed tales, quales eo erant tempore, uiri sancti, docti & ab omni fastu alienissimi. Recensentur illi nominatim, ut uiri æterna gloria digni, & ut apparet externis quoq; fortunæ bonis non infelices. Nam de Manahen dicitur, quod olim fuerit *σώτηρος*, id est collactaneus & simul æducatus cum Herode tetrarcha: unde reuera apparet hunc Manahen uirū fuisse non usquequaq; profligatæ fortunæ. De eorum eruditione nemini dubium est, quin illa fuerit præclarissima. Oremus ò fratres dominum ut & nobis fideles tribuat doctores.

Ecclesie præcipuum ornamentum doctores p̄ij.

quum autem illi sacrificarent domino, ieiunarentq;, dixit spiritus sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod accersui eos. Quumq; ieiunassent & orassent, imposuissentq; eis manus, dimiserunt.

Istis describitur altera Pauli uocatio ad munus apostolicum in Gentes, ne cui de persequutoris fide dubium restaret. Quæcunq; autem hic usurpauit ecclesia in orando, separando (*vsz nemmen, vsz sünderen* ut solent qui è turba ad certum euocantur officium) & manuum impositione, in superioribus exposuimus qualia sint. Certè locus monet nõ nisi uocatos ad Euangelij prædicandi ministerium idoneos esse. De ieiunio autem factis scripsit post Isaiam in 58. Matthæus in 6. Et D. Hieronymus Ioelis cap. 2. enarrans. Si omne (inquit) ieiunium placeret deo, nunquã diceret Sanctificate ieiunium: et, Non tale ieiunium elegi, dicit dominus. Ieiunat Manicheus & multi hæretici maximeq; Encratitæ, quorum princeps Tatianus est, sed hoc ieiunium saturitate & ebrietate deterius est. Idem ad Nepotianum de uita clericorū, Pulchre dicitur apud Græcos, & nescio an apud nos æque resonet, Pinguis uenter non gignit mentem tenuem. Tantum tibi ieiuniorum modum impone quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata & non superstitiosa ieiunia. Quid prodest oleo non uesci, et molestias quasdam difficultatesq; ciborum quærere, carycas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia? Tota hortorum cultura uexatur, ut cibario non uescamur pane, & dum delicias sectamur, à regno cœlorum retrahimur. Audio præterea quosdam contra rerum

De ieiunio.

Talia sunt Monachorum ieiunia.

hominumq; naturam, aquam non bibere nec uesci panem, sed forbitiunculas delicatas & contrita olera betarumq; succum, non calice sorbere, sed cōcha. Prochi pudor, non erubescimus istiusmodi ineptijs, nec tædet superstitionis: Insuper etiã famam abstinentiæ in delitijs quærimus. Hæc Hieronymus. Quæ si hodie nostrū aliquis scriberet, protinus appellaretur hæreticus, epulo & crapulæ contra ecclesiasticam abstinentiam patronus. Verum ieiunium uetustis reuera aliud non erat quàm temperās uita, abstinentiæq; perpetua ab omnibus ijs quæ animum auocabāt à puritate uitæ & mentis sobrietate, unde & frequenter uigiliam uides ieiunio iunctam esse in literis sanctis. Non ergo damnamus ieiunium sanctum, sed hypocriticum, uenale, superstitiosum, meritorium & circumstantijs impexum. Iam quod interpret noster λεττερυδντωρ uertit Sacrificantes. Vetus interpret reddidit Ministrantibus. Quia uero λεττερυια ministerium quidem significat & λεττερυός minister, nec tamen quiuis, sed sacrarū rerum minister. Erasmus id exprimere & significantius reddere uolens dixit Sacrificantibus. Id cum Thraiones quidam non uident, non nihil roboris Missæ suæ ex hoc loco addi credunt, quæ si apostoli Antiochiæ Missam pro sacrificio celebrarint. Sed falluntur (ut diximus) miferi. Et Ioannes Chryostomus interpret Græcus & Græce linguæ peritissimus, Quid est (inquit) ministrantibus: Prædicantibus. Ecce hic exponit Ministrare siue sacrificare pro prædicare. Sic enim & Paulus usurpauit ad Rom. 15. Quin & ipse interpret Erasmus in Paraphrasi sua, Porrò cum omnes hi (inquit) magno studio seruirent ecclesiæ commodis, dotes suas ad omnium salutem & Christi gloriam impartientes, quo non est aliud sacrificium deo gratius, ieiunantes interim, ut puris etiam precibus adiuuaret ecclesiæ profectum, &c.

Sacrificantes.

Et ipsi quidem emissi à spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerunt in Cyprum. Et quum essent Salamine, annunciauerunt sermonem dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem ministrum.

Iterum monemur apostolos non fabulas humanas, sed uerbum dei prædicasse.

Et peragrata insula usq; ad Paphum, inuenerunt quendam magum pseudopropheta Iudæum, cui nomen erat Bariehu: qui erat cum proconsule Sergio Paulo uiro prudente.

Oratione in paucis omnia complexus Lucas.

Non singula describit quæ in illa patrarunt insula. Semper enim ueritatis ratio sibi constat, nec mutatur cum tempore. Eadem ergo prædicatio Christi subinde esset scribenda, si singulas conciones per censere uellet, quas in singulis habuit locis. Eundem enim Christum eandem iustitiæ uiam pari profusus ratione, & modo prædicarūt omnibus. Proinde descripta una aliqua oratione Pauli, qualis illa est quæ paulò post sequitur, illæq; fuerunt quas Petrum, Stephanū, & Philippum habuisse relatum est, sensum medullam ac substantiam omnium habemus. Consulto itaq; peculiararia duntaxat persequitur, nempe quomodo Sergius eius insulæ proconsul ad fidem sit conuersus, & Magus homo ueritatis præsidio sit superatus. De Magia dictum est in cap. 8. Et Magi nomen tunc non infame erat, sed laudatissimum, significans uirum philosophum sapientem siue prophetam. At Lucas hunc uera nomenclatura dignatus, Pseudopphetam ueluti impostorem ac seductorem uocauit, qui prophetam mentitus præstigijs sibi auctoritatem pararit. Et de nomine huius impostoris non uideo conuenire doctis alijs aliud diuinantibus. Sunt qui credant hanc uocem Bariehu corrupte scriptam esse. Sunt alij qui filium Iesu uel saluatoris exponāt: in hoc autem se torquent quod hoc nomen exposuerit per Elymas, quasi Elymas idem sit quod Bariehu. Hic ergo alij putāt Elymas Syris significare Magū ac pseudopphetā. Alij Cēsum dei mei: siue mensurā dei. אֱלֹהֵי עֵם significare Deus meus, & עֵם censum. Sunt alij qui dicāt Bariefus dictū à parētibus, sed Elymas ob uitæ meritū. At Theodorus Bibliander ecclesiæ nostræ in diuinis scripturis Lector atq; interpret, quo haud scio nū aliud hodie festiuus, eruditus & ma

Theodorus Bibliander.

& maiori pollens iudicio uiuat ingenium, existimabat Bariesus ascititiū fuisse uiri no-
men, quasi tu dicas, Filius Iouis, uel filius saluantis, quo nomine sibi homo Iudæus uo-
luerit apud Gentilem pro artis suæ pretio conciliare nomen, Deinde uero ipso nomi-
ne proprio dictum fuisse Elymā magum, Elymam inquam, quasi quis transpositis ali-
quot literis dicat Eliam aut Elisama. Proinde obseruandum esse, quod historicus non
scripserit οὗτος γὰρ ἐρμηνεύεται, sed μεδ² μνηύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Hoc enim pollere lo-
quutionem, Sic enim alia enunciatione appellatur nomen eius: itaq; totius loci difficul-
tatem oriri ex eo quod expositores μεδ² μνηύεται uocem, ad etymologiam superioris
uocabuli explicandam magis, quā ad aliud illud proprium Magi nomen exprimen-
dum, spectare arbitrabantur. Porro de procōsulari potestate scripsit Fenestella de Mag.
Rom. capite undecimo.

Hic accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire sermonem dei.

Prudentiam suam singularem hoc ipso declarauit quod cognoscere prius uellet do-
ctriinæ genus, quā incognitum damnare. Eleganter enim Tertullia, in Apologetico
cap. 1. Quid iniquius (inquit) quā ut oderint homines quod ignorāt, etiam si res me-
retur odium? Tunc etenim meretur, quum cognoscitur an mereatur. Vacante autem
meriti notitia, unde odij iustitia defenditur? quæ non de euentu, sed de conscientia pro-
banda est. Habes autem in hoc Sergio Paulo uiro forti & prudente, quid nostrū quoq;
deceat magistratum. Desiderat hic audire sermonem dei, desiderent hoc & illi. Audita
ueritate, relegat à se impostorem, et in ueritatem iuratus abnegat omnē superstitionem.
Id si nostri quoq; facerēt, minus innocentis sanguinis funderent. Boni principis exem-
plar gessit Dauid quoq;, Iosaphat, Ezechias & Iosias, qui omnes suscepta dei ueritate,
falsis prophetis & superstitionibus uale dixerunt, & regnum suum posthac iuste ac san-
ctè per fidem administrarunt.

Prudentia,

Bonus prin-
ceps.

Resistebat autem illis Elymas magus: sic enim interpretatur nomen
eius, quærens auertere proconsulem à fide.

Quemadmodum nunquam non deerunt qui ueritatem propter sua commoda ex
timore, ne quid compendijs suis decidat, impugnabunt, ita semper illi ipsi à ueritate su-
perabuntur. Gerit enim hic magus omnium eorum typum, qui hodie uentris gratia
non modo plebē, sed & ipsos principes à ueritate auertunt, ad persecutiones animāt,
auitamq; nescio quam fidem iactitāt, dicentes parentes illorum non fuisse stultos neq;
infelices, qui tamen hanc fidem ignorarint. Ecclesia enim non modo à tyrannis perse-
quutionem patitur, sed à mendacibus quoq; doctoribus, à magis, hæreticis & imposito-
ribus. Sed audi iam maculam Pauli responsionem.

Impietas ex a-
uaritia resistit
euangelio.

Saulus autem qui idem Paulus, repletus spiritu sancto, intentis in
eum oculis dixit: O plene omni dolo, & omni uersutia fili diaboli, in-
mice omnis iustitiæ, non desinis inuertere uias domini rectas?

Diuus Hieronymus in epistolam Pauli ad Philemonem scribēs, omnino existimat
hic primum Pauli nomen à Sergio Paulo inditum esse Apostolo, qui prius semper sit
Saulus uocatus, nunc autem trophei uice Pauli nomen sibi sumpserit, quod uirum tan-
tum lucrifecisset Christo. Subscribit illi in suis in nouum testamentū annotatis Valla,
Sed Erasmus diuersum quiddam, sed scite obseruatum annotauit super 1. cap. epistolæ
ad Roma. Priusquam uero Pauli in Elymam inuectiue summam ascribat, duo notat.
Prius, Paulus repletus spiritu sancto dixit, significans omnem uirtutem non hominis,
sed dei esse, cum quo negotiū sit omnibus hypocritis, in quos tandem ipsemet animad-
uertat deus. Posterius, Paulus intentis in Elymam oculis dixit. Hoc enim significauit
historicus quanta animi constantia, quā grauib; moribus, quā deniq; uultu seue-
ro & uerendo causam suam egerit aduersus Magum. Discant ergo hinc ministri uer-
bi dominici quid se suoq; officio dignum faciant. Audiant & uerborum pondus, nul-
lo delibutum lenimine, sed graue prorsus ac admirandum. Ex abrupto enim per exclam-

Pauli nomen.

Accusatio im-
pietatis Bariea
su.

mationem indignatione pro sceleris magnitudine plenissimam exclamar & ait, O ple-
ne omni dolo, &c. Accusata aut in eo dolum malum. Quid enim aliud est Magia, quam
impostura & dolus ad circumueniendum & imprudentibus nummos extorquendum
excogitata? Deinde accusat improbitatem hominis. Nam *ῥαδὲ πρὸς ἴστωρ*, quod Latinus uer-
tit Verfugia, propensionem significat ad quoduis facinus patrandum: à *ῥαδὲ ἴστωρ* facile &
ῥαδὲ ῥομαί operor: quales Germanice uocamus *schantlich liederliche büben*, *geschwind durchri-
ben in aller schalckheyt*. Cæterum filium diaboli uocat, rationem nominis sui, per Anti-
phrasin, habens. Quasi dicat: Bariesus diceris ueluti altissimi dei filius, sed reuera ipsissi-
mi diaboli es filius, qui & ipse ueritatem odit, & mendacium colit, iam nulla iustitia ue-
ra est quam quæ ex fide per ueritatem est. Igitur cum proconsulem cuperet à fide reuo-
care, recte dicitur inimicus esse iustitiæ. Quanquam uideri poterat uerbis inesse enalla-
ge, & Omnis iustitiæ dictum esse pro omni eo quod sanctum, æquum & iustum est. Non
possunt autem non odisse eiusmodi impostores puritatem & sanctimoniam ueram, qui
impuritate & rebus prophanis nutriuntur. Postremo per interrogationem uehemen-
ter incensa oratione (quanquam alij citra interrogationem legant) accusat illum pessi-
mi sceleris Deprauationis uidelicet. *Δραστέον* enim significat res planas inuoluere, &
ex rectis facere tortuosas. Nihil autem simplicius, purius & rectius est ueritate Christia-
na: at hanc peruertimus cum bene dicta male interpretamur, siue aliquid de nostro as-
suentes, siue aliquid detrahentes, siue inuertentes, siue in suspicionem malam trahentes,
& breuiter, quoties de ueritate nostri lucri gratia improbe & inhoneste loquimur, aut
lucem tenebris nostris data opera obfuscamus. Vitiū hoc nostro sæculo usitatissimum
est. Sunt enim maximi nominis uiri, qui de fide nostra pessima quæq; prædicant, quæ
tamen de suo addunt, in hoc autem illud faciunt, ut à ueritate euangelica auertant plu-
rimos. Quid enim non comminiscuntur in nos? Clamant à nobis sacramenta con-
culcari, ecclesias diripi, diuos à nobis nullo in loco graduue haberi, uirtutes proscribi
quasq; contra uero plantari omnis generis scelera, deniq; liberum esse apud nos fidem
sanctæ datam frangere, luxuriari, quiduis impune tentare, tumultuari, & edicta princi-
pum sanctæ aspernari. Quæ tamen omnia nos ita abhorremus, ut summa seueritate u-
tentes eiusmodi extremis arbitremur dignos esse supplitijs. Isti potius Elymæ sui præ-
ceptoris non poenitendi discipuli, deprauatione illa quam nobis impingunt simplices
à doctrina nostra, quæ ueritatis est, absterrent, ut stupidis, per omnia scelerum genera
grassantes, imperitare liberius & uiuere possint suauius ac magis securi.

Et nunc ecce manus domini super te, & eris cæcus, nō uidens solem
usq; ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo ac tenebræ, & cir-
cumiens quærebat, qui se manu ducerent.

Condigna scæ-
leri poena.

Quemadmodum olim Alexander imperator præsignem aliquem nactus impostor-
rem, in foro transitorio ad stipitem ligari præcepit, & fumo apposito, quem è stipulis
& lignis humidis fieri iusserat, necauit, præcone dicente: Fumo punitur qui uendidit
fumum: ita non alia plaga dei dignior erat hic tenebrio Elymas, quam ut cæcitate pu-
niretur, qui & errorum nebulas deperibat, & tenebras optimis quibusq; offuderat. De-
monstrabat autem Proconsuli per hanc poenam dominus, quod præstigiōsa ac cæca
esset professio, quam hæctenus magno apud imperitos uenditarat impostor. Occæcari
tur etiamnum animis qui terrena malunt quam cælestia. Nam omni habenti datur,
&c. Ad hypotyposim uero facit quod cæci exprimit gestum, quod uidelicet ille alienis
ducitur manibus. Historia enim res gestas non tantum narrat, sed etiam ob oculos spe-
ctandas proponit.

Tunc proconsul quum uidisset quod acciderat, credidit, admirans
super doctrina domini.

Vt ex uictoria Petri atq; Philippi à Simone Mago reportata, multum gloriæ nego-
tio Euangelij accessit: ita hoc loco non minor illi contigit, ubi Elymas qui se hæctenus
blasphemo

blasphemo titulo Filiū dei uocari iussisset, superatus, uisum amisit. Est ergo ueritas immortalis.

Cum autem à Papho soluisset Paulus, qui cum eo erant, uenerunt Pergen Pamphylia. Ioannes autem digressus ab eis, reuersus est Hierosolymam.

Defectio Ioannis Marci postea acerrimam peperit inter summos hosce apostolos contentionem. Parum enim honesta erat defectio. Nam ex pusillanimitate, & fortassis ex patriæ (ut fit) desiderio oborta, & proinde Paulo suspecta fuit. Patriam illius audiui-
Ioan. Marcus.
Matth. 8. & 10.
Luc. 9.
 mus in duodecimo fuisse Hierosolymam. Cæterum qui credidere hunc illum esse Marcum, qui postea Petrum secutus, Euangelium scripserit, & Alexandria prædicauerit, forsitan non expenderunt plurimos eius nominis fuisse uiros. Quanquam nobis nulla sunt argumenta certa, quibus conuincamus Ioan. Marcum nõ fuisse eum qui dicitur. Verum illi quoque nihil habent nisi coniecturas. Parum autem compendij siue dispendij attulerit, siue is Euangelij scriptor fuerit, siue non fuerit. Si autem Euangelistes fuit, iam hæc defectio non plus derogarit authoritati nominis eius, quàm abnegatio Petri, ipsi Petro derogauit.

Cæterum ipsi peragratis regionibus, à Perga uenerunt Antiochiã Pisidia, & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis ac prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, si quis est in uobis sermo exhortationis ad plebem, dicite.

Multa his insunt dogmata egregia. 1. Veritatem non horrere lucem, sed in medium prodire. Hinc enim Paulus & Barnabas in publicam ingrediuntur synagogam. 2. Sabbatum in hoc esse institutum ut in hoc rebus uacemus diuinis, nempe orationi, lectionibus ac contionibus sacris. De qua re aliàs. 3. Modestiam uiros decere apostolicos summam. Proinde apostoli hoc loco non importune & impudenter se ingerunt, & more Anabaptistarum clamitant: Audite uerbum domini, Pœnitentiam agite: sed si lentes expectant dicendi occasionem. 4. Legem & prophetas, hoc est, sacros libros in publicis conuentibus esse tractandos, non nugas aut humanas leges. Transumpsit hoc primitiua Christi ecclesia à Iudæorum synagoga, diligenterq; obseruauit, ut liquet ex Origenis, Ambrosij, Augustini monumentis, donec inscitia superante omnis scripturarum publica tractatio redigeretur ad inutilem cantum, siue ad horas (ut uocant) canonicas, que utique ab initio à canonicis scripturis, quæ proculdubio à prophetis in collegijs ecclesiasticis quotidie tractabantur, nomen adeptæ sunt. 5. Prophetiam non esse aspernandam, aliorumq; in interpretatione & exponendis scripturis audientas esse sententias. Hinc primores synagogæ Paulo & Barnabæ dicendi potestatem faciunt.

Surgens autem Paulus, & manu silentio indicto, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis deū, audite: Deus populi huius delegit patres nostros: & populum in altum extulit, quum essent incolæ in terra Aegypti: & brachio excelso eduxit eos ex ea, & circiter quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Ac deletis gentibus septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit iudices usque ad Samuelem prophetam. Et exinde postulauerunt regem: deditq; eis deus Saul filium Cis, uirum de tribu Beniamin, annis quadraginta. Et amoto illo, suscitauit illis Dauid ut esset rex, cui testimonium reddens

dixit: Inueni Dauid filium Iesse, uirum secundum cor meum, qui faciet omnes uoluntates meas,

*Oratio Pauli
docta.*

*Beneficia pa-
tribus exhi-
bita.*

Hic primus est Pauli sermo, qui memoria proditus sit sanctarum literarum, adeo similis superioribus apostolorum orationibus, ut non ouum ouo sit similis. In huius autem principio mire captauit beneuolentiam, in eo quod Israëlitas uocat, & à timore dei commendat, subindicans eos de horum numero esse, quorum salus deo curæ fuerit, & se de illa salute non nouo aliquo deo aut nupera fide differturum. Est autem oratio generis suauis. Siquidem Iudæis suadet, ut Christum dominum fide suscipiant. Cæterum hoc ipsum altissime repetita expositione orditur, ex antea dictis dei comprobans ueritatem, iustitiam & clementiam, quam tamen nullis in rebus æque demonstrarit, quam dum filium suum Iesum Christum orbi exhibuit. Hic autem ostendit quis is sit, quomodo prædicatus sit, quid passus, & quam ob causam tam indigna passus sit, quomodo idem resurrexerit, quomodo omnia ista scripturis sint prodita confirmataque, quis eorum fructus, item quid eos maneat, qui prædicatum contemnant. Hæc omnium summa, & hic totius orationis status est. De prima ex sacris expositione historica non est quod multis agam, nisi fortassis illud moneam, uideri posse Paulum tam alte à rebus uetustis petito principio uoluisse significare, Deum hoc ipso quod patres elegit, quod de Aegypto eduxit, & in terram Chanaan septem deletis gentibus induxit, salutem adumbrasse fidelium: cæterum illam nullis meritis nostris deberi, sed electioni & misericordiae dei, item salutem illam nullo terreno regno, nulla sæculi quiete, ac ne ullis quidem bonis quæ fortunæ dicuntur, futuram fuisse uocatis, sed spirituale esse quod per corporalia designatum fuerit, nempe regnum cæleste incomparabile, incomprehensibile & æternum, quod non ex nobis, nec pro meritis nostris, sed ex immensa sua misericordia daturus sit omnibus ijs qui post completæ legis tempora in Iesum Christum natum secundum carnem ex semine Dauid, & multis signis testimonijsque comprobatum filium dei nihil hæsitantes crederent. Iam loci scripturæ e quibus illa omnia sumpsit Paulus omnibus sunt notissimi. Porro numerum annorum 450, sunt qui referant ad superiora, ut ab altiori principio repetitus uideatur, nempe à natiuitate Isaac usque ad tempus Iosue, & initium possessionis terræ Chanaan. Verum sic non congruunt anni. Nam ipse Moses in Exodo, Habitatio autem (ait) filiorum Israël qua manserunt in Aegypto, fuit quadringentorum triginta annorum. His si addas 40. annos quos in deserto transegit populus, 470. annos constitues, ut interim aliorum annorum non meminerim. Proinde non congruit computatio. Verisimilius est Paulum deduxisse computationem ab anno exitus Israël ex Aegypto ad Dauidis usque tempora: quandoquidem non aliud agit, quam ut serie temporum & rerum gestarum indicata, à Mose ad Dauid perueniat, ex cuius semine Christum saluatorem secundum carnem natum esse doceat. At hic melius quadrabit annorum computatio. Nam 3. Reg. 6. ab anno egressionis filiorum Israël de terra Aegypti usque ad quartum annum regni Solomonis colliguntur anni quadringenti octoginta, cui summæ si quadraginta annos detraxeris (tot enim annis imperauit rex Dauid, ut habetur 2. Reg. 5.) restant anni plus minus à Mose ad Dauid quadringenti quadraginta. Porro annis circiter quadringentis Paulus dixit, ut plus minus uere redderet exactior supputatio. Sic enim loqui solemus ubi de certo & exacto numero nobis non constare inuimus. In hac autem computatione comprehendimus & annos Samuelis & Saulis, quibus & Eusebius in Chronicis quadraginta tribuit annos. De reliquis uero huius loci uidere est historiam sacram.

huius è semine deus, ita ut promiserat, adduxit Israëlī seruatore Iesum, quum antè prædicasset Ioannes ante faciem introitus eius baptismum poenitentiae Israëlī. Cum autem impleisset Ioannes cursum, dixit: Quem me arbitramini esse? Non is sum ego, sed ecce uenit post me cuius non sum dignus soleam pedum soluere.

Hic

Hic post longiorem expositionem delabitur ad prædicationem Christi, in cuius principio tradit Christum esse Messiam promissum, uerum Deum & hominem e profapia *Historia de Christo.* Davidis ortum. Idem confirmat testimonio Ioannis Baptistæ, qui fortassis apud Antiochenes prophetæ fidem habebat. Et sanè Baptista præcursor clarissima diuinæ naturæ præterea & totius euangelici negotij de pœnitentia & remissione peccatorum testimonia tulit. De quo plurima Ioannes in cap. 1. Iterum autem uidet negotium Ioannis Baptistæ misceri negotio Euangelico, ut uideas hunc non minimum esse Euangelij præconem. De qua re superius disputatum est. *Psal. 132.*

Viri fratres, filij generis Abrahamæ, & qui inter uos timent deum, uobis sermo salutis huius missus est.

Pulcherrima ueterum historiarum inductione uenit ad prædicationem Christi, quam nunc ea parte prorsus absoluit qua per Ioannem præcursores coepta est: asserens Iesum illum esse Christum quem promiserat lex & prophetæ. Iam cum noua hæc prædicatio plurimos offendere potuisset, iterum exordiolo quopiam lenit ac præparat auditorum animos, monens ut in officio audiendi permaneant. Addit stimulos efficacissimos, dum filios Abrahamæ compellat, timentes deum dicit, & maximam utilitatem proponit, dicens, Vobis (ad Iudæos enim peculiariter spectabat negotium salutis) sermo salutis huius missus est: proinde qualis sit intelligite.

Qui enim habitabant Hierosolymis, & principes eorum, cum ignorarent illum, & uoces prophetarum quæ per omne sabbatum leguntur, condemnato eo impleuerunt, nullaque causa mortis inuenta, petierunt à Pilato, ut interficeret illum.

Rursus ne protinus obijcerent, Si Messias erat, qui factum, ut Hierosolymis quæ Messiae sacra urbs est & doctissimorum simul & piissimorum hominum feracissima, crucifixus sit? Respondet, Quicquid ab illis qui Hierosolymis agunt, factum est, id totum ex ignorantia, deinde uerò ex præscientia dei factum est: qui per prophetas suos prædixit Christum passurum. Id ergo completum esse, annunciamus uobis. Nec est quod quenquam supplitij genus ceu commertum remoretur. Nam nulla causa mortis in eo inuenta est, propter quam merito puniri potuisset. Proinde quicquid passus est, nostri causa passus est, ut morte indebita soluerentur nostra erga deum debita innumera. Ita aliud interim agens pulchre prædicat ipsis crucem & mortem Christi.

Cumque consumassent omnia quæ de eo scripta erant, depositum de ligno, posuerunt in monumento. Deus autem suscitauit eum à mortuis, qui uisus est per dies multos his, qui simul ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, qui sunt testes eius apud plebem.

Iam uero morti addit sepulturam & ex mortuis resurrectionem, ut plenam haberet mysteriorum Christi prædicationem. Iterum autem immiscet auctoritatem scripturæ, quo minus offenderentur ignominia crucis. Deinde eiusdem rei causa resurrectionem quoque subiungit, qua & diuinam comprobatur Christi naturam, & uitam in Christo omnibus credentibus restitutam. Addit resurrectioni eadem illa argumenta, quæ Petrus in orationibus superioribus.

Et nos uobis annunciamus, quod eam repromissionem, quæ ad patres facta est, deus adimpleuerit filiis illorum, nimirum nobis resuscitato Iesu, sicut & in Psalmo primo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersurum in corruptionem, ita dixit: Dabo uobis sancta David

fidelia. Ideo & aliàs dicit: Non permittes ut sanctus tuus uideat corruptionem. Nam Dauid quidem cum suæ ætati inseruisset, consilio dei dormiuit: & appositus est ad patres suos, uidentem corruptionem. At is quem deus suscitauit, non uidit corruptionem.

Testimonia hie
storie Christi.

Haftenus uideretur nuda contexta esse historia, nunc adijciuntur testimonia, & fructus historiae, hoc est rerum Christi indicatur. Fructus hic est quod in Christo Iesu omnes thesauri rerum cœlestium sunt exhibiti fidelibus, hoc est quod quæcunq; deus per prophetas promisit, ea per Christum compleuit. Factus est enim hic nobis à deo sapientia, iustitia, & sanctificatio, & redemptio: uia, ueritas, & uita: resurrectio, & omniũ rerum plenitudo absolutissima. Sub testimonia autem referuntur tres præcitati scripturæ loci. Primus est Psal. 1. (sub 1. enim Psalmum retulit eum, qui nobis est 2. quod etiã ipse Augustinus fecit, aut certe qui nobis primus est, ueluti prologus operi Psalmorum præpositus est) & testimonium fert diuinitati, afflictionibus & regno Christi. Neq; enim uerisimile est quod Apostolus unicum tantum ex Psalmo citarit uersum, sed totum potius Iudæis enarrarit. Lucas ergo indicem rerum potissimarum contexens, uersu citato, totum Psalmum monuit esse consulendum. Iam si totum cõsulas, uidebis hoc probari atq; describi Christi diuinitatem, humilitatem, uictoriam, ac regnum. Atq; ad hũc statum redige Psalmum totum, & nulla inerit difficultas, maxime cum eius non nihil expositum sit & in cap. 4. Secundus locus pari consilio, ratione ac modo transumptus est ex Isaia cap. 55. In eo enim copiosissimis uerbis describitur gratia dei per Christũ nobis exhibita. Ergo Sanctũ posuit pro cœdere. Cœdus autem (uel Ieremia teste) pro peccatorũ remissione, quæ nobis contingit ex merito Christi, quem Dauidem uocat propheta, eò quod Dauidi promissus sit Christus, & ex eodem natus secundum carnem. Porro tertius locus desumptus est ex Psal. 15. & resurrectioni fert testimonium. Quem admodum pluribus in capite 2. indicauit Petrus. Quod autem hi loci interpretes non nihil torserunt, factum est, quod non uiderunt illos non unius duntaxat resurrectionis esse testimonia, sed totius negotij Christi. Meminit sanè resurrectionis, sed per synekdocham meminit, ut interim alia Christi non excludat opera negotiaq;.

Ich wil tich
das sunders
trut Dauids
trüwlich ge
ben.

Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per hunc uobis remissio peccatorum annunciatur & ab omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari, per hunc omnis qui credit iustificatur.

Fructus rerum
Christi.

Posteaq; ergo enauigasset è testimoniorum scopulis, collectis uelis ruit in portũ, uerbisq; apertissimis exponit fructũ rerum Christi, & quid per ipsum orbi sit donatum, plenitudo, perfectio, & plenaria peccatorum remissio: quam hic obiter indicat contingere non merito, operibus aut ullo legis præsidio, sed pura dei per Christum gratia. Quod idẽ Paulus in Epistola ad Romanos, Galatas ac Hebræos fusissime persequitur. Et diuus Aurelius Augustinus idem tractans argumentum De spiritu & litera ad Marcellinum lib. cap. 13. & 14. euidentissime probat hominem iustificari non lege operum, sed fidei: non litera, sed spiritu: non factorum meritis, sed gratuita gratia. Idem agit & aduersus Pelagianos de peccato originali libro 2. cap. 26. Item de natura & gratia capite 2. & 3. In 4. uero cap. eiusdem. Hæc igitur Christi (inquit) gratia, sine qua nec infantes, nec ætate grandes salui fieri possunt non meritis redditur, sed gratis datur, propter quod & gratia nominatur. Et in 14. cap. de spiritu & litera, Cum de lege (ait) dicimus quod non iustificet, non tantum intelligimus legem ceremoniarum, sed Decalogi quoq; tabulas. Vide Roma. 9. 3. 4. Galat. 3. & Ioan. 1.

Videte ergo ne superueniat uobis, quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & euanescite, quia opus operor ego in diebus uestris, quod non credetis, si quis enarrauerit uobis.

Suasit

Suasit Iudæis Christo domino fidant, hic hortationi iungit minas, quæ quo grauius res essent, prophetis uerbis recenset. Et quanquam omnes prophætæ de pœna incredulorum ac perfidorum multa dixerint ubiq; unicū tamen Abacuk testimonium ex 1. capite petiū producere uoluit, quod satis atrox ac horribile solum sufficere uideretur. Equidem apparet Apostolum ex habitu & gestu auditorum præsensisse multos assidere, qui Euangelij & Christi contemptu intumuerint, qua re permotus propheticū suppegit testimonium. Hoc autem suo negotio adaptauit per *ἁμοίωσιν*, quam Cicero Colationem uertit. Nam hic est sensus Pauli, Videte ne forsitan contemptis uiuificum dei uerbum, quemadmodum olim maiores uestri uerba prophetarum cohortantium ad pœnitentiam contempserunt, & perieratis misere, quemadmodum illi quoq; perierunt, oppressi iugo regis Babylonici. Nam de captiuitate Babylonica & urbis excidio per Nabuchodonosorem loquitur propheta: cui probe tandem respondit uastatio urbis per Titum. Rebus adhuc saluis nemo credit, quod tandem, ubi nihil profecerit dei longanimitas, omnes experiri coguntur. Sed & de re uehemēter horribili dicimus, Maius est quàm quòd quisquā credere possit. Iam quod nos legimus, Et euanesce, Græce est *καὶ ἀφανίσθητε*. Est autem *ἀφανίζω* nō modo euanesco, sed demolior & marcesco: quæ duo cum ipsa re idem polleant cum superiore, utraq; tamen magis huc quadrāt quàm illud. Est enim sensus prophætæ, Cum mala prædicimus futura, uos prorsus contemnit: aderit ergo tempus, quo mala experiemini, nempe dum in Gentes longe abducti admirabimini quòd in tantam potueritis uenire calamitatem, ibi ergo obstupescetis, & misere marcescetis miseria. Hæc de prædicatione Pauli, quæ neglectis omnibus ceremonijs, ritibus, traditionibus & constitutionibus humanis, ad unum Christum uocat, in illo omnia exhibet, adeo ut extra hūc nulla sit salus, sed calamitas extrema. Confer hæc cum illa fidei absoluta regula de qua diximus in capite 2. dum disputarem de doctrina apostolorum.

Minæ aduersus contemptores Euangelij.

Egressis autem è cœtu Iudæis, rogabant Gentes, ut sequenti sabbato loquerētur sibi uerba. Soluto autem cœtu, sequuti sunt multi Iudæi & religiosi profelyti Paulum ac Barnabam, qui alloquentes suadebāt eis, ut perseverarent in gratia dei.

Exponit nunc concomitantia prædicationem Euangelij, quàm uarie ad illud afficiantur homines. Nam Euangelij alijs odor uitæ est ad uitam, alijs odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2. Hinc est quod alijs quidem, qui suæ innitebantur iustitiæ & externa quædam magni pendebant, Euangelij horrent: alijs contra ambiunt ac amplectuntur, Gentes in primis, quæ peccatis graues iam olim senserant reatus, externis ac uiribus humanis expiari non posse. Pauci ex Iudæis salutem sitiunt: nam suæ iustitiæ fidūt. Attamen non omne semen Israël is reiectum est: saluabuntur enim reliquiæ, Roma. 11. Has hoc loco monent apostoli, ut in gratia Christi perseverent. Vbi iterum uidemus quòd perseverantia pietatis ueræ anima est.

Reclamatur ueritati.

Sequenti uero sabbato penè uniuersa ciuitas conuenit ad audiendum sermonem dei. Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes ac loquentes blasphemias.

Conueniunt sanè, sed partim rerum nouitate permoti, partim pietate illecti. Illius causam aiunt esse curiositatem, quam ille dicebat Leuitatis esse filiam. Nullam enim in hac inueneris constantiam. Huius porro causam rectissime censent spiritū dei bonum esse, quo docti mortales miseri sentiunt peccati grauamina, quæ nulla alia re tolluntur quàm doctrina Euangelica. Porro Iudæi iterum funguntur officio suo, inuidet, æmulatione ringuntur, metuunt ne quid suæ decedat authoritati & quæstui si apostolis adhæreat ciuitas. Proinde insidiantur, occlamant, conuittantur & insanunt. Græca enim uehemētissima sunt, *ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημῶντες*, cōtra strepentes & conuittantes,

Inuidia sequitur ueritatem, crux Euangelium.

Typum autem gerunt omnium impiorū, qui hoc atrociores sunt ueritatis hostes, quo religiosiores uideri uolunt ueritatis & iustitiæ esse cultores, imò & defensores: defendūt interim suam existimationem & utilitatem. Pauci ex stulto zelo gloriam dei quærunt, Eiusmodi & nostra sæcula plurimos habent, qui plenis buccis & lateribus firmis profiliunt, & uoce Stentorea Euāgelicæ ueritati ceu hæreticæ & nuperæ doctrinæ occlamāt, remurmurant & conuiciantur.

Tunc sumpta fiducia Paulus ac Barnabas, dixerunt: Vobis oportebat primum loqui sermonem dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis salus usq̄ ad extremum terræ.

*Reclamātes ab
ijcit.*

*Vide cui malū
& peccatū im
putes.*

Oportet ergo episcopum ita doctum esse, ut potens sit contradicentes conuincere, & mentium seductoribus os obturare. Itaq; fungitur Paulus boni pastoris officio. Magna enim autoritate confutat Iudaicam perfidiam, Domini iustitiam, ueritatem & clementiam ab istorū uindicta calumnijs, atq; in ipsos Iudæos omnem damnationis culpam retorquet. Deus (inquit) præstitit quod promisit. Filium & in eo omnem promisit perfectionem, hunc iam misit, & in ipso uobis omnem præstitit plenitudinem, uobis inquam Iudæis filiū suum peculiariter misit. Præcepit enim, ut uobis primum hanc salutem nunciaremus. Nunciauimus ergo, & ecce uos repellitis obuiam. Ne ergo post hac exitij uestri authorem feceritis deum, ipsi enim indignos uos facitis æterna uita, quando quidem tenebras quàm lucem mauultis. Nunc ergo uobis in malitia relictis ad Gentes conuertimur, ut illis misericordiam ac regnum dei annunciemus. Quòd si cui uestrum id uideatur impiū, is audiat dominū de Messia per prophetam Isaiam in 49. dicentem, Posui te in lucem Gentium, ut sis salus usq; ad extremum terræ. Duo autem monentur hoc uaticinio. Prius, quòd Christus lumen annunciaturus sit etiā pharisanis Gentibus. Id quod & Simeon iustus apud Lucā in 2. testatus est. Proinde ne Gentes quidem à ueritatis lumine exclusæ sunt. Posterius, quòd Christus non tantum Iudæis, sed omnibus etiam Gentibus credentibus in eum, salutaris futurus sit. Quæ cum ita habeant, Non (inquit) peccamus quòd uobis desertis ad Gentes trāsimus. Sic olim ipse dominus neglectis pharisæis, dixit, Sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum. Nemo enim sanus facile dixerit palam impijs, hypocritis siue blasphemis omnia concedēda, semper cedendum aut dissimulandum esse.

Audientes autem Gentes, gauisæ sunt, & glorificabant sermonem domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam.

*Fides est ex
deo.*

Quemadmodum peccata animum deiiciunt, ita gratia abiectum surrigit & confirmat. Proinde Gentes peccatis hæcenus oppressæ lætātur iam de gratiæ dei auxilio, non de excæcatione Iudaica, Roma. 11. Quòd autem illos credidisse ait, qui ad uitam fuerint ordinati, notat fidem non esse meriti humani, sed misericordiæ dei ac electionis. Nam Petro in Euangelio confitenti Christum, dicit dominus, Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ad Nicodemū, Nisi quis (inquit) renatus fuerit è supernis, non poterit uidere regnum dei. Item Ioan. 6. idem dominus, Nemo (ait) uenit ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum. Hi loci omnes non imputant deo culpam damnationis impiorum, sed magis conuincunt electionē & gratiam dei causam esse salutis piorum: ne quis uiribus nostris ascribat, quod solius dei est. Plura de hac re Paulus in Romanis, & in 1. capite ad Ephesios, item Augustinus in libris de Ordine ad Zenobium. Nam in 7. capite libro 1. non minus uenuste quàm uere dixit, Quòd mala quamuis ordine (quem deus diligit) contineantur, consequens tamen non est, ut deus mala diligat, quæ etiam necessario esse ex dei iustitia cōuincitur. Præterea ordo iustificationis & uitæ sic habet. Deus elegit nos antequam iacerentur fundamēta mundi, sed elegit in Christo, ut in hoc ipso essemus irreprehensibiles. Et hoc quidem salutis negotium

negotium multis sæculis Gentibus non retexit, in fine autem temporum per euangelij prædicationem uniuerso orbi aperuit, Proinde qui iam huic prædicationi credunt dicuntur ordinati esse ad uitam æternam. Qui autem non credunt, non sunt ordinati ad uitam. Non quod deus iam olim abiecerit istos, & dei culpa & morositate non credant, sed quod ipse deus in suo illo ordine & consilio delegerit qui Christo fidunt. Huic autem cum hi nolint fidere, sua culpa sese ex hoc ordine excludunt. Quod enim deum attingit, iubet hic omnibus Gentibus prædicari Euangelium. In hoc annūciatur illud dei consilium quod uelit per Christum omnes Gentes saluos facere. Aduocantur ergo ad hanc salutem promiscue omnes, nec quisquam est cui non aliquid doni impartiat bonus dominus. Quod ergo quidam credūt, diuinæ uocationis est: quod autem quidam non credunt, non deo imputandum est, sed humanæ perfidiæ. Vnde & Paulus dixit, Quoniam indignos uos iudicatis æterna uita, &c. Plura de his alibi.

Diulgabatur autem sermo domini per uniuersam regionem. Iudæi uero extimulauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persequutionem in Paulum ac Barnabam, & eiecerunt eos de finibus suis.

Inuitis omnibus uerbi dei hostibus propagatur uerbi dei gloria. Cæterum nullibi cessat impietas, sed semper sollicita sibi undiq; corradit subsidia, & ea quæ maximam auctoritatem ac adminiculandi uim habere uidentur. Ergo Antiochenes Iudæi non imprudenter incitabant aduersus uerā pietatem mulieres primarias, quas plurimū posse norant, cum quod religiosæ, hoc est superstitiosulæ, ueram pietatem impotentius odirent, cum quod procerum in urbe uxores, non modo maritos in persequutionem armare, sed & sanctitatis specie quoslibet in odium ueritatis poterant exasperare. Et sæpius muliebri solertia, imò stultitia abusus est satan ad maximas res perficiendas. Notissimum est facinus Euæ, Dalilæ, Herodiadis, & aliarum multarum. Superstitione ergo & impotentia muliebri, opinione quoq; uulgi, & procerum iniusta potentia, armati, in ueritatis ministros feruntur, & efficiunt ut publico ædicto interdicatorum ipsis urbe ac agro. Crediderūt enim apostolis proscriptis ueritatem subsistere non posse. Id quod & nostri sperantes non minus falluntur quàm illos cōstat esse delusos. Sequitur enim, Porrò discipuli replebantur gaudio & spiritu sancto. Mira autem est illorum & nostrorum temporum collusio, ut uel hæc unica hypotyposis nos admodum animaret confirmaretq; si ueritati crederemus.

Consilium de
proscribenda
ueritate.

At illi excusso puluere pedum suorum in eos, uenerunt Iconium. Porrò discipuli replebantur gaudio & spiritu sancto.

Hoc enim tradiderat in Euāgelio dominus, dicens: Quicumq; autem non audierint sermones uestros, exeuntes ab eis, excutite puluerem de pedibus uestris, iam ne quis il lud tanquam leuiculum contemneret, addit: Amen dico uobis, tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorræorum in die iudicij, quàm hominibus illis. Illa uero Excussio uestrium *ῥεῖσα* id in primis significari uoluit dominus, quod adeo abhorreant ab eorum cōsortio, ut etiam puluerem eius terræ in qua illi inhabitent, nolint: quod adeo non ambiuerint istorū facultates Euangelij prætextu, ut puluerem etiam rem omnium uilissimam nunc excutiant restituantq;: & quod nihil paritum sit labori, omnia quæ ad salutem ipsorum facere uidebantur sint tentata, sed frustra, non dei culpa, sed istorum improbitate, & proinde deum ac ministros eius uacare omni culpa, in cuius rei testimonium iamiam excutiant in ipsorum capita omnem culpam ac condemnationem futuram. Atq; hanc genuinā esse Excussiois significationem, testatur ipse apostolus Paulus apud hunc historicū nostrum huius libri capite 18. Ibi enim excussis uestimentis, addit, Sanguis uester super caput uestrum, Mundus ego posthac ad Gentes uadam. Ex quibus omnibus intelligimus quæ sit potestas Clauium, quas tradiderat apostolis Christus, quid sint, & quomodo apostoli illas administrarint. Clauis aliud nihil sunt

Matth. 10.

Excussio uestri-
um aposto-
lica.

Clauium pot-
estas.

quàm Euangelij annunciatio. Hęc nunciat pœnitentiam & peccatorum remissionem, nempe quòd quicumq; crediderint, salui futuri sint: qui non crediderint, condemnandi sint. Quoties igitur prædicatur uerbum Euangelij, clauēs proferuntur, quibus aperitur & clauditur. Aperitur enim credentibus uita, Incredulis uero clauditur uita: idq; non hominis ministri, sed uerbi dei, cuius minister & præco est, uirtute. Verum enim est uerbum domini, quòd credentes beandis: perfidi autem sint damnandi. Ergo quòd hic minatur ac pollicetur in terris, id ratum habet dominus in cœlis, qui hoc ipsum testatus est, cum adhuc ageret in terris. Tolle ergo à ministro clauēs, hoc est, uerbū Euangelij, iam non poterit neq; ligare neq; soluere. Omnis enim uirtus uerbi dei est. Proinde nullam ligandi aut soluendi potestatem habent, qui rerum suarum in scripturis sanctis nullum fundamentum habent. Vnde iam facile colligis quare doceamus Pont. Romani Excommunicationis fulmen, nihil aliud esse quàm betaceum telum. Siquidem traditionibus humanis nititur, quæ conscientiam obligare non possunt. Cæterum noua multis uidetur esse hæc de Clauibus sententia, his maxime qui putant Clauēs nescio quam occultam uim esse, quæ sit sacerdotibus interna quadam uirtute collata, ut ipsi possint condonare siue retinere peccata. Notissima enim est Scholasticorum cōtentiosa ac intricata de potestate clauium disputatio. Hi ergo audiāt Augustinum nobiscum eadem de Clauibus sentientem & in 1. libro de Doctr. Christiana capite 18. dicentem,

Pontificia excommunicatio. Quid liberalius & misericordius facere potuit, qui seipsum nobis ut rediremus subter nere uoluit, nisi ut omnia peccata donaret conuersis, & grauer fixa interdicta reditus nostri, pro nobis crucifixus euelleret? HAS IGITUR CLAUES DEDIT ECCLESIAE SVAE, ut quæ solueret in terra, soluta essent in cœlo. Scilicet ut quisquis in ecclesia eius dimitti sibi peccata non crederet, non ei dimitterentur. Quisquis autem crederet, seq; ab his correctus auerteret, in eiusdem ecclesiæ gremio constitutus, eadem fide atq; correctione sanaretur. Quisquis enim non credit dimitti sibi posse peccata, fit deterior desperando, quasi nihil illi melius, quàm malum esse remaneat, ubi de fructu suæ conuersionis infidus est. Hisce subscribit & diuus Hieronymus in Mathæum 16. sic dicens, Istum locum: Et dabo tibi clauēs regni cœlorum, episcopi & presbyteri non intelligentes, aliquot sibi de Phariseorum sumunt supercilio, ut uel damnent innocentes, uel sol uere se noxios arbitrentur: cum apud deum non sententia sacerdotum, sed reorum uita quærat, &c. Hæc hæcenus.

CAP. XIII.

Factum est autem Iconij ut simul introirent synagogā ludæorum, & loquerentur sic, ut crederet ludæorum simul & Græcorum copiosa multitudo. Qui uero increduli erant ludæi, concitauerunt, & corruerunt animos Gentium aduersus fratres.

Seditionum auctores. Eadem semper facies, idem habitus ueritatis apud omnes, idem ergo hic audimus quod hæcenus audiuimus, alios quidē ueritati prædicatæ credidisse, alios infidias struxisse. Vnde iam satis clare liquet qui sint Seditionum auctores, non illi qui accusantur ueritatis cultores, sed accusatores horum hypocritæ ac impij. Hi enim simplicium corrumpunt mentes, ac turbas concitant. Corrumpunt autem mendacijs ac calumnijs, quibus ueritatem contaminant atq; suspectam faciunt.

Multo igitur tempore demorati sunt, fortiter agentes præsidio domini, qui testimoniū perhibebat sermoni gratiæ suæ, dabatq; ut signa & prodigia fierent per manus eorum.

Successus ueritatis.

Insidijs & persequutioni ubiq; opponit successum uerbi, ut confirmaremur in negotio domini. Nam hoc multa experientia certissimum est, cassum ac friuolum esse contra ueritatem omne præsidium humanæ industriæ. Quod enim alij obijciunt cœpisse quidem hanc doctrinam sæpius, sed eandem sæpius quoq; suppressam esse: uerum dicerent si à se inciperent, in nobis finirent. Sæpe enim ueritatem persequuta est fucata religio, occisis etiam sanctorum multis millibus, sed & libris optimis igne concrematis, attamen

attamen salua uel hodie permanet permanebitq; ueritas immortalis, dum in sempiternum quoq; punientur impij.

Diuisa est autem multitudo ciuitatis, & quidam quidem stabant à Iudæis, quidam uerò ab apstolis. Quum autem factus esset impetus gentium pariter ac Iudæorum unà cum principibus suis, ut uim adferrent ac lapidarent eos, re intellecta, confugerunt ad ciuitates Lycaonię Lystram & Derben, & finitimã undiq; regionem, & ibi prædicabant Euangelium.

Hic uides cur tam studiose monuerit incredulos sollicitasse quorundam simplicium De seditionibus. mentes ad tumultum: certe ne quis apostolos crederet turbari esse magistros. Seditio ne nihil peius. At eadem non nisi ex pessimis oboritur rebus, moribus, ac uicijs hominum, utpote uel ex tyrannide dum contra phas & ius opprimuntur innocentes, dum proscribitur ueritas, & pereunt optima queq; uel ex auaricia principis aut populi, dum nemo facit quod iustitia poscebat: uel ex paucorum nebulonũ conspiratione, qua con-nexi aduersus ueritatem temere feruntur. Cuius generis præfens fuisse uidetur. Conspirarunt enim idololatræ aliquot atq; senatu (cui rarius probatur pietas) in partes suas pertracto iunctis uiribus feruntur in Christianos: qui cõtra partes suas strenue tutati, effecerunt ut post aliquot exactum temporis spaciũ, tuto Iconij uersaretur Paulus. Audiemus enim ipsum non semel eò rediisse. Ne ergo nouum sit nobis si ueritatis hostes etiam hodie excitent seditiones. Nostrum est horum & similibus exemplorum meminisse, in confessa ueritate & à partibus apostolorum stare, & hanc ad finem usq; uitæ libere confiteri. Curandum tamen ne nos ullam turbis iustam suppeditemus ansam. Iustam autem cum dico, Euangelij prædicationem excludo, quæ omnino prædicanda est (sed more apostolico) quicquid tandem inde oboriatur crucis ac miserix: omnia interim suo modo tempore et loco. Qui uero seditiones horrent & tranquillitatem uolunt duraturam, curent ut sancti sint & alieni ab ijs unde nascitur tumultus: curent præterea ut sanctis precibus & prudenti consilio sanctum impetrent magistratum, qui ueritatem audiat, ad hanc negotia sua componat, huc studia sua dirigat, uiolentos autem & ueri oppressores ac blasphemos ita puniat ne succrescere & impietate pietatem possint superare. Verum de hac re forsã plura dicemus in cap. 19. Quod Stephanus de Urbibus refert de Iconio, admodum huc congruere uidetur. Est autem tale, indicat Iconium nobile esse oppidum prope Taurum montem, ex imagine sic dictum, quod Prometheus & Minerua iussu Iouis hic finxerant, secundũ fabulas, post diluuiũ Deucalionis, uentocq; inde inspirante animatũ. Nostra ergo lingua illã appellaremus Götzingen uel Bildach. Vnde apparet ciues eius urbis cũ ob religionis uerustatẽ, tum superstitionis emolumentum, idololatræ deditissimos, & inde etiam ad tumultũ proniores fuisse, ne inuisa ueritas auitã illam expelleret religionẽ. Ceterũ ipsa apostolorũ fuga prudentiẽ non instantiẽ leuitatis aut pauoris erat. Multo enim tempore tam clare erat prædicata ueritas ut nullũ esset periculum illã posthac periturã. Si porrò ipsi non aufugissent periculũ erat, & utilitas ex interitu eorũ nulla prorsus. Fuga uero hoc utilitatis habebat, quod impij sublatis fidei ductoribus minus iam ferociebant ac tumultaabantur, & quod Derbeis Lystranis ac finitimis undiq; regionibus, iam etiam prædicabatur Euangelium.

Et quidam uir Lystris debilis pedibus sedebat, claudus ab utero matris suæ, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & uidens quòd fidem haberet, fore, ut saluus fieret, dixit magna uoce: Surge in pedes tuos rectus. Et exiit, ambulabatq;.

Eandem rationem habet hoc miraculum quam illud Petri ac Ioannis quod exposuimus in cap. 3. nisi quod in hoc manifestissimis uerbis commendatur fides illius qui sanatus est. Cuius quidem generis plura exempla habemus in Euangelistis. Ad Epitaphium

& commendationem potentiae dei pertinet quod tantis uerbis miseriam claudi pingit.

Turbæ uero quâ uiderent quod fecerat Paulus, sustulerunt uocem suam Lycaonice, dicentes: *Dij in specie hominû descenderunt ad nos. Et uocabat Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, quod is esset dux sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem illorû, tauros & coronas ad uestibula afferens, cum turbis uolebat sacrificare.*

Origo erroris
Gentilium.

Elegans est hic locus, & multum habet in se eruditionis & utilitatis. Primo autem uidemus (id quod & in 3. capite monuimus) quo sensu afficiatur mens humana (non dum spiritu dei imbuta) erga signa. Secus uidelicet quam conueniat. Eum enim honorem quem deo debebamus, creaturis impendimus. Contra quem errorem hic disputabit Paulus. Deinde describit hoc loco gradus, quibus ad supremum usque idololatriæ & impietatis transcenditur. De quibus in 1. cap. ad Rom. copiosius disputauimus. Hic certis primo loco oboriri ignorantiam, siue obliuionem dei, & ex hac enasci uanâ quandam de deo opinionem, nempe quod humana specie tectus, & in Iouem, Apollinem, aut Mercurium transformatus ad nos descendat. Quæ sanè opinio primitus uidetur ex ipsa ueritate orta esse. Tradunt enim diuina oracula deum aliquando hæc uenturum in oras tectum carne ex uirgine sumpta. Præterea illa ipsa narrant angelos (quos diuinum eloquium אלהים, hoc est deos uocat) hominû specie à sanctis esse uisos, in hac uiuuisse & alloquutos fuisse multos; unde forsitan Gentiles isti Syriæ uicini circumfusique cum prophani & rerum sacrarû ignari essent, ansam sumpserunt, & de dijs quibusdam uana quædam confinxerunt. D. Erasmus, Ea (inquit) persuasio magis infederat animis Lycaonum ob fabulam de Ioue & Mercurio, quum homines esse uiderentur, à Lycaone exceptis hospitio, unde nomen sortiti uidentur Lycaones. Vt cunctique uero habeant fabulæ, hoc certum est Gentes credidisse deum per intermedios quospiam administrare omnia: ergo unum quidem confitentes deum, nihilominus plures quoque deos esse crediderunt, qui iuxta rerum diuersitatem, quibus præpositi erant, diuersa sint sortiti nomina: imò ipsum deum in ijs uarijs cognominatû appellationibus. Cuius quidem rei

Aristotelis de
unitate & plu-
ralitate dei opi-
nio.

ut Ciceronis & Plinij aliorumque transeam testimonia, unius Aristotelis sufficere uidentur. Is enim in libro de mundo, Unus porro deus (inquit) quum sit pluribus nominibus appellatus est, ab illis utique suis omnibus effectibus denominatus, quorû specimen ædere ipse solet. Atque eum quidem tum *ἕλωα* tum *δία*, uocant, inter se compositis utentes nominibus, atque regione collocatis, tanquam duabus his uocibus significare uelint per quæ uiuimus. Is Crono, id est Saturno, & chrono, id est tempore, ortus esse dicitur nimirum ab æuo sempiterno ad alterum æuum pertinens. Vocatur & Fulgurator, & Altitonans, Seruator, Assertor, & (ut semel omnia complectar) cœlestis & terrenus, ab omni natura forteque nomen adeptus, utpote qui omnium rerum author sit. Hæc & alia multa in hanc sententiam Aristoteles. Constat ergo Gentes coluisse deum in dijs, hoc est creaturis suis, quas pro rerum diuersitate diuersis etiam insignierunt appellationibus. Hic Lycaones uocant Barnabam Iouem. Natu enim maior erat, Iouis autem inter deos eximia maiestas erat: proinde ab Homero frequenter deorum atque hominum pater appellatur, quem Maro sequutus Iouem solenni epitheto iam regem, iamque patrem uocat. Porro Paulum uocant Mercurium. Additur causa admodum hanc opinionem nostram confirmans, quod dux esset uerbi. Mercurium enim uetustas credidit eloquentiæ esse deum. Ideoque ab Horatio Odarum lib. 1. facundus dicitur: & à Græcis *ἑρμῆς*, quod deinde exponens Vergilius, ipsum uocauit diuû interpretem. Iam uero cetera opinione falsa obfirmatisque animis, quibus infederat Iouem & Mercurium appulisse, sacra protinus ijs debita dijs instituunt. Nam sacerdos Iouis qui habitabat in suburbio ciuitatis, tauros & coronas adferebat ad fores ædiû, in quibus erant apostoli, ut sacrificaret illis. Nisi fortassis alluserit historicus noster ad uetustum illum omnium Gentium ritum, quo tēpla deorû, quibus sanguine & uictimis litabatur, extra urbem habebant. Neque enim pertinere ad urbis fortunas & dignitatē uisum erat, eius numinis templum intra moenia

Act. 17.

„

„

Iuppiter.

Mercurius.

Sacrificia.

Templa deorû
extra urbem.

quo tēpla deorû, quibus sanguine & uictimis litabatur, extra urbem habebant. Neque enim pertinere ad urbis fortunas & dignitatē uisum erat, eius numinis templum intra moenia

conspici,

conspici, cui sanguine litarent. Huius generis plura ex Horo Aegyptio & Aristotele, nec non rebus Romanis annotauit Crinitus lib. de hon. disc. s. cap. 5. Porrò Tauros in uictimis gratissimos fuisse loui testantur poëtae. Quod autem ad Coronas attinet, quarum potissimus quondam in sacris usus fuit, sic scribit Plin. in 16. cap. 4. Antiquitus qui dem nulla nisi deo dabatur. Ob id Homerus cælo tantū eas & prælio uniuerso tribuit. Viritim uero ne in certamine quidem ulli. Feruntq; primum omnium Liberū patrem imposuisse capiti suo ex edera. Postea deorum honori sacrificantes sumpsere, uictimis simul coronatis. Hac de causa ego existimauerim Sept. Tertullianū adeo stomachatū esse in Coronas, in opere quod de Corona militis inscripsit. Sed hæcenus descripsit stultitiam humanam & religionem peruersam, qua per opera quæ deus per creaturas suas ceu instrumenta patrat, auocati, sinistro operum dei sensu, ad creaturarum cultum conuertimur, quas deinde rebus externis, uictimis, coronis, auro, argento, ebore, pictura, idq; genus nugis alijs colimus. Crediderim autem hæc omnia mira dei dispositione contigisse, nempe ut Lycaonum errore admoniti, posthac ab omnium creaturarū cultu abstineremus. Atq; huc etiam pertinet oratio Pauli.

Quod ubi audierunt apostoli, Barnabas & Paulus, conscissis uestibus suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri cur ista facitis? Nos quoq; iisdem, quibus uos obnoxij malis sumus homines, annunciantes, ut ab istis uanis conuertamini ad deum uiuum.

Duo agūt hac oratione apostoli. Primo enim errorem uulgi compescentes, docent uanum esse creaturarum cultum. Deinde uero de cultu & maiestate unius dei differūt. Quoniā autem plurimum mouet dicentis habitus & corporis gestus, apostoli iam non immiscent se turbis, sed ueluti dolore & indignatione uæsani in concionem profiliūt, uestem lacerant, ac clamitant, Quid facitis? uiri cur ista facitis? Est autem uestis cōscissio plangentū habitus signum uel maximi luctus, uel indignationis maximæ ex blasphemia conceptæ. Vide ergo, ô fidelis anima, quomodo diuis ipfis tuum proberur sacrificium quod in honorem ipsorum instituisti. Vide an non ipsi manifesto approbent signo, quod diuis sacrificare & diuos colere aliud nihil sit q̄ blasphemare. Quin & ipfis uerbis eadē referunt, Viri, cur (inquiunt) ista facitis? quasi dicerent, Quid obsecro rem tam indignam facere paratis? Quid enim indignius q̄ neglecto ipso creatore creaturis diuinum honorem impendere? Hæc ex natura religionis sumpta uidentur. Iam ex natura creaturarū, superioribus ueluti causam adiicientes, sic argumentatur, Nos quoq; iisdem quibus uos obnoxij malis sumus homines: quod Græce multo & elegantius, & uiuidius sic legitur, καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἀνθρώποι. Quasi dicant, Quin & nos ipsi homines sumus, nec alij q̄ uos estis, iisdem affectibus passionibus siue malis adfecti. Monet enim Erasmus ὁμοιοπαθεῖς non tantū ad mortem pertinere, sed ad omnia quæ possunt homini accidere. Igitur ex miseria humana & creaturarum fragilitate docent nullam prorsus creaturam quantumuis sanctam esse colendā. Iam quicquid post deum in orbe est, minus homine est. Nihil ergo maius homine coli potest. Quod si minus colas, stultitiam prodis. Quis enim in eo auxiliū aut spem posuerit quod se minus & imbecillius sit? Quod si hominem colas, iam simile tibi colis, quod scilicet mortale & infirmum est. Cæterum si obijcias, Hominem equidem agnosco quem colo, sed hominem sanctum, & qui iam mortalitatem commutarit immortalitate, sublimis in cælesti regia desideat, & nostram miseriam nō nesciat. Quis uero Paulus? Quis Barnabas erat? Num sancti, boni, iusti? imò sanctissimi, optimi & iustissimi. Nihilominus omnē à se cultum q̄ longissime arcēt. In 3. cap. audiimus Petrum atq; Ioannem dixisse: Non nostra uirtute aut pietate efficimus hoc. Proinde nō sunt colendi diui propter uitæ sanctimoniam, sed imitandi. Neq; quisquam sibi persuadere debet ipsorū animas hoc corpore exutas posthac hoc magis sic esse affectas, ut sibi uelut meritis & dignis ullum sibi cultum exhiberi uelint. Certum enim est dilectionem diuinæ bonitatis in illis iam de facie ad faciem cernētibus sic auctam esse & absolutam, ut non possit non fieri quin

Coronæ.

Superstitio.

Creaturarū cultus est blasphemia.

Non hominem, sed hominē sanctum colo.

omnem honorem (id quod etiam Augusti, in quæst. uet. & no. test. quæst. 27. fatetur) omnem gloriam, omnemq; cultum in hunc dirigi desiderent, ex quo solo sunt quod sunt, & qd possidēt habēt. Vero similius igitur est nimio cultu ad indignationē prouocari (si quæ modo in illis indignatio est) q̄ ut credamus placari eos aut ad beneficentiā inuitari. Ergo ut breuibus omnia dicā, Diui natura quidem homines sunt, ergo colendi non sunt. Gratia uero sancti sunt, ergo gratia in illis, non ipsi ut homines, colenda. Serui præterea sunt altissimi; ergo colēdi non sunt. Sequitur enim in hac apostolorum oratione: In hoc uenimus ut uobis annūciemus, ut ab istis uanis cōuertamini ad deum uiuum. A quibus obsecro uanis? Vtiq; à creaturarū cultu, quo nihil inuenias uanius. Nam in Rom. cap. 1. Deum quidē (inquit Paulus) cognouerunt, non aut ut deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, sed uani facti sunt in ratiocinationibus suis, & obtenebratum est insciens cor eorū. Quum se crederent sapientes esse, stulti facti sunt, & mutauerunt gloriā incorruptibilis dei per assimilationem imaginis corruptibilis hominis. Damnatur ergo omnis creaturarū cultus, siue more Gentilitio per deos, siue more pontificio per diuos exhibeatur deo: siue dñs ac diuis ipfis deo neglecto impendatur. Siqui dem sacra eloquia præcipiunt, ut ab his auertamur, & ad deum conuertamur, in hoc omnem spem nostram collocemus. Viuus enim est, hoc est, æterna uis, potens, omnia agens, ubiq; præsens est. Viuat ergo in pectore nostro. Hic omnia sine dñs ac diuis creauit: & omnia per se administrat & cōseruat. Si quid per ministros suos agit, in gloriam nominis sui, non ministrorum, agit. Quanquam & suus honor debeat sanctis. De quo dictum est ex Augustini sententia cap. 2.

qui fecit cœlum & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt,

Vnius dei religio,

Ex rebus conditis potentia ac sapiētia dei, deum nunc prædicat. Nam euulsa superstitione in locū eius ueram religionē inserit. Vera religio in unum deū creatorem cœli & terræ innititur, & pie religiosi huic ueluti fidei nodo religantur. Quantus hic fit, q̄ sapiens, bonus, potēs, misericors & clemens, nimirū docuere hoc loco apostoli. Docuit & Ierem. in cap. 10. qui locus si hisce addatur commentarij uice erit. Breuiter, deus fidelibus ἡ κίραξ ἀμαλβίασ, hoc est Saturnus & omnisufficiētia ἡ κίραξ ἀμαλβίασ, hoc est, copiæ cornu est, in quo omnia habēt & post quē nihil prorsus desiderare possunt. Nam & Ieremias uocauit eum fontem aquarū uiuentiū: & dñs Iesus, Qui biberit (ait) ex hac aqua quam ego dabo, non sitiet in æternū. Ruunt ergo hic omnia ea quæ caro de diuorum cultu & quarumcunq; tandem creaturarū auxilio commenta est. In deo uno solo & uero omne nostrū est quod sumus, in ipso omne nostrum præsidium, spes, salus, & auxilium est.

Gene. 17.
Ierem. 2.
Ioan. 4. 5.

qui in præteritis ætatibus sinebat omnes Gentes ingredi uisus suis. Quanquam non expertem testimoniū se ipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo, nobis dans pluias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra.

Felicitas idololatrarum,

Ne obijcerent, Si tanta semper fuit dei potentia, qui fit ut istam non citius reuelaret nobis? quin potius maiores nostros nostro more illi seruentes, deos inuocantes ac sacrificantes multis affecit beneficijs, quod non fecisset nisi ipsi placeret deorum cultus. Proinde anteuertunt apostoli & dicunt: Errorem uestrū non nesciuit deus, qui omnia nouit, neq; uero uel uobis sese uel maioribus uestris subtraxit, quippe qui se indes spectandum proposuit operibus suis. Vos autem manifestantem se uobis recipere noluitis, quin ad creaturas magis conuersi, has plus coluistis q̄ creatorem ipsum. Quod aut hoc peccatum uestrū non protinus puniuit, non ideo fecit quod superstio uestra ipsi adlubesceret, sed ut longanimitate prouocaret ad poenitentiam. Proinde quæ iam tempora frugifera, pacem, opes, sanitatem, & id genus alia fortunæ bona consequuti estis, non deorum uestrorū Aesculapij, Liberi patris, Cereris et Iunonis beneficio, sed huius dei creatoris benignitate consequuti estis. Hic enim est per quē omnia subsistunt, uiuūt & mouentur, qui omnia in mūdo uegetat, pascit & cōseruat. Iam ergo adsumus huius dei apostoli adhuc satis tēpestiue monētes & obsecrantes, ut deserta idololatria & uano creatura

Roma. 1.

Roma. 2.

Psalm. 103.
Isaie 40.
Act. 17.

creaturarum cultu, hunc uerum, uiuum et æternum deū unice adoretis in uocetis ac colatis. Principio autem hinc consequitur quod illi nihil probent, qui pro aliqua religione confirmanda, patrum mores & longa proferunt tempora. Nam plus 3000. annis durauerat Gentilitia fides. Adhæserat illi maxima pars orbis. Iactabant præterea eius cultores non aspernanda in hac se ufos esse fortuna ac uictoria. Hoc enim & Augustinus in libris de ciuitate dei subindicauit atq; confutauit. Quantumuis ergo huius generis plurima pro sua fide allegarent, attamen uana & inanis erat. Deinde constat ex hoc loco fruges, lætitiā hoc est uinum (utitur enim synekdocha) sanitatē, deniq; omnia cum corporis tum fortunę bona, mortalibus à deo non à Diuis conferri. Fœdissime ergo errant nostri quū dicunt, *das habend wir von Gott, vnd von den lieben heyligen.* Nam Osee 2. ita dicit dominus: Nesciuit (populus meus) quod ego dedi ei frumentum & uinum, & oleum, & multiplicauit aurum & argentū eis quæ tamen impenderunt Baalim. Iccirco reuertat et sumam frumentū meum (ecce unde nobis sterilitas oboriatur, non ex unius dei cultu & creaturarum neglectu, sed ex deorum superstitione) in tempore suo & uitiū meum in tempore suo, & exuam eos ueste mea, qua operiebant pudenda sua. Et nunc reuelabo stultitiā eius in oculis amatorum eius, & nemo eruet eam (iam ueluti de putrido scorto loquitur) de manu mea, & cassare faciam omne gaudium eius, & omnia festa eius, & corrumpam uineam eius & ficum eius, de quibus dixit, merces hæ meæ sunt, quas dederunt mihi (obserua nostrū loquendi morem de beneficijs Diuorū) amatores mei. Ergo uisitabo super eam dies Baalim, quibus accendebat incensum & ornabatur mundo suo, & ibat post amatores suos, & mei (hic uide quod deorum statuæ non possint esse memoracula dei) obliuiscatur dicit dominus. Hæc ex Osea, cui consonant & ea quę ad imitationem Osee Ezechiel, postea copiosus conscripsit in cap. 16. Tertio autem loco hinc colligimus, quod etiam si deus aliquousq; ad peccata conniueat, ipsi tamē peccata non placeant. Inuitat enim longanimitate ad poenitentia. Et hætenus de unitate, potentia, et beneficijs dei, deq; huius uero cultu. De Christo iam non erat dicendi locus apud eos qui adhuc in primo fidei articulo erant instituendi. Non credidissent in filium dei, qui nondum norant uerum deum.

Et hæc dicentes, uix compescuerunt turbas, ne sibi immolarent.

Tantum malum est inolita consuetudo et uana persuasio, quæ semper apud uulgus ignobile plus ualuit, quàm ipsa ueritas ac ratio. Videas etiam hodie multos tanta induratos esse pertinacia, ut neq; his neq; alijs perinde claris ac euidentibus exemplis testimonijsq; abduci à concepta superstitione possint.

Superuenerunt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum e ciuitate, existimantes illum mortuum esse. Circudentibus autem eum discipulis, surrexit & intrauit ciuitatem.

Monuit Erasmus in Annotationibus hunc locum secus legi in nonnullis Græcorū exemplaribus, nempe ad hunc modum: *Και διαλεγόμενων αὐτῶν παρρησία, ἀνέωσαν τοὺς ὄχλους ἀπὸ τῶν αὐτῶν, λέγοντες, ὅτι οὐδὲρ ἀλιθὲς λέγουσιν, ἀλλὰ πάντα ψεύδονται.* Id est: Et cum illi fortiter disputarent, persuaserunt (qui scilicet ab Antiochia et Iconio uenerant Iudæi) turbis ut deciscerēt ab eis, dicentes, quod prorsus nihil ueri dicerent, sed omnia mentirentur. Hoc ergo cū persuasissent turbis, lapidatū Paulū ceu mortuorū ex urbe extraxerūt. Hæ uidelicet sunt rerū humanarū uices. Paulò ante pro deo habito ante urbē parabat̄ur hostiæ, nunc lapidatus Paulus extra urbē misere trahitur. Ita legimus in Euangelio, ipsum saluatorē maxima populi acclamatione ingressum Hierosolymorum urbē, hoc ipso uespere Bethaniam rediisse, quod ob pericula impendentia ipsum nemo dignaretur hospicio. Hęc uidelicet est plebis cōstantia, ut nō inmerito Charōdas dixerit, Qui se populo cōmittit fortunā nō rationē sequitur. Est et illud obseruandū qd

*Nostrorum tem-
porum seuitia
in pietatem.*

apostolis multo grauius bellū erat cum Iudæis, quàm cum Gentibus. Hypocritæ enim ac supersticiosi, hoc magis furiunt, quo minus tales uideri uolunt, quales prædicat ipsa ueritas. Harum ærumnarū admonēt nos nostrorum temporum afflictiones, quæ & ipsæ tetrius habent, quod ab his maxime impugnatur pietas, qui pietatis antesignani uideri uolunt, qui & ipsi nomen Christianum iactant, & se omnia Christi nomine agere dicunt. Ita enim & Iudæi unum prædicabant deum, scripturis credebāt, istas laudabant, iustitiam suadebant, & iniustitiam culpabāt. Hoc ergo periculosius erat certamen utrisq; Cæterū semper emicat ueritas. Tametsi enim Paulus uideretur extinctus, tamen dei uirtute restituitur, & Christianis pro officio circumfusus, redditur: ut uerissime huc quadret quod in 2. ad Cor. 4. cap. scripsit, Habemus autem thesaurū hunc in taceis uasculis, ut uirtutis eminētia sit dei. Et quæ sequūtur. Nam satis notus est locus.

Ac postero die profectus est cum Barnaba Derben. Cumq; euangelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystram, & Iconium, & Antiochiam, denuo confirmantes animas discipulorum, exhortantesq; ut perseverarēt in fide: & quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum dei.

*Paulus uirtute
dei restitutus.*

Vel ex hoc loco claret Paulum diuina uirtute ceu à mortuis excitatū, & non fratrum medicamine curatum fuisse. Quis enim unquam audiuit lapidatum hominem postera ambulare die; maxime eum, quem existimarunt esse mortuum, & quem lapidarunt ij, qui odio in ipsum rabidi, à lapidum telis proculdubio non abstinuissent, si ullum credidissent uitalem superfuisse spiritū. Quid quod miserabilis illa ex urbe extractio, non homini iam semianimi, sed cadaueri uerius competebat? Maxima ergo domini uirtus sese in Pauli exeruit infirmitate: ut posthac omnes mortis periculū minus horreremus. Sed illud mirabilius est quod sequitur Paulum nullibi cessasse, nullius piguisse laboris. Quod semel plantarat, id iam summo studio excolit, ut cum magno fructu adolescat. Redit enim per illas urbes quas comite Barnaba prius instituerat ac fidei cōsecrarat, ut has iam nihilo segnus ad perseverantiam ac patientiam animaret. Nam perseverantia colophon est rerum omnium; cæterū perseverantiæ neruus & uena est patientia. Non enim perseverare potest, qui ob rem cui adhærendum erat, nihil pati potest. In patientia uestra (ait dominus) possidebitis animas uestras. Mundus ueritatem odit, proscrit, persequitur. Pietas ueritatem amat, amplectitur & mordicus retinet: ergo patientia retinet. Verissime ergo dixit Paulus, quod per multas afflictiones pateat aditus in regnum dei. Non per otium (inquit) luxum mollitiemue, per carnis & sæculi uoluptates itur ad astra, sed per scabrosam uiam. Id quod & poëtæ suo descripsere biuio, cuius meminit ex Prodicto Sophista etiam Cicero in 1. Officiorum libro. Quin omisissis istis audiamus Christum dicentem, Annitimini intrare per arctam portam, quoniam lata est porta & spatiosa uia quæ abducit in exitium, multiq; sunt qui ingrediuntur per illam. Angusta uero est porta & stricta uia quæ abducit ad uitam, & pauci sunt qui inueniunt illam. Proinde semper conuenit meminisse aureæ Archilochi Parij sententiæ, qui (ut ait apud Philostratum Apollonius) tolerantiam in rebus aduersis patientiam nuncupans deorū eximium inuentū ac munus esse dixit, ad omnia mala perferenda, ceu gubernatoris artē, per quam incūbente tempestate uenientiū fluctuum impetus recipit.

2. Timoth. 3.

*Silius Italicus
Punicorum 15.
Matth. 7.*

Et cum suffragijs creassent illis per singulas ecclesias presbyteros, precati q; essent cum ieiunijs, commendauerunt eos domino, in quem crediderant:

*Apostoli &
presbyteri.*

Iterum cōmendatur nobis ordinaria electio, & cura pro ecclesijs apostolica. Alij autem erant ab apostolis presbyteri, non tamen autoritate minores, sed in officio administrando alij. Apostolus em̄ incertis uagatur sedibus, nunc his nunc illis Euangelium prædicans. Presbyter autem siue episcopus unæ cuiuspiam præpositus ecclesiæ, hanc curat, nec apostolorum more uagatur. Ita uidemus eundem Philippum trinominem ex officio

officio & administrandi modo, effectum esse. Nam in 6. dicitur Philippus diaconus. In 8. est Philippus apostolus. In 21. appellatur Philippus Euangelista Cæsariensis. Cæterum dictio *χειροτονία αὐτῶν* ita ponitur, ut uel suffragijs populi delectos esse, uel manuum impositione inauguratos intelligere possimus. Ego utrunq; factū arbitrauerim. Eligitur enim cōmunibus populi suffragijs, qui optimorum testimonio probatus est. Huic autem imponebantur manus, ut in superioribus indicauimus.

peragrataq; Pisidia, uenerūt in Pamphylia: & cum loquuti essent sermonem Pergæ, descenderunt in urbem Attaliam: & inde soluerūt Antiochiam, unde erant traditi gratiæ dei in opus quod cōpleuerunt.

En ueritatis constantiam & absolutam breuitatem. Semel docuerant & pietatem in Christum certis numeratisq; uerbis docuerant. His iam nihil addūt. Non enim opus habet pietas numerosis legibus. Ergo semel docta excolunt, repetunt, inculcant. De impostoribus & ceremoniarum doctoribus scriptum est, quod semper discant, ad cognitionem autem ueritatis nunquam perueniant, 2. Timoth. 3.

Absoluta ueritatis doctrina.

Cum autem uenissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quæcunq; fecisset deus secum, & quod aperuisset Genibus ostium fidei. Commorati sunt autem illic multum temporis cum discipulis.

Quandoquidem instinctu sancti spiritus per Antiochenæ ecclesiæ missionē ad Gentes profecti Euangelium prædicarant, nunc reuersi exponunt sancti spiritus uirtutem, ut à multis pro collata in Gentes gratia, gratiæ dicerentur deo, & ut mutua fide confirmarentur. Porro Ostium fidei aperire prouerbiali loquutione dixit, pro eo quod est recipere in fidem. Annotauit hanc & huic similes metaphoras Erasmus in opere eximio Adagiorum, Chil. 1. cent. 4. Adag. 3. & 4. Quod autem scribuntur apostoli multū temporis Antiochiæ cum discipulis commorati, inuit istos modum seruasse in omnibus. Hactenus enim non æstimandis laboribus sese hac profectioe excruciarant, unde uires nimirum defecerant: nunc ergo se honesto recreant otio. Non quod prorsus otiantur, sed quod minore labore & non tanto uitæ periculo, in libera, morigera & Christiana ciuitate prædicarent. Videtur enim Antiochia asyllum quopiam fuisse Christianorum, in quod se exules & bonis propter fidem paternis exuti receperint. Clemens enim cœlestis pater in mediâ persequutionum procella semper aliquorum corda mouet, qui exules suos colligant ac tueantur. Beatissima uero illa ciuitas est, quæ ad hoc à domino electa est. Maledicta autem quæ hospitalitate neglecta, ueritatis nomine palantes repellit. Aderit enim iudex qui dicat, Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & ministris eius, quia hospes eram, & non collegistis me.

Otium apostolorum.

Antiochia asyllum Christianorum.

Isaie 16.

Et quidam qui descenderant à Iudæa, docebant fratres, nisi circuncidamini secundum morem Moysi, non potestis esse salui. CAP. XV.

Rebus paulò pacatioribus materia maiorum malorum exoritur. Nam sicut malus ille semen suum malum in agrum domini nunquam non seminat, ita dominus suos diuersis afflictionibus subinde tentat. Hactenus suos persequutionum uarijs exercitauit generibus, nūc uarijs probat hæresibus. Persequutione deterior est hæresis. Hac enim affliguntur labefactanturq; hominum mentes. Illa corpora duntaxat diuexantur. Verum ut illā bono ecclesiæ suæ immittit, ita hanc maximo bono & ueritatis & fidelium oriri finit. Principio enim dixit Paulus, Oportet hæreses esse, quo qui probati sunt probantur. Deinde oportebat hunc errorem superstitibus adhuc apostolis suboriri, ut horum testimonijs sublatus, ipsumq; fidei nostræ dogma primarium, clarissime expositum & confirmatum, posthac omnibus dubijs & contentionibus imponeretur finis. Primarium enim Christianæ religionis dogma & cui omnia alia innituntur, hoc est, quod in Christo Iesu sit omnis plenitudo, & proinde omnes qui iustificant, unica in illū fide, & nulla alia re, iustificari. Hæc enim est summa totius Euangelij, Hæc omnium epi

De hæresibus.

Dogma primarium pietatis Christianæ.

Error. stolarū Pauli materia est, maxime uero earum quas ad Romanos, Galatas & Hebræos conscripsit. Iam uero exoriebantur pseudochristiani quidā, reuera mali Iudæi, qui aduersus hoc dogma tradebant, non unicum Christum omnibus omnia esse, sed circuncisionem quoq; & omnia legis ad iustificationem requiri: hoc est, quòd salus non tantum in Christi fide, sed in externis quoq; ceremoniarū ac legis obseruationibus, imò & meritis nostris consistat. Porro hac traditione adeo obscurabatur doctrina Euangelica, ut Christus prorsus abnegaretur. Si enim ex lege erat iustitia, si meritis nostris & sacrificiorū donis parabatur salus, iam Christus frustra erat incarnatus, & pro peccatis mūdi in ara crucis oblati. Proinde summis uiribus impio dogmati repugnabāt ueri Christi apostoli Paulus ac Barnabas, defendentes gloriam crucis, cuius illi capitales inimici erant. De his enim scripsit Paulus, Complures autem sunt erronei, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorum finis perditio est, quorum deus uenter & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Et ad Galatas, Quicumq; uolunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt uos circūcidi, tantum ne ob crucem Christi persecutionem patiantur. Nam ne ipsi quidem legem seruant.

philip. 3.

Galat. 5.

Cum orta ergo seditio & disceptatio esset non exigua Paulo ac Barnabæ aduersus illos, statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis, ad apostolos ac presbyteros Hierosolymam, super hac quæstione.

Cur Hierosolymā profecti.

Oritur seditio non ex ueritate, sed doctrina falsa. Siquidem ecclesia Antiochena agebat in pace, quam turbabant erronei illi qui descenderant à Iudæa, iactantes doctrinæ suæ authores esse apostolos domini primarios, Petrum, Ioannem & Iacobum, quo simul & Pauli eleuabant auctoritatem, hunc negantes esse apostolum, qui primò persecutus esset ecclesiam dei, neq; Christum in carne uidisset unquā. Proinde deliguntur legati qui Hierosolymā proficiscantur, non utiq; discendi gratia (recta enim se ambulare norant) sed ut ab ipsis apostolis conuincerentur erronei isti erroris sui. Huc enim pertinet, quod paulò post in epistola apostolica sequitur, Audiuius quòd quidā à nobis egressi turbauerunt uos, quibus nihil mandaueramus. Alij præsentem locum aliò contra genuinū sensum trahunt, quasi uero tota totius orbis ecclesia unius Romæ cogatur spectare decreta. Consulatur autem super hac profectio ipse Paulus in 2. cap. ad Galatas tam clare & copiose differens, ut commentarium in hæc uideatur textuisse.

Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phœnicen & Samariam, narrantes conuersionem Gentium, & adferebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem uenissent Hierosolymā, suscepti sunt ab ecclesia, & ab apostolis ac presbyteris, annunciaueruntq; quæcunq; deus fecisset cum ipsis.

Hospitalitas.

Vbiq; admonet scriptura discipulos, hoc est, Christianos fuisse comes, familiares, hospitaes, & ut sic dicā, officiosissimos, cum erga omnes, tum erga ueritatis doctores potissimum. Ergo hic quoq; memorantur apostoli à discipulis deducti esse per Phœnicen & Samariam: rursus Hierosolymis esse suscepti nimirū familiarissime. Nulla enim erat inter apostolos uel in ipsa ecclesia simulas, nisi quam erronei isti mentiebantur, atq; pectoribus simplicium inserere cupiebant.

Surrexerunt autem quidam de factione pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quòd oporteret circūcidere eos, ac præcipere, ut serua-
rent legem Moysi:

Hæresis Nazæarorum.

Hic iam planioribus uerbis exponitur quæ illa fuerit pestilens hæresis. Sed & diuis Hieronymus in eleganti illa ad Augustinū epistola testatur, Cherinti & Hebionis hæresim, hoc potissimum nomine damnatam, quod legis ceremonias Christi euangelio misceret, & sic noua confiteretur, ut interim uetera non amitteret. Imò suis adhuc temporibus

poribus per totas Orientis synagogas hæresim fuisse, quæ Mineorum dicta sit, & quos vulgo Nazaræos nuncuparint. Hos credere quidem in Iesum Christum dei filium natum de uirgine Maria, passum sub Pontio Pilato, crucifixum, sepultum, iterum resuscitatum, & in eum prorsus credere illos in quem nos credimus, sed non omnia uni tribuere, atq; ita fieri ut dum uolunt Iudæi esse & Christiani, nec Iudæi sint nec Christiani. Quod si hodie quoq; ad iustam stateram expendas, quid nos qui Euangelium prædicamus, ab his separet, qui ueteris fidei propugnatores uideri uolunt, nihil aliud inuenies quàm hoc ipsum quod Antiochenam conscidit ecclesiam. Nos enim cum apostolis domini unum & solum Iesum Christum prædicamus, hunc clamitamus unum & solum totius orbis esse iustitiam, redemptionem, satisfactionem, lucem, doctorem, sacerdotem, sacrificium, mediatorem, caput & uitam. Illi porro non uni omnia tribuunt, sed infinita quædam iungunt, quæ ad salutem sunt necessaria. Meritis enim, confessio- ni auriculari, absolutioni & indulgentiis tribuunt peccatorum remissionem. Varios sibi coaceruant doctores, plurimos sacerdotes, plurimos intercessores, & Missas, id est, sacrificia innumera: quæ nos omnia prorsus abnegamus, quod filium dei Iesum Christum solùm sufficere, & nullum aliud nomen sub cælo esse credimus, in quo oporteat saluos fieri, nisi nomen IESU CHRISTI. Prædicant sanè & illi nobiscum historiam Euangelij & articulos fidei Christianæ, Vnum esse Deum, hunc misisse filium, qui incarnatus de spiritu sancto, ex Maria uirgine natus, passus & resuscitatus sit, sedeat item ad dexteram patris iudex uenturus. In hac inquam serie uerborum nulla dissonantia: at in ipsa uirtute Christi, non tam longe abest oriens ab occidente, quàm illorum doctrina à nostra dissidet. Sed redimus, Nazaræi illi siue Pharisei non putabant satis esse Gentibus, ad Christianam fidem conuersis, unicum Christum, circumcidendos ergo existimabant, ut recipi in populum dei, & sacrificijs iustrandos ut purgari, & sub legem subiugandos, ut meritis suis bonisq; iustificari operibus possent. Iam uero hæc causa eiusmodi erat, ut apostolis domini plurimum odij, pseudoapostolis autem plurimum beneuolentiæ & authoritatis conciliaret. Nam hi uidebantur esse iustitiæ doctores, bonarum legum defensores & omnis pietatis assertores fidelissimi: contra uero illi iustitiæ, uirtutibus, sanctis quoq; per Moysen institutis, & à patribus obseruatis ritibus temere uidebantur repugnare. Verum si dogma pestilentissimum dissimulassent, iam proculdubio perierat Euangelij negotium, quod ut bonis moribus operibusq; non est inimicum, ita nõ permittit, ut ullis alijs rebus tribuatur salus, quàm uni Iesu Christo. Rectissime ergo diuus Hieronymus in ea Epistola, cuius paulò ante meminimus, Ego (inquit) reclamante mundo libera uoce pronuncio, ceremonias Iudæorum & perniciosas esse & mortiferas Christianis, & quicumq; eas obserauerit siue ex Iudæis siue ex Gentibus eum in barathrum diaboli deuolutum, Finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti. Cui sententiæ hoc addidit Aurelius Augustinus, dicens: Quicumq; eas obserauerit, siue ex Iudæis siue ex Gentibus, non solum ueraciter, uerumetiam simulate, eum in barathrum diaboli (censeo esse) deuolutum. Cæterum quid hodie quorundam ceremoniarum à Iudaicis differant, Lectorum esto iudicium.

Conueneruntq; apostoli ac presbyteri, ut dispicerent de hoc negotio.

Palàm hoc loco admonemur ad apostolicos uiros pertinere rerum ad fidem pertinentium quæstionem, qui consilio indicto (è quo tamen nemo secludatur) de dubijs respondeant & obscura resoluant, fideiq; suæ rationem reddant omni credenti: qui mos à sanctis olim episcopis ad apostolorum imitationem diligenter custoditus est: sed miris modis aliquot retro sæculis neglectus. Illi enim non suo arbitratu, sed ex scripturæ præscripto sic omnia disponebant, ut doctrinæ dei relinquerent gloriam ueritatis, & ab hoc uelut Lydia (quod dicitur) regula, ne latum quidem digitum discederent. Hi nostri sic in Consilijs suis deliberarunt, ut Papæ, id est, uni episcopo Romano, authoritatem tribuerint Consilio, id est, scripturis & deo maiorem, penes quem esset ius rescindendi priora, si alia quæpiam illi interim in mentem uenissent: atq; inde factum est, ut celeberrimum Consiliorum decreta posteriorum authoritate abrogata fuerint,

In quo dissident
Euangelici &
Pontificij.

1. Cor. 1.

Roma. 5.

Ephes. 2.

Ioan. 3.

Matth. 15.

17. & 23.

Heb. 7. & 10.

1. Tim. 2.

Ephes. 5.

Colos. 1.

Ioan. 14.

Ita & Phari-

sei uocantur

credentes.

Vide.

Legè Annotat.

Erasmi in u-

cap. Matthæi.

Ad apostolicos

uiros pertinet

quæstio de fide.

Nostra Cons-

ilia.

Cum autem magna disceptatio fuisset, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, uos scitis quod ab antiquis diebus deus inter nos elegit, ut per os meum audirent Gentes uerbum Euangelij, crederentq;. Et qui nouit corda deus, testimoniũ præbuit illis, dans illis spiritum sanctum sicut & nobis: nihilq; discreuit inter nos & illos cum fide purificauerit corda illorum.

Incaluit disputatio propterea, quod utraq; pars ambiret uictoriam. Qualia autem utriusq; partis argumenta fuerint, non ascripsit historicus, at nos ea nihilominus non ignoramus, qui Epistolas Pauli habemus, super hac re copiosissime & doctissime disserentes, scopi præterea utrorumq; manifesti sunt. Apostoli enim contendebat unicum Christum Iesum satis esse credentibus, & ideo Gentes in consortium dei citra legalia recipiebant. Nazaræi uero asseuerabant non unum Christum sufficere, sed & legalia ad salutem esse necessaria: ergo Gentes circumcidendas, & iugo legis subiiciendas esse contendebant. Iam ergo cum in hoc certamine partium incanduisent animi, apostolus Petrus negotium dirempturus magna grauitate assurgit, pulchraq; oratione habitata, ostendit Paulum & Barnabam rectius sentire, Pharisæos autem turpiter errare. Multis autem argumentis comprobat Gentibus ad fidem conuersis satis esse Christum, neq; illas post hunc ullis indigere legalibus ad perfectionem. Atq; hic orationis Petri scopus est. Primum autem argumentum quo hoc approbat, a pronuntiatis est. Nam reuelationi & oraculo dei innititur, & per expositionem quandam aptatur. Est autem tale. Cum ego aliquando ambigerem Gentes, ne in consortium fidei recipiendæ essent, an non essent recipiendæ, clarissimo ostento comonstrauit mihi deus recipiendas esse. De hoc planius in capite 10. Iam uero cum de recipiendi modo penderem animi, ecce non expectata circuncisione, nec ulla sacrificij lustratione præcedente, ad solam Christi prædicationem illapsus est spiritus sanctus in Gentes ad quas missus eram, non ut circumciderem, sed ut Christum prædicarem. Proinde quum constet spiritum sanctum non conferri impijs & prophanis, illi autem qui cum Cornelio erant, non sint purgati ullis externis legalibusue, restat quod per fidem in Christum prædicatum sint purgati, & ideo sufficere Christum Gentibus. Hæc autem est huius partis summa, quæ sanè in multa potuerat findi argumenta, sed breuitati & simplicitati studentes, hæc præterea pauca quidem adiicimus. 1. Elegit me deus (ait) ut audirent Gentes uerbum Euangelij, & crederent. Audirent, inquam, non legalia, sed uerbum Euangelij: & crederet, non circumcideretur. Singula enim uerba pondus habent. 2. Qui nouit corda deus, id est, qui non recipit personam, sed uere iudicat, testimonium præbuit illis, quod sibi placeant, qui tamen incircumcisi erant. Quis ergo damnabit eos qui deum iustificantem habent? Per circuncisionem autem maximum Iudæorum sacramentum, subinde intelligimus omnia legalia. 3. Nihil discreuit inter nos & illos.) Nam & Paulus, An Iudæorum (inquit) deus tantum? An non & Gentium? Certe & Gentium. Quandoquidem unus deus qui iustificabit circuncisionem ex fide & præputiũ per fidem. 4. Fide purificans corda illorum.) Non ergo externis purgatur quisquam, non circuncisione, non ipso sacro baptismo, quæ purgationis signa sunt. Purgatio dei est, ea per fidem acquiritur. Ioannes Chrysostomus in hunc locum scribens, dicit, A SOLA FIDE (inquit) illa assequuti sunt, & non operibus uel circuncisione. Sed de hac re copiosius ad Romanos 4. disputatum est. 5. Nihil discreuit inter nos & illos.) Huic correspondet quod Paulus dixit: Non est distinctio. Omnes peccauerunt ac destituuntur gloria dei. Iustificantur autem gratis per illius gratiam, &c. Rom. 3.

Nunc ergo quid tentatis deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus? Sed per gratiã domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quem admodum & illi.

Ad

Ad finem inclinatur oratio. Argumentatur autem ab inutili siue impossibili ad hunc modum, Lex non data est ut iustificet, neque lege iustificati sunt patres nostri, ergo ne nos quidem illa iustificabimur. Cæterum hæc longe alia orationis figura effert, ut oratio ad finem inclinans ardeat, & aculeum in animis auditorum relinquat. Nam per interrogationem incendit, & in Nazaræos, ueluti inuehitur, sed & memoria patrum aggrauat, & iugi tentationisque dei commemoratione omnino exasperat. Tentant autem deum qui *Tentare deum.* suæ uoluntati magis acquiescunt quam reuelationi diuinæ, aut qui alia uia ad salutem ingredi uolunt, quam cõstitutæ: quasi uero deo sapientiores sint, quem proculdubio hac pertinacia ad indignationem prouocant, aut qui dubitant de ueritate, potentia & misericordia dei. Iugum seruitutis & oppressionis signum est, id quod prouerbio quoque *Iugum.* *Ἰὺγὺμὸς τῆς ἀνδραπῶνος* notatum est. Illud autem in primis obseruandum est, quod dixit, ne patres quidem uetustos unquam potuisse portare legem. Quod sanè de circumcissione ne aut Lege ceremoniali tantum intelligere non potuit, sed & de morali potius. Siquidem ceremonialia facile ferebant, at operibus suis iustificari nunquam potuerunt. De qua re copiosissime scriptum est in epistola ad Romanos & Galatas. Atque hoc quidem longe firmissimum & uenustissimum argumentum est. Quis enim posthac tam fuerit impudens, ut se credat operibus suis aut per legem iustificari posse, qui uideat sanctissimos patres non lege, sed gratia iustificatos esse. Iam sequitur totius negotij illatio, Sed per gratiam domini Iesu Christi credimus nos saluos futuros quemadmodum & illi. Unus ergo Christus sufficit omnibus, adeo ut & Iudæis ad salutem nihil conferat lex. Nam gratia, non lege saluantur & ipsi: tantum abest ut Gentibus quisquam ea possit imponere, quæ ne ipsis quidem Iudæis profuere. Cæterum non credo uspiam extare, ut breuiorem ita doctiorem, planiorem & magis piam orationem, ut uere in ipsa ostentaret Petrus ingenium apostolorum principe dignissimum.

Tacuit autem tota multitudo, & audiebant Barnabam ac Paulum, narrâtes quæ deus ædidisset signa & prodigia inter Gentes per ipsos.

Dicit oratione Petri coërcitam esse tumultuosam phariseorum aduersus Paulum ac Barnabam contentionem. Cristas enim conuulserat Petrus. Iterum ergo prodeunt Paulus ac Barnabas, & exponunt signa & prodigia quæ per ipsos egisset deus inter Gentes, nimirum ita confirmantes uocationem Gentium & dogma suum de quo erat concertatio. Siquidem iam sæpe monuimus plurimum posse miracula, si accedant ad sanam doctrinam: nihil autem plus posse quam parabolas, si dogma cui iunguntur sit dubium. *Miracula.*

Et postquam conticuissent, respondit Iacobus, dicens: Viri fratres, audite me: Symeon narrauit quemadmodum primum deus uisitaauerit, ut sumeret ex gentibus populum in nomine suo, & huic consonant uerba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, ac rursus ædificabo tabernaculum Dauid, quod collapsum est: & diruta eius instaurabo, & erigam illud, ut requirant qui reliqui sunt homines, dominum, & omnes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus, qui facit hæc omnia. Nota à sæculo sunt deo omnia hæc opera sua.

Non citra insignem fructum meminit uicissitudinis, quod scilicet alijs filietibus, alijs ad dicendum prodierint. Monet enim ordinem ac disciplinam in eiusmodi seruandam esse collationibus. Væ sanientium enim, non prudentium est, aliorum orationes interrumpere, occlamare, iurgari, & conuictijs in arenam altercationis rixarumque prouocare. Cæterum oratio Iacobi (quem Chrysostomus Hierosolymorum facit episcopum) sententiam Petri ac Pauli de absoluta fidei in Christum perfectione, confirmat: confirmat autem testimonijs prophetarum. Nihil enim dubitauerim Iacobum, utpote legis peritissimum plurimis prophetarum testimonijs rem demonstrasse, comprobasseque præ- *Oratio Iacobi.*

sententia e quibus tamen omnibus Lucas unicum tantum, quod & clarissimum & euidentissimum uidebatur delegit, atq; in historiae suae monumentum retulit. Hoc enim & ipsa historiae uerba possunt. Sic enim sonant. Et huic consonant uerba prophetarum. Et protinus unico contentus testimonio, subiungit, Sicut scriptum est, Post haec reuertar, &c. Alij dicunt uerbis inesse numeri enallagen. Locus autem prophetae extat Amos capite quinto, in quo propheta dicit Iudaeos propter mores corruptissimos, maxime uero propter insatiabilem avaritiam funditus esse excindendos, deinde uero Gentes in deperditorum locum assumendas. Intellexit enim per Tabernaculum David ipsam Ierusalem, siue (quod alijs uisum est) templum. Illud inquam quod collapsum est (inquit) restituiam, non utiq; aliud & ceu nouum quoppiam instituiam, sed diruta eius instaurabo. Allegorice enim significat quod in repudiatorum Iudaeorum locum Gentes fit substituturus, ut qui haecenus populus dei (ut Osee ait) dictus sit, posthac sit non populus eius, & quae non dilecta, iam sit dilectissima. Haec autem confirmant, quod & Gentes ad populum dei pertineant. Iam quod ad recipiendi modum attinet sequitur, Ut requirant qui reliqui sunt homines dominum, & OMNES Gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit dominus, qui facit haec omnia. Non autem meminit circumcisionis aut Legis, per quae sint recipiendae, sed fidei & timoris dei. Per haec enim fit ut requiramus deum, & ut eius nomine uocemur Christiani seu populus dei. Nam idionismo Hebraico super eos inuocatur nomen dei, qui nomine & numero populi dei numerantur ut liquet Gene. 48. Isaiæ 4. Alij simplicissime nec male intellexerunt, Quicumq; inuocauerint nomen meum: ut cum eo congruat testimonio, quod apud Iosel legimus, Futurum est autem, ut omnis qui inuocauerit nomen domini, seruetur. Iam & diuus Hieronymus hunc Amos locum explicans, submonuit utranq; gentem & Iudaicam & Gentilem sub eandem fidei concludi regulam. Siquidem per reliquos homines intellexisse reliquias gentis Iudaicae, quae apostolorum tempore, opido paucae, fide sint saluatae. Quod autem in fine prophetici testimonij appenditur, Dicit dominus qui facit haec omnia, miram habet euentiam. Paucis enim illi confutantur, qui factum domini in suspicionem trahere, & calumniari potuerant quod immundam Gentem uocasset. Dicit ergo: Dominus est qui facit haec omnia, qui omnia quaecumq; fecit bene fecit. Hic iam ad expositionem huius, ipse Iacobus de suo addidit: Nota a saeculo sunt deo omnia haec opera sua. Quasi dicat, Nihil temere hic fit, siue in repudiandis Iudaeis, siue asciscendis Gentibus, omnia ab aeterno praedeterminata & probe a deo pensitata sunt: ipse nouit cuius rei gratia quaeq; operetur, ab ipso rerum principio nihil non prudenter disposuit: ut nunc in hoc quoq; a nemine merito culpa parari possit.

Propter quod ego censeo, non obturbandum esse illis, qui ex gentibus conuertuntur ad deum: sed scribendum ad eos, ut abstineant se ab inquinamentis simulacrorum, & scortatione, & suffocato, & sanguine. Moses enim ab aetatibus antiquis in singulis ciuitatibus habet qui ipsum praedicent in synagogis, ubi per omne sabbatum legitur.

Ex scripturis iam hoc ipsum colligit quod Petrus iam iam definierat, Non obturbandum esse Gentibus iugum legis, quo ferendo nemo neq; ueterum, neq; recentiorum iustificatus sit. Est autem elegantia in uerbo *μη δουλοχλεω*, quod uetus interpres uertit, Non inquietari, Erasmus uero rectius, Non obturbandum esse, siue non addenda molestiam. Significat enim *δουλοχλεω* fatigo, turbo, & molestia afficio. Et quid oro aliud erat absolutis alijs imponere legalia, quae ad perfectionem nihil conferebant, quam praeter ius & fas optimos re nihili defatigare? Hinc autem facile coniecturamus diuum Iacobum in epistola sua, quae prima numeratur inter canonicas, non ea fuisse sententia qua multi uideri uolunt. Quomodo enim in illa operibus potuisset tribuisse iustitiam, qui hoc in loco Petro subscribit, qui omnem iustitiam absolutam tribuerat gratiae? Aduersus illos itaq; disputationem instituit, qui fidem (nostrorum quoq; more) iactabant, impie interim uiuebant. De qua re satis copiose dilectissimus frater & symmista noster

Leo

D. Iacobi epistola.

Leo Iudæ in omni eruditione & pietate vir laudatiss. nuper super hac epistola differuit. *Leo Iudæ.*
 Iam uero cum fides prudentiam & charitatem sibi habeat iunctam, Iacobus pro decla-
 ratione huius negotij, addit quædam alia, ne nimia breuitas errori apud Gentes submi-
 nistraret ansam, neq; nimia indulgentia Iudæis occasio esset scandali. Duo erant in qui-
 bus Gentes semper fuerant infames, idololatria uidelicet & scortatio. In idololatria em̄
 educati, & scortationis adeo erant asueti ut nullius reputarent, si quis etiam contamina-
 tissimus hac spurcitie foret. Cernens ergo Iacobus pro fidei prudentia, errori patrocini-
 um aut certe occasionem addi, si non singulari speciali q; quodam mandato ijs inter-
 diceretur Gentibus: licet non nesciret euangelica prædicatione ea ipsa prohiberi dam-
 nariq; censuit peculiariter monendas esse Gentes, ut ab ijs duabus rebus se prorsus ab-
 straherent. Rursus duo erant, quibus Iudæi mordicus adhærebant abstentio à sangui-
 ne, & abstentio à suffocato, non tam quod lege essent præcepta, quàm quod ante legem
 latam mox à diluuiò fuerant mandata: rationem ergo habens charitatis Iacobus, sua-
 det Gentibus pro tempore, abstinentum esse à suffocato & sanguine, quod minimum
 hoc Gentibus dispendij, multum autem compendij Iudæorum respectu allaturum ui-
 deretur. Quod autem duo illa, pro tempore, Iudæorum nomine, ne exigua re prorsus
 offenderentur, suaserit obseruanda esse Iacobus, inde liquet, quod mox sequitur: Mo-
 ses enim (obserua causalem *ἡ* enim) ex more antiquo in singulis ciuitatibus suos ha-
 bet professores, qui ipsum per singula profitentur sabbata. Quasi dicat, Propterea ue-
 lim hæc obseruari, quod Moses ista urgeat uehementissime, quæ si penitus negligeren-
 tur, ipse prorsus contemni uideretur. Erasmus uero hunc locum exponens, Nec est me-
 tuendum Iudæis (inquit) ne Moses antiquetur. Habet enim ille iam olim à priscis sæcu-
 lis, qui prædicent ipsum in synagogis, ubi singulo quoq; sabbato legitur ex more. Beda
 quoq; aliud uidetur sequutus, Chrysostomus uero, Quare (inquit) non eadem Iudæis
 quoq; scribimus? Addit, Moses illis continue loquitur. Sed quid multis? Iacobus hoc lo-
 co non tam religionis quàm conciliationis uidetur habuisse rationem, nempe quomo-
 do Gentes inter se longe diuersissimæ potuerint redigi in concordiam atq; unam eccle-
 siam. Hoc autem fieri non potuit, nisi utrisq; aliquid daretur & adimeretur. Non enim
 potuerant hætenus istis apostolorum præsentibus quantumuis doctis & pijs permou-
 eri orationibus. Dolebant subinde Iudæi se uictos esse, ereptam quoq; circumcisionis
 gloriam. Execrabantur quoq; Gentes non alio nomine magis quàm quod idololatræ
 & immundi immundis quoq; uescerentur quibuslibet. Ergo ut minus dolerent Iudæi
 ablata sibi esse legitima sua, censet Iacobus palàm pronuntiaudum esse & gentibus sua
 abrogata esse legitima, hoc est autum idolorum & scortationis usum. Rursus, Quia Iu-
 dæi cesserant Gentibus circumcisione & sacrificijs, cedere debere & Gentes Iudæis in
 suffocato & sanguine: ut utrinq; aliquid de suo concedentes, à pertinacia & ferocia auo-
 carontur: & ut utrinq; è medio sublatis ijs quæ hætenus maximorum dissidiorum causæ
 fuerant, melius in unum coalescerent ecclesiæ corpus. Atq; hæc uidetur omnium sim-
 plicissima in hoc negotio esse sententia: cui iam ueluti generalis causa suppingitur, Mo-
 ses enim ab ætatibus, &c. Quasi dicat, neq; enim omnino nihil dandum Iudæis, quod
 rerum suarum maximum habeant authorem Mosen. Interim uero non nesciebat Iaco-
 bus, spiritum Christi subinde ista magis magisq; illustraturum, ut tandem omni Gen-
 tilis & Iudaici nominis interstitio sublato, in uera fide coaliti, & in unum corpus reda-
 cti, in uera quoq; agerent libertate. Restat nunc ut de singulis istis membris peculiaria
 quædam paucis subiiciamus. Principio quod hoc loco inquinamentum simulachro-
 rum uocat, id in Epistola una uoce *ἰδωλόθυτον*, id est simulachro immolatum dicunt, & *Aduersus simu-*
 unica uoce omne id intelligunt, quod cultui simulachrorum connexum est. Ab eo *lachra.*
 go uolunt sibi caueant Christiani. Fortassis alludit apostolus ad illud Deuter. 7. Idoli
 abominatio est domini dei tui. Quasi spurcitiam detestaberis & uelut inquinamentum
 & sordes abominationis habebis, quia anathema est. Cæterum pluribus aduersus ido-
 lothya scripsit Paulus in 1. ad Corinthios cap. 8. & 10. Plura ad Rom. 1. aduersus ipsa
 idola. Quibus nos illud addere uoluimus quod P. Crinitus libro de honesta disciplina

Constitutio Cæ nono capite 9. ex libris Augustalibus, in hæc uerba transcripsit, Valens & Theodosius Augusti Imperatores præfecto prætorio ad hunc modum scripsere. Quum sit nobis cura diligens in rebus omnibus superni numinis religionem tueri, signum saluatoris Christi nemini quidem concedimus, coloribus, lapide aliaue materia fingere, insculpere aut

pingere, sed quocumque reperitur tolli iubemus, grauissima poena eos mulctando, qui contrarium decretis nostris & imperio quicquam tentauerint. In quo si quis forte auctorem desiderat, is Imperatorum decreta & edicta legat, quæ à uiris doctissimis Tribuniano, Basilide, Theophilo Dioscoroque & cæteris per satyrâ collecta sunt, imperante hoc maxime Augusto Iustiniano. Quod propter eos maxime annotamus, qui de simulachrorum cultu toties conuicti erroris, adhuc ogganniunt nescio quas antiquitates, Consilia, doctos, leges & iura: sed falso. A nostra parte enim stat ipsa ueritas uerbum domini, lex diuina, lex Cæsarea, Consilium hoc primum (omnibus alijs præiudicans Consilijs) Apostolicum Hierosolymæ celebratum, sanctorum patrum quoque, Epiphanijs & Athanasij in primis, denique multorum eruditorum hominum testimonia. Certe Augustinus de consensu Euangelistarum libro 1. capite 31. maxime stomachatur in eos, qui negant Christum alibi præcepisse aut tradidisse ut idola confringantur, quum longe aliud perhibeat propheta Isaias. Atqui plura forsitan dicentur & in 17. capite huius libri. Deinde in Scortationis uocabulo uelut in genere reliquas illicitæ Veneris species intelligit, quas Paulus passim, ut Roma. 1. Ephes. 4. & 5. sed præcipue in 1. ad Corinthios 6. capite insequitur. De suffocato autem legis Leuitici 19. Non comeditis carnem cum sanguine: quem locum ego de suffocatis intelligo. Nam quæ suffocantur, sanguinem retinent à morte congelatum. De sanguine legimus Leuitici 17. Sanguinem uniuersæ carnis non comedetis, quia anima carnis in sanguine est: & quicumque comederit eum, interibit. Iam uero cum ipse dominus testetur illud quod os nostrum ingreditur non coinquinare hominem, certum est istis omnibus suffocationem, hoc est oppressionem pauperum, rapinam, & usuram, deinde & cædes ac parricidia prohibita esse: id quod & Chrysostomus palam testatur. Ut nunc uideamus paucissimis istis potissima religionis nostræ capita esse recensita. Primo enim commendatur nobis unius dei religio, damnatur idololatria. Secundo demonstratur in Christo solo esse omnem plenitudinem, cuius gratia per fidem iustificemur, non per merita aut externas quasdam obseruationes. Tertio præcipitur uitæ puritas ac innocentia, contra luxum & homicidia. Illud quoque annotandum quod non diu est, quod Christiani suffocato uescimur & morticina carne. Nam Betanus presbyter apud Beatum Rhenanum, & item Rabanus in Pœnitentiario, sed & quotquot de hac re supra 400. annos tradiderunt, certum pœnitentiæ tempus præscribunt, si quis apostolicam hanc legem fuerit præuaricatus. Sed non obseruarunt illi hoc de sanguine & morticina carne præceptum, in hoc tantum impositum esse, ut Iudæi cum Gentibus in unum ecclesiæ corpus facilius coalescerent: quod cum tempore impetratum fuerat, non necessariū erat à cibis abstinere, quos deus ad sumendum cum gratiarum actione fidelibus creauerat, & quibus nulla infirmis ponebatur offensio. Imò Tertulliani uerba in Apologetico aduersus Gent. cap. 9. quibus infanticidium à Christianorum sacris repellit, magis ad ipsam præcepti significationem homicidium uidelicet respiciunt, quam ad cibum, quanquam & ad cibum quoque

Scortatio.

Suffocatum & sanguis.

Vide an uerum sanguinem biberint in sacris Christiani.

referantur. Sic autem habent illius uerba, Erubescat error uester Christianos, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis & morticinjs abstinemus, ne quo sanguine contaminemur uel intra uiscera sepulto. Quale ergo est, ut quos sanguinem pecoris horrere conspiciatis, humano inhiare credatis? Sed hæc hæc hactenus.

Tunc placuit apostolis & senioribus cum tota ecclesia, ut delectos ex sese uiros mitterent Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, cognomento Barsaban, & Silam, uiros primarios inter fratres, missis per manus eorum literis in hanc sententiam.

Quod

Quod uerum esse cernebant sancti, id comprobant uniuersi. Neque hic plura loquuntur Ioannes, Andreas siue ceteri (quod & Chrysostomus monuit) neque indignantur. Nam puræ à uana gloria erant illorum animæ: imò uiderunt nihil posse dici super hac re quod Petrus, Paulus, Barnabas & Iacobus non dixissent, consulto ergo subscribunt ueritati, & hoc ipso modestiam nobis contra inanem iactantiam ac uanam ostentationem commendantes. Porro ad auctoritatem & fidem dogmatis facit quod testes deligunt uiros inter apostolos primarios, & quod hi, ac ipsum dogma, toti probantur ecclesiæ. At cum ecclesiæ nomen audimus, non coniuratio paucorum intelligitur, sed eruditorum & laicorum quoque (quos uocant) congregatio. Apostolos enim & presbyteros ceu uerbi duces merito primum recenset, at protinus ijs addit **TOTAM ECCLESIAM**, siue **FRA TRES**, hoc est Christianos, quos Symbolū, quod Apostolorum uocant, sanctos dixit. Nam dum Ecclesiam, quam fatemur, quæ esset, explanare uellet, dixit sanctorum communionem, id est, quæ ecclesia aliud non est quam cœtus Christi fidelium. Hos enim Paulus sanctos uocauit, 1. Corinth. 6. Hic autem locus Lucæ non est de alia quàm particulari Hierosolymorum ecclesia accipiendus.

Concors consensus.

Ecclesia sanctorum communio.

Apostoli & presbyteri, & fratres, his qui sunt Antiochiæ, & in Syria, & in Cilicia fratribus qui sunt ex gentibus, **SALVTEM**. Quoniam audiuius, quod quidam è nobis egressi, turbauerunt uos, uerbis labefactantes animas uestras, iubentes uos circumcidi, & seruare legem, quibus non mandaueramus. Visum est nobis unanimiter congregatis, delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis nostris Barnaba & Paulo, hominibus qui exposuerunt animas suas pro nomine domini nostri Iesu Christi. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria: uidelicet, ut abstineatis ab his quæ sunt immolata simulacris, & sanguine, & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis uosipsum, benefacietis. **VALETE**.

Scribuntur etiam tabulæ, ne quid deesset quod ad fidem faciendam & ueritatē confirmandam pertineret. Præuidit nimirum spiritus sanctus tergiuersatores quosdam qui quiduis apostolico & spiritus sancti atque ecclesiæ sanctæ titulo tectum, ultro essent propalaturi. Ne ergo ab istis quisquam deciperetur, scribuntur tabulæ quibus & erroneos Pauli hostes mendacii conuincerentur, ueritati daretur testimonium, & concordia inter Iudæos ac Gentes conciliaretur. Hic enim est huius epistolæ scopus. Primo enim post solitam subscriptionem ac epistolarem inscriptionem, perstringuntur pseudoapostoli. Subscriptio docet à quibus profecta sit epistola, ab apostolis, presbyteris ac fratribus. Apostoli autem primo loco nominantur honoris & auctoritatis gratia. Nam & ipsi erant presbyteri, 1. Petri 5. Presbyteri enim episcopi siue ueritatis doctores sunt. Fratres autem Christi fideles Hierosolymitani è plebe sunt. Hi omnes literas suas ijs scribunt, apud quos morbus erat natus. Morbum autem describentes dicunt, Sunt quidam è nobis egressi ceu à nobis missi, iubentes uos circumcidi & seruare legem. De qua re factis disputatum est paulò superius. Iam & doctores huius dogmatis perstringunt ac dicunt, Talibus nihil mandaueramus. Mentiti ergo fuerant quod ab apostolis auctoribus hoc dogma didicissent. Mentiuntur & hodie qui iustificationem multo uilioribus quàm legalia fuerant, ascribunt. Augent præterea malum, imò deprimunt istorum institutum dicentes, ἐτέραξα ὑμᾶς λόγοις, id est conturbarunt (verwirt) uos uerbis, id est offensus & imposturis, ἀνοσκειάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν labefactantes animas uestras, id est, quibus adeo non extricarunt (quod euangelicæ prædicationis est) animos uestros aut confirmarunt & exerunt, ut magis deiecerint, intricarint atque excruciarint. Fidei

Epistola confirmata Hierosolymitani.

enim serenat conscientiam, Lex territat. Huc uidetur alluisse Paulus in principio epistolæ ad Galatas, dicens, Miror quod à Christo qui uos uocauit per gratiam tam cito transferamini in aliud euangelium, quod non est aliud nisi quod quidam sunt qui turbant uos, & uolunt inuertere Euangeliū Christi. Deinde ut pseudoapostolos perfringerant, ita nunc ueros apostolos Paulum & Barnabam (quorum gloriæ erronee derogabant) maxime commendant, imò & à constantia & fidelitate laudant, sicut illos ab inconstantia & mali studio uituperarant. Iunguntur his alij duo Iudas & Silas, ne Paulus & Barnabas soli uiderentur uictoriæ suæ præcones esse. Est autem hic insignis locus, quo commendatur Pauli apostoli apostolatus, cui & illud quoque maximum robur addit, quod Petrus, Ioannes & Iacobus, qui uidebantur columnæ, dextras societatis dedere Paulo, ceu fœdere sese coniungentes, & unitatem fidei testantes. Tandem uero paucis uerbis subiungunt quod uolunt, quod nihil illis imponant oneris, nisi illud forsan cuiuspiam uideatur onus, quod tamen multis nominibus sit necessariū, non modo propter religionem, sed & propter charitatem & concordiam, ut caueant sibi ab idolis & scortatione, & abstineant à suffocato & sanguine. Diuus Ioannes Chrysostomus, Et quare (ait) addit, Visum est spiritui sancto & nobis, cum suffecisset dicere, Spiritui sancto? Ne putarent humanum aliquid esse. Ad quem modum & Beda scribit, Placuit & nobis, non nostra solum uoluntate, sed eiusdem spiritus instinctu.

Illi ergo dimissi uenerunt Antiochiam, & congregata multitudine reddiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas cum essent & ipsi prophetæ, sermone copioso adhortati sunt fratres, confirmaueruntque. Commorati autem illic aliquantulum temporis, dimissi sunt cum pace à fratribus ad apostolos. Visum est autem Silæ manere ibidem.

Iam uero ne quid penitus deesset, exponit quomodo hæc uictoria ueritatis inter Gentes exposita multum gaudij ac securitatis pepererit omnibus. Prophetas autem uocauit Iudam & Silam, quod docendi officio essent præfecti. Dicuntur enim prophetæ non modo illi qui futura prædicunt, sed & illi qui docent & sacrarum periti sunt, 1. Cor. 14. Et dimissi dicuntur, quibus facultas erat redeundi ad suos. Nam paulò post dicit Silam non abiisse. Hactenus uero dogma fidei Christianæ primarium omnigenis cori firmatum est testimonijs. Hoc autem est illud dogma, quod Christus Iesus dei & Mariæ filius, solus omnia sit credentibus, & quod fide in eum iustificentur credentes, per gratiam ipsius, non per legem, merita, sacrificia, sacramenta, & externas obseruationes. Audiat hoc mundus & intelligat, CHRISTVS FIDELIBUS OMNIA SOLVS EST. Si quis aliud prædicauerit, anathema sit, etiam si multis Consilij, doctorum calculis, & diuturno usu à plerisque obseruatum atque comprobatum sit. Hoc caput Acto. 17. quo tota syncerioris theologiæ summa comprehensa est, omnibus alijs præiudicat doctrinis. Neque aliud inueniri potest quod firmitus sit, Si enim Consilij generalis te mouet auctoritas, si uetustas delectat, si spiritus sancti credis inspirationi, si quid apud te ualeat apostolorum dignitas & sacrosanctæ ecclesiæ fides, si scripturas postulas, reuelationes petis, miracula exigis, sanctitatem, eruditionem, multitudinem, & sanctorum testimonia probas, si quid apud te tabulæ, instrumenta siue literæ ualent, nihil horum est quod hic desiderare possis. Congregatur ecclesia, adest spiritus sanctus, scripturas habet Iacobus, reuelationem Petrus, miracula & prodigia Paulus, definiunt sancti, eruditi & probi uiri, conscribuntur literæ, adduntur testes: breuiter, nihil omittitur, quod fidem ueritati addere uidebatur. Valeant ergo omnia omnium hominum consilia, scripta, ritus, consuetudines, & quicquid est quod cum hisce nostris, hoc est apostolicis testimonijs non consentit aut compugnat. Veritas est immortalis.

Summa & auctoritas ueræ religionis.

COM

COMMENTARIORVM IN ACTA APO-
STOLORVM LIBER III.

PROOEMIUM.



Am uero sequentis libri texendum est argumētum. In hoc complexi sumus peregrinationem quam uocant tertiam, hoc est, eam qua ab Antiochia digrediens comite Sila, non modo nobiles Asiae & Graeciae urbes peragravit, sed & eas omnes reuisit urbes, quas priore peregrinatione ad fidem conuerterat Christi. His enim perlustratis in Galatiam & Phrygiam se contulit, istis Euangelium praedicauit. Hic uero Ephesum proficisci deliberans, prohibetur ne in hac praediceret, ergo ad Bythinos iter instituit, sed ab his quoque reuelatione auocatus in Graeciam secundis soluit uentis, et Neapolim quidem primo appulit, hinc Philippos iuit, sed uirgis caesus propter eiecūm ē puella quadam Pythonis spiritum, Amphipolim deinde Apolloniam, inde uero Thessalonicam uenit. Orto autem tumultu demissus est Berrhoeam, ab hac Athenas, atque hic cum diuersae factionis disputans philosophis, demonstrauit, quantus ipse cum in diuinis tum prophanis uir fuerit. Ab Attica Corinthū uenit, quā Cicero lumen totius Graeciae dixit, ibi rara diligentia Christum praedicat annū unum & menses sex, tandem inuidia Iudaeorum inde pulsus Hierosolymam abnauigat, ubi diem pentecostes peragit. Deinde iterum reuersus Antiochiam ex hac abit in Galatiam & Phrygiam, tandem uero peragratis omnibus superioris Asiae partibus deferatur Ephesum, atque ibi magna quaedam parrat, & in maxima coniectus pericula ex insana liberatur seditione, quā & graphice descripsit Lucas. Nūc ad ipsam redimus historiā.



Aulus uerò & Barnabas demorabantur Antiochiaē, docentes, & annuntiantes cum alijs etiam compluribus sermonem domini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes iam uisitemus fratres nostros per omnes ciuitates, in quibus annuntiauius sermonem domini, quomodo se habeant.

Nullibi cessarunt sancti Apostoli, semper laborarunt in propaganda dei ueritate. Et quanquam alij quoque complures essent qui & ipsi sacros codices explanarent, & sacris contionibus inuigilarent, ipsi tamen non otiaabantur. Laudatur & Pauli diligentia & omnibus proponitur Episcopis imitanda. Haec enim sollicitudo decet Apostolicos ut ouium suarum salutem sic quaerant, ut non grauentur eos inuisere, salubri doctrina reficere, consolari, errores & scelera, si quae interim orta fuerint, tollere ē medio. Scilicet hoc faciunt Episcopi nostri.

Barnabas autē consulebat, ut assumerent & Ioannem, cognomento Marcum. Paulus autem nolebat, ut is qui defecisset ab ipsis ex Pamphylia, nec isset cum eis in opus, adiungeretur. Tam acris autem fuit inter eos disceptatio, ut alter ab altero seiungeretur, et Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret in Cyprum. Paulus uerò allecō Sila profectus est, traditus gratiae dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmans ecclesias.

Maxima & propē diuina, non humana facta audiuius à Paulo ac Barnaba esse parrata: iam ne quis uiros tantos nesciret esse homines, aut plus illis tribueret, quam ipsa religio postulat, finit eos hoc loco dominus aliquid humani & infirmitatis pati. Infirmitatis enim humanae erat, quod super re exigua, adeo contendebant, ut nimiam illam

Act. 15.

animi impotentiam uel gestu corporis, pallore scilicet & tremore proderent. Horrent enim ad paroxysmos corpora febricitantium. Et medico uerbo usus est hoc loco Lucas. Id autem sapientissime à deo dispositum erat, quod non propter doctrinam contende-
 debant, sed propter homuntionem Marcum. Si enim doctrina apud principes apostolos uenisset in dubium, certe imbecillibus hoc maximam ambigendi de doctrina euangelica suppeditasset ansam. Contendunt ergo propter Ioannem Marcum, quem Paulus à ministerio euangelico ut inertem & timidum repellebat, Barnabas uero assumendum, ut non pœnitendæ spei iuuenem suadebat. Neuter hic sua sententia cedere uoluit: uterq; quod faciebat, pia cura fideq; faciebat. Dum autem quiuis in suo sensu abundat, distrahitur, nec sine maxima Euangelij & ecclesiarum fruge. Nam dum Paulus allecto Sila in Syriam, Barnabas uero cum Marco suo in Cyprum abiret, latius propagabatur Euangelium. Et D. Ioannes Crysoctomus in ea sententia fuit, ut crederet istam separationem diserte factam esse, & quod inter se dixerint, Quoniam ego nō uolo, nec tu uis, ne pugnemus: distribuamus prouincias. Atq; ita quidem noluisse Barnabam infringere quod Paulus ratum omnino uolebat: & rursus noluisse Paulum hostilius cum Barnaba cōfligere: itaq; utrunq; non gladiatorio, sed sui propositi tenaciori animo discessisse. Addit mox, nostrum non esse uter melius consuluerit pronuntiare. At Beda magis inclinans ad Pauli partes, Quoniam (inquit) in ipsa aciei fronte constitutus Ioannes Marcus, nimis trepide steterat, merito eum Paulus abiicit, ne illius quasi contagione uires corrumpere aliorum. At Barnabas interim neminem credidit esse abiiciendum, de quo modo spes esset melioris frugis. Etenim lapsis deberi ueniam tota clamat scriptura. Et sanè Paulus asperior erat, Barnabas multo mitior. Iam & in prophetis uidere est uarios mores uariasq; sententias. Erat enim Helias austerus, Moses uero mitis. Sed quid multis opus? Dominus ostendere uoluit istos fuisse homines. Deinde quàm graui culpa ab illis peccetur, qui dum ad Euangelij munus asciscuntur, & prouinciam subeunt prædicandi uerbi dei, repente hominum inuis aut insidijs ita terrentur, ut uel loco cedant, uel ueritatem, pro hominum arbitrio, tractent. Postremo discimus ex hoc dissidio non protinus ueritatis doctrinā abiiciendam esse, quantūuis inter se doctores nonnunq; dissentiant. At sciendū interim, quod in gratiam mutuā inter se iterum redierunt. Vides enim quod Barnabas postea multū à Paulo in Epistolis celebratur.

2. Cor. 9.

CAP. XVI.

Peruenit autem Derben & Lystram, & ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cuiusdam Iudææ fidelis, cæterum patre Græco. Huic testimonium bonum reddebant qui Lystris erant & Iconij fratres. Hunc uoluit Paulus secum proficisci, & assumptum circumcidit eum propter Iudæos qui erant in illis locis. Sciebāt enim omnes quod pater eius erat Græcus.

Timotheus.

Eleganter Paraphrastes, Paulus (inquit) nihil aliud siciens, quàm per omnem occasionem indies latius proferri regnum euangelicum, undiq; uenabatur huic idoneos negotio, non aliter quàm ambitiosi reges in hoc intenti, ut ditionis suæ terminos proferant, nihil magis habent curæ, quàm ut duces ac præfectos rebus gerendis aptos asciscant. Delectum ergo habet in deligendo. Nam ad hanc rem non quemlibet, sed eum recipiebat qui ab omnibus bonum habebat testimonium. Talem enim oportet esse episcopum, ne quis iure scelera & nephanda possit impingere flagitia, 1. Timoth. 3. Plurima autem extant & Pauli de hoc adolescente testimonia, maxime in 2. ad Philip. capite, & in utraq; ad hunc eundem Timotheum epistola. Quod autem hunc circumcidit, & quam ob causam circumciderit, difficilis semper fuit apud eruditos disputatio: sed paucis hanc rem sic accipe, Paulus in Galatis cap. 5. Ecce ego (inquit) Paulus dico uobis, quod si circumcidamini, Christus nihil uobis proderit. Et mox, Quicumq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Loquitur autem de ijs qui circūcisioni & legalibus iustitiam tribuebant, & hæcenus circumcidebantur ut iustificarentur. Itaq; circumcidit hoc loco Timotheum, cæterum hoc pacto, ut in eam nec Paulus confisus sit, nec plane Timotheus,

Paulus Timotheum circumcidit.

Timotheus, proinde causam subdens Lucas, propter Iudæos eius loci circūcisum esse dicit. Hi enim patrem Timothei Græcum fuisse norant, cuius filium si incircūcisum in opus Euangelij Paulus deduxisset, offendi potuisset Iudæorum infirmitas, quod legalibus spretis palam fauere Paganismo uideretur, & proculdubio Euangelium prædicantem non audissent. Itaq; Iudæis nuper fidei doctrina erudiri cœptis tantisper in re per se innocua complacitū est, quod ad scientia sanæ doctrinæ firmiores redderentur. Vnde & planissimis uerbis, Propter Iudæos (inquit) qui erant in illis locis. Alio enim in loco, nempe in Syria, Antiochiæ, & Hierosolymis Titum suum circūcidi passus non est. Quod doctrina ueritatis longe lateq; iam insonuisset, & quod illi urgerent circūcisionem ad salutem esse necessariam. Itaq; in Tito exemplum perniciosissimi erroris admittere noluit. In Timotheo autem quoniam spes erat fore, ut sanam doctrinam reciperent Iudæi, circūcisionem nihil moratus est. Quo nimirum illud Chrysostomi spectauit, Circūcidit, ut circūcisionem tolleret. Beda ad eundem penē modum exponit. Et D. Hieronymi atq; Augustini super hac re contentio notior est, quàm multis sit reficāda. Cæterum qui hoc exemplo quemuis errorem stabiliunt, aut animi uel pauorem, uel inconstantiam, uel hypocrisim obnubunt, in hoc errant, quod non expendunt quæ sit temporum & exemplorum uirtus & charitatis ratio. Plurima fecerūt sancti impune, quæ si tu quoq; facere pergas maxime peccaueris.

Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis seruanda decreta, quæ erāt ordinata ab apostolis & presbyteris qui erāt Hierosolymis. Itaq; ecclesiæ confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie.

Iterum commendat nobis quod ecclesiæ in fide & confirmatæ fuerint & creuerint: ut uideamus gratiam dei ijs non deesse qui in ueritate uerbi eius ipsum uere requirunt. Quod autem Pontificij ex hoc loco apud imperitam plebem multa de Decretis apostolicis garrunt, quasi apostoli multa extra scripturarum decreuerint regulam, inscitiam suam produnt, & quod hunc locum nondum recte intellexerunt, quod uidelicet historicus de eo loquitur Decreto, quod apostoli in superiori capite sanciuere. Nam Tradebant eis seruanda decreta, dixit, pro eo quod est, Instituebant Gentes secundum rationem eius Decreti quod Hierosolymis communibus ecclesiæ suffragijs conditum erat: nempe quod sola Christi gratia citra legis præsidium cōferatur salus, & quod abstinentium sit Gentibus ab idolis, scortatione, suffocato & sanguine. Hoc possunt & Græcæ, quæ sic habent, *ἡ δὲ ἐκκλησία αὐτοῖς φυλάσσει τὰ δόγματα, τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν ἀποστόλων*, id est, Tradebant ipsis seruanda dogmata, ipsa inquam iudicata siue decreta apostolorum. Explicans enim quæ illa dogmata, hoc est, placita apostolorum fuerint, nimirum quæ Hierosolymis iudicarent atq; decreuerant.

Decreta apostolorum.

Cum peragrassent autem Phrygiam & Galaticam regionem, ueti-
tiq; essent à spiritu sancto loqui sermonē in Asia, profecti in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam: & non permisit eos spiritus. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem, & uisio per noctem Paulo uisa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Ut autem uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod uocasset nos dominus ad euangelizandum eis.

Lucas festinans ad res in Græcia gestas partius ea delibat quæ in Phrygia & Galatia gessit. Sed quod hisce deest, sarcit epistola Galatis inscripta. In ea em̄ uniuersam omnis doctrinæ suæ rationem cōplexus est Paulus, ut Lucas partius hac causa Galaticas res delibasse uideri possit. Constat enim epistolam ad Galatas longo ante tempore æditam esse, quàm hæc à Luca componerentur. Quin & eadem subinde ingerenda fuissent, si singulas Pauli quas apud quasuis Gentes habuit contiones ascribere uoluisset. Contentus ergo unam atq; alteram recitasse, per reliqua succinctius agit, iam quod in Asia

Galatæ.

(Asia autē nomine eam intelligimus quæ circa Ephesum maxime Aeolis & Ionia est. Nam aliàs & Phrygia & Galatia in minore erant Asia) uetiti sunt loqui sermonem dei, non alia causa factum est, quod in Græciam uocandi erant. Alij aliud opinantur. Verum sententiam nostram cōfirmat quod sequitur, Vt uisum uidit Paulus, quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti quod uocasset nos dominus ad euangelizandum eis: ubi Chrysostronus monet *συνεβάρησαντες* significare coniecturantes (quod interpretis noster uertit, Certi facti) quasi ex multis argumentis & maxime eo, quod ab Asia, id est Epheso erant abstracti, & quod in terminis (Troas enim maritima Asiae ciuitas est, spectans Græciam) constituti, præterea & uisione edocti, collegerint quod uocarentur in Macedoniam, causamque inde intellexerint cur hæcenus ab his fuerint abstracti regionibus ne prædicarent. Locus tamen hinc communis ducitur, quod à deo mittuntur ueritatis prædicatores: & quod maxima reuerentia & gratitudine amplectenda est ueritas. Nam prædicatores ueri carere, non minima est infelicitas. Quod uisionem attingit, non est quod multis hic disputemus, cum de hac non nihil annotauerimus in capite 10. Breuiter, Spiritus domini qui apostolos ab Asia prohibuit, is uisione exhibita, in Macedoniam proficiscendum esse docuit. Siue iam spiritus uocabulo occultam uim dei agentem in pectoribus suorum, siue angelum domini intelligas, perinde est. Nam in 8. capite Lucas eundem spiritum, uocat & angelum. Cæterum in hoc reuelationis genere prudentia maxime requiritur, qua probemus spiritus num ex deo sint. Certum est enim id genus spectris non minus illudere mortalibus dæmones, quam alijs miraculis, ut iuxta utroque falli contingat. Annotandum fortassis & illud quod sancti dei non propria uirtute nobis succurrunt, sed prædicatione ueritatis. Veritate ergo sanamur.

Vocatio à deo est.

Reuelatio.

Cum soluissimus igitur à Troade, recto cursu uenimus Samothen, & postero die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniae ciuitas, colonia.

Dirigit enim dominus uiam tuam, si ieris qua ille uocarit. Et navigationis felicitas magno erat argumento, Visionem coelitus esse immissam, & felicissime cessuram. Quæ enim domini auspicijs incipimus, felicius quoque finimus.

Eramus autem in eadem urbe diebus aliquot commorantes, & die sabbatorum egressi sumus à ciuitate iuxta flumen ubi solebat esse præcatio, & sedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant.

Hic iam describit quædam Philippis gesta, nec omnia, sed peculiaria tantum, nempe quomodo Lydiam cōuerterit, spiritum Pythonis expulerit, & uirgis cæsus maleque tractatus Amphipolim concesserit. Non ascribit quid prædicarit. Hoc enim iam satis liquet ex superioribus & epistolis suis: occasionem uero prædicandi prudenter quæsitam inuuit cum temporis & loci meminit, nempe quod sabbatorum die à ciuitate egressi in locum, qui erat extra portas, uicinus fluuii, ubi solebat esse præcatio, id est, ubi diuis suus persoluebatur honor. Apostolicæ enim sedulitatis est, omnem occasionem arripere prædicandi uerbi dei. Non autem uerisimile est Philippis aliam quam Gentilitiam cultam esse religionem. Habuerunt ergo & Gentes suas ferias & dies festiuos, quos hic sabbatorum nomine appellat. Deinde uero ex 14. cap. liquet, quod templa extra urbem habuerunt. Rursum creditum est ab illis, & nemoribus & fluminibus quiddam inesse dei. Ad flumina igitur purgabantur, iuxta illa offerebant preces suas: in nemora se conferebant religionis gratia, in his sacrificabant. Istius clarissima indicia sunt apud Maronem Aeneid. 8. Hæc itaque innuit Lucas fluuij mentionem faciens.

Ad flumen fiebant preces.

Et quædam mulier nomine Lydia, purpurarum uenditrix ciuitatis Thyatirorum, colens deum, audiuit, cuius dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata esset & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicatis me fidelem domino esse,

esse, introite in domum meam & manete: & adegit nos.

Peculiare exemplū est de muliere ad gratiam euangelicā uocata, ut & illud est quod de Samaritide recensuit Ioannes in 4. ne quis putaret scēminas à salute euangelica excludas. Porro nomen illi à regione unde oriunda erat, datum uidetur. Et Thyatira in Lydia sunt infra confluentem Pactoli & Hermi clarissimorum amnium sita: à quibus Thyatireni populi Plinio dicuntur libro 5. capite 30. Notatur & negotiatio eius, quod fuerit *πρῶτοπωλις*, id est, purpurarum uenditrix, à nomine *πρῶτα* purpura & *πῶλον* uendere. Negotiatio ergo per se quidem non est mala. Onium & inertia malum est: ceterum imposturam immiscere negotiationi id demum malum est. Non peccāt qui mercantur, sed qui mercatura fratres circumueniunt. De purpura pluribus Lazarus Bayfius in 3. cap. Comment. de re uestuaria, scripsit, quo loco & illud ex Budæo affirmat, Purpurarum uolum nobis esse ignotum. Et dubium est cruorem siue colorem ne illa, an lanam tinctam, an uestem uendiderit. Quòd autem religiosa fuisse dicitur, perinde intelligendum est, ut de Cornelio disputatum est. Aderat enim ueræ religionis sensus, sed modus ignorabatur: protinus ergo atq; Paulus prædicationem Euangelij auspicatur, intelligit illa hanc illā ipsam esse religionis rationem quā hactenus desiderauit. Deus ergo qui sui sensum & scintillā ueræ pietatis in pectus abdiderat mulieris, illud ipsum pectus iam aperit, afflatus sancti spiritus immitit, & maximum ueræ fidei incendium in hoc excitat, adeo ut & se & domum suam baptismatis simbolo astringeret deo. Id enim & ueteri religione obseruatum est, ut paternæ religioni cōsecraretur tota domus. Legimus & Abrahamum & uersam domum eius deo & ueræ pietati per circumcisionem esse subditos. Domus autem nomine ipsam intelligimus familiam, in primis uero liberos & nepotes. Ita enim in uitis omnibus Catabaptistis ipse Paulus domus significationem exponit in 1. ad Timoth. cap. 5. Constat ergo pueros etiam ab apostolis fuisse baptizatos. Sed de hac re alibi. Postremo collaudat mulierculæ Lydiæ gratitudinem & hospitalitatē, qua illa operibus charitatis & fidei fructibus se fidelem esse testari uolebat, atq; rependere quod multo maioribus ditata esset beneficijs. De hoc in 1. ad Cor. 9. Quod aut adegit eos, non ita intelligendū est, quod inciuilius aut importunius quicquā cceperit, sed notatur Pauli modestia, qui magnopere curabat, ne cui ob conuictum & domesticas expēsas molestus esset, maxime quod nunq̄ non bonorū uirorum sodalitiū (in quo & Lucam historicum nostrum fuisse credimus) stipatus, non poterat modicis nutriri expensis. Illa igitur quod opulenta esset, adigit ipsos (nōtet sy) hoc est, constantius urget, ut oblato fruatur hospitio.

Accidit autem euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens spiritū Pythonis, occurreret nobis, quæ quæstum magnū præstabat dominis suis diuinando. Hæc subsequuta Paulum ac nos, clamabat, dicens: Isti homines serui dei excellissimi sunt, qui annunciant nobis uiam salutis. Hoc autem faciebat multos dies. Sed ægreferens Paulus, & conuersus, spiritui dixit: Præcipio tibi per nomen Iesu Christi, ut exeas ab ea. Et exiit eadem hora.

Quemadmodum in 13. fraudes dæmonis detexit Paulus, ita hoc quoq; loco hominibus imponentē expellit. Nam ueri doctoris est, non modo ueritati ferre testimoniū, sed & imposturam & impietatem omnem prodere atq; proculcare. Posteaquam ergo aliquandiu pietatem doctrina ueritatis esset professus, nunc etiam dæmonis artes detegit atq; expugnat. Nam spiritus Pythonis aliud nō erat q̄ uirtus, hoc est impostura dæmonis. Damnatur hic spiritus in scripturis sanctis Leuit. 20. Deut. 18. 1. Reg. 28. & Isa. 8. Intelligimus autem uaticinū siue uericinū, aut diuinantem spiritum: quales erant qui à ueteribus consulti, responsis & oraculis imponebant, interim etiam uera canentes. Nomen autem sortitus est ab Apolline Pythio, quod in eius delubris frequentia proderentur oracula, adeo ut nunc Apollinis spiritus, aut κατ' ἀντονομασίαν Pythius,

Lydia uocatur ad fidem.

Otium & negotium.

Domus.

Dæmon expellitur.

De spiritu Pythonis.

Alia est dea Pi-
tho apud Poli-
tanium Miscel.
cap. 91.

siue Pythonicus spiritus ponatur pro oraculo, aut spiritu diuinante. Cæterū ipse Apol-
lo Pythius dictus est à serpente, quem, ut Græci fabulantur, sagittis confecit. Alij sic co-
gnominatum uolunt *ἀπὸ τοῦ πύθωνος* à consultatione occultorum: quibus tamen recla-
mat Macrobius in „Satur. lib. cap. 17. L. Coelius Lect. antiq. lib. 9. cap. 19. magis superio-
rem uidetur comprobare sententiam, dicit enim, Pytheū dicebatur oraculi locus. Nam
Spartæ Pythios inuenio nuncupatos, qui Delphos ad consultanda oracula mitteban-
tur. Suidas *πύθωνα* exponit per *ἐπασημύδης*. Quales autem illæ mulieres sint, exem-
plo quodam tradit Coelius in 5. cap. 10. Plura quoq; de hoc disputauit Vadianus noster
in Epitome sua, ubi describit Pamphyliam. Cæterum hoc diuinandi genus & hic uati-
cinandi spiritus non modo proscriptus est à scriptoribus sacris & canonicis decretis,
sed à prophanis quoq; authoribus. Siquidem Plutarchus in commentatione, quæ est,
Cur oracula defecerint, Fatuum (inquit) ac omnino puerile censendum est, arbitrari
deum ipsum, perinde ac Engastrimythos olim Eurycleas, nunc uero Pythonas nuncu-
patos, insinuantem se prophetarum corporibus, ore illorum eloqui. Et Phauorinus
apud Gellium in 14. cap. 1. deterrere uolens & depellere adulescētes ab ijs qui prodigio-
sis artibus futura omnia dicturos pollicētur, nullo pacto aduēdos esse consulendosq;
huiuscemodi argumentis concludebat. Aut aduersa euentura prædicunt, aut prospe-
ra. Si dicunt prospera, & fallunt, miser fies frustra expectādo. Si aduersa dicunt, & men-
tiuntur, miser fies frustra timendo. Si uera respondent, eaq; sunt non prospera, iam in-
de ex animo miser fies, antequam à fato fias. Si felicia promittunt, eaq; euentura sunt,
tum planè duo erūt incommoda, & expectatio te spei suspensum fatigabit, & futurum
gaudij fructum spes tibi iam deflorauerit. Nullo igitur pacto utendum est istiusmodi
hominibus res futuras præfagiētibus. Plurima quoq; alia huius generis apud eundem
legas. Quod autem malus ille & omnis salutis nostræ hostis acerrimus bonum testimo-
nium apostolis dat, apostoli uero nequaquam recipiunt, monet ne fucis & phaleratis
dæmonum credamus uerbis. Transformant illi se in angelos lucis, sed hoc ipso super-
stitioni suæ robur, atq; latebras quærunt. Dissimulant aliquousq; prudenter, ut dein-
ceps oblata occasione magis ferociant. Nihil ergo efficiunt qui supersticiosos exorci-
smos, & id genus præstigias, characteribus, & augustis ac plus quàm diuinis nomini-
bus benedictionibusq; compositas, hoc argumento tuentur, quod nihil nisi optima
quæq; uerba recitentur. Quasi uero ignoremus maxima detrimenta semper ex optima
rum rerum abusu pullulasse. Id uero in primis obseruandum est, quod Paulus laudes
commendationemq; illius mali non modo non fert, sed maximo affectus tædio indi-
gnanter repellit. Hoc enim institui, ne aures adulatoribus, aut malis hominibus,
quantumuis suauia canant, accomodemus, imò istorum assentationes maxima indi-
gnatione repellamus.

Elegans Phauo-
rin sententia
contra ueridi-
cos.

Marci 14.

Videntes autem domini eius, quòd abisset spes quæstus sui, appre-
hensum Paulum ac Silam, traxerunt in forum ad principes, & offeren-
tes eos magistratibus, dixerunt: Hi homines conturbant ciuitatem
nostram, quum sint Iudæi, & annunciant instituta, quæ non licet no-
bis suscipere, neq; seruare quum simus Romani.

His adde.

1. Timot. 6.

Conuicia in ue-
ritatem.

Qui prius dissimularat ingenium suum nunc in ijs exerit, quorum opera apostolos
insequitur. Hos auaritia incitat. Auaritia enim lætalis aculeus est, quo qui punguntur
uelut infernali æstro perciti, non iam insaniunt, sed furiunt etiā aduersus istos qui quæ-
stui suo uidentur aduersari. Id quod uel hodie in omni hominum genere cernas fieri.
Sacrifici, nobiles, mercatores, milites, adulteri & monopolæ, hoc tantū nomine Euan-
gelium odiunt, & ministros uerbi execrantur, quod suis timent compendijs. Verum
aliud prætexunt auaritiæ suæ, religionem uidelicet, æquitatem, pacem publicam. Adij-
ciunt præterea doctrinam istam & seditiosam esse, & à nouis quibusdam excogitant
hominibus. Ita & in præsentiarum ministri satanæ aliud auaritiæ suæ prætexunt & cla-
mant: Hi homines conturbant ciuitatem nostram, Contemptim autē efferunt, Hi ho-
mines,

mines, quasi quis nostrū dicat, *Die har verlossnen buben vnd kätzer.* Subijciunt enim Iudæos esse. Horum enim nomen iam tum odiosum esse Romæ cœperat, & fortassis Claudij edicto, de quo in 18. audiemus, urbe expulsi erant. Iam quod barbarum auctores dixissent, hoc comprobant, quod doceant *id est*, id est mores cōsuetudines siue instituta, quæ cum Romanis pugnent Legibus. Hic uerius dixissent, quæ cum auaris hostris pugnant moribus. Sed Leges Romanas malunt, quod has uiolare, piaculare esset. Tradunt autem historię uetus Legum Romanorum fuisse decretum, ne quis deus ab Imperatore consecraretur, nisi à Senatu probaretur. Cuius rei Tertullianus in Apologet. aduersus Gentes cap. 5. meminit. Aelius quoque Lampridius in uita Alexandri Seueri, tradit Seuerum Christo templum facere uoluisse, quod & Adrianus cogitasse fertur, sed prohibitum ab ijs, qui sacra consulentes repererant, omnes Christianos futuros, si id optato euenisset & reliqua templa deserenda. Sed & Tiberium imperatorem Tertullianus refert ueritatem diuinitatis Christi ex Syria Palæstinaque annunciatam, reuelasse, atque ad Senatum cum prærogatiua suffragij sui detulisse, Senatum autem quia non probauerat respuisse. Quod igitur urbi moris fuit ex lege, hoc sibi Colonia hoc in loco uendicat, quod à populo Romano deducta esset. Nam ea de causa se Romanos esse iactant. Sed o impia miseraque mortalium consilia, quæ diuinitatem uel à dæmonum responsis, uel ab hominum arbitratu æstimant, quibus sanè deus & religio non placet, nisi prius hominum testimonijs probatus sit. Similia his sunt & illorum consilia, qui hodie indubitatis, hoc est, canonicis scripturis anteponunt quorundam episcoporum placita, & Consiliorū decreta: aut qui ipsam etiam euangelicę historię fidem & sacrosanciam Christi & apostolorum dogmata uilipenderēt, nisi hominum accessisset comprobatio. Sed hæc est carnis nostrę temeritas atque stultitia.

Rom. lex de dijs peregrinis.

Scriptura (an iunt) nulla essent, nisi consilia confirmassent.

Et cucurrit turba aduersus eos, ac magistratus, scissis uestibus suis, iusserunt eos uirgis cædi. Cumque multas plagas eis imposuissent, coniecerunt eos in carcerem, præcipientes custodi carceris, ut diligenter custodiret eos: qui cum tale præceptum accepisset, coniecit eos in interioriorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno.

Sæuit ignobile uulgus, mendacijs impostorum persuasum: & magistratus ipse, cuius erat sæuientes committigare prudentia & ueri iustique moderamine regere, uel superstitio cæcatus, uel pauore attonitus tumultuantis populi, innoxios cædit. Cum reuera accusatores cædendi fuerant, apostoli uero ob collatum beneficium coronandi. Sed beneficia à mundo pro maleficijs puniuntur, maleficia autem coluntur pro beneficijs. Est enim mundi iudicium plane præposterum. Id quod & Christus prædixerat Matthæi 23. & Ioan. 15. & 16. Quod autem tanta exaggeratione uincula extulit, propter liberationis gloriam tyrannidisque imbecillitatem deformandam, fecit. Sequitur enim mirabilis & inexpectata liberatio.

Cæduntur apostoli.

Media autem nocte Paulus & Silas orantes, laudabant deum. Exaudiebant autem eos qui uincti erant. Subito uero terræmotus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & omnium uincula soluta sunt.

Orant apostoli in medijs tentationum fluctibus, Audit autem orantes dominus, qui se suis nunquam defuturum fore sancte promiserat. Igitur tyrannorum infringens potentiam mirabiliter suos liberat, non iam per angelum secreto illos educens, sed ueluti iratus, fundamenta carceris cōcutiens. Ita enim declarabat se terræpotentē, & omnium rerum esse dominum. Ita & carceris custodem ad fidem sanam, uelut materia ampliora cogitandi proposita, uocabat. Siquidem terræmotus hic & apostolorum salus & salutis carcerarij quædam erat occasio. Beda ex hoc loco collegit maximam esse iustæ orationis uirtutem. De quo dictum est in capite 4. Chrysostronus uero noctes nostras ad illam conferens apostolicam, mire inuehitur in inertiam ac somnolentiam nostram.

Auxilium dei presentissimū.

Inertia nostra.

In his enim (inquit) nihil nisi conuiuia, ebrietates & libidines. In his & uigilia somno molestiores. Vigilant enim alij, sed auri cura excitati, inuidia & uindictæ cupiditate expergefati. Non ergo non orant, sed uigilantes pessima quæq; meditantur.

Experrectus autem custos carceris, quum uideret ianuas apertas carceris, euaginato gladio erat seipsum interfectorus, existimans aufugisse uinctos. Clamauit autem Paulus uoce magna, dicens: Ne quid feceris tibi ipsi mali, uniuersi enim hic sumus.

*Cōsolatio Euan-
gelij.*

Parabat sibi necem carcerarius. Maluit enim ipse sibi necem semel cōsciscere, quàm post multa tormenta per carnificem occidi. At Euangelij præco Paulus à crudeli instituto reuocat miserum. Euangelium enim uitam & gaudium nunciat, miseria & desperatione liberat. Qui ergo Euangelium nesciunt, ad desperationem proniores & miseria multo magis obnoxij sunt, quanta uis interim prudentia carnis polleant.

Postulatoq; lumine, irrupit, ac tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes, & productis illis foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et loquuti sunt ei sermonē dominī, & omnibus qui erant in domo eius.

*Via salutis certis-
sima.*

Hinc colligimus omnia opera domini plena esse sapientiæ beneficentiæq;. Vnico enim terræ motu & apostolos liberauit, & sensum aliquem religionis pectori indidit carcerarij, ut de uera iustificatione quæstionem moueret. Sentiens enim diuinam uirtutem adesse illis, qui doctrinam salutis pollicebantur, de salute sciscitatur & ait, Domini quid me oportet facere, ut saluus fiam? Hic nihil aliud respondent apostoli, quàm, Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Vera ergo religio & ratio consequendæ salutem certissima, non subsistit in creaturarum cultu, ceremoniarum obseruatione & traditionibus humanis, sed in uera in Christum fide. Hoc ipsum testatus est ipse dominus apud Ioannem in 14. capite, & Ioannes in 1. canonic. cap. 5. Petrus quoq; Acto. 2. capite. Item propheta Dauid in Psalmo 14. & Paulus ad Hebræ. 11. & ad Romanos 3. capite. Seducunt ergo mundum qui per alia quàm per fidem in Christum salutem pollicentur hominibus. Iam quod præterea loquuti referuntur uerbum domini, innuit quod copiosiori sermone negotium Christi exposuerint Gentilibus, sed non alio modo aliæ ratione quàm supra in 10. 13. & 14. cap. est expositum.

Et assumptis illis in illa hora noctis, abluuit plagas, & baptizatus est ipse & omnes domestici illius continuo. Quumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & exultauit, quòd cum uniuersa domo sua credidisset deo.

*Bona opera ex
fide.*

Ex fide iustitia est, non ex operibus, quæ ultro tamen illa profert, ubi uera sinceraq; esse coeperit, & quamuis proferat, non tamen ostentat, sed oculatior est in illa quæ desunt, quàm quæ adsunt, ideoq; fidelis Christo suis uelut neglectis, & pro nihilo æstima- tis, sese confidenter in sinum ingerit misericordiæ & beneficentiæ dei. Sed de operibus ut sponte proueniant hic exemplum habes, Vbi enim carceris custos credidit, bap- tismum non contempsit, plagas & uibices uapulantium, id est percussorum seruatorū dei absterfit, in domum suam illos perduxit, mensam apposuit, atq; hæc omnia exultans peregit. Iterum autem meminit scriptura domus, hoc est familiæ. De quo dictum in superioribus. Porro quod nostra lectio habet, Et exultauit quòd cum uniuersa domo sua credidisset deo, Græce sic habet, καὶ ἠγαλλιάτο πανοικί, πεπιστευκώς τῷ θεῷ. Quod uetus interpres magis proprie uidetur exposuisse, nempe, Et exultauit cum omni domo sua, credens deo. Eam interpretationem imitatus est & Germanus interpres. Est qui putat commodius esse, ut πανοικί referatur ad participium proxime sequens πεπιστευκώς. Cæ- terum magis probatur mihi uetus interpretatio, quæ πανοικί retulit ad uerbum præce- dens.

dens. Est autem *παροικι* congregandi aduerbium, quod non possumus unico uerbo exprimere. Nam *πανοικι ἀναίρεσις* dicuntur qui funditus pereunt nullo prorsus ex omnibus relicto. Dicitur ergo hic carcerarius lætatus esse *πανοικι*, id est cum omni domo sua nemine prorsus excepto. Causa subditur. Credens deo, id est quod deo credidisset, & iam cum omni domo sua recenseretur numero populi dei.

Et cum dies ortus esset, miserunt magistratus uiatores, dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem custos carceris sermones hos Paulo: miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur exeuntes, ite in pace. Paulus autē dixit eis: Cæsos nos publice, indicta causa, quum simus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt. Non profecto, sed ueniant ipsi, ac nos educant. Nunciauerunt autem magistratibus uiatores uerba hæc: timueruntq; audito quod Romani essent, & uenientes deprecati sunt eos: & eductos rogabant, ut egrederentur e ciuitate. Egressi autem e carcere, introierunt ad Lydiam, & uisis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.

Nulla hic malitia peccant apostoli, necq; patientiæ uirtutis summæ laudem impatentia deperdunt, sed suæ authoritati uolebant consultum. Metuentes enim ne flagra & uincula recenter conuersos offenderent, neue sermo dei despectui foret, ueluti falsa essent & digna flagris quæ Paulus docuisset, munus temporarium, nempe ciuitatis Romanæ, per occasionem conuertunt ad gloriam & defensionem uerbi dei. Neque id fanè temere, coram his præsertim qui contra leges, furientis populi clamoribus obsecuti, Romanum ciuem secus tractarant quàm æquitas permitteret. Quin & malitia, siue uersutia huic inerat lenitati Senatoriæ. Suæ enim consulentes authoritati, & Apostolicam grauantes innocentiam, postulant ut quasi sibi male conscij Apostoli & e carcere elapsi, sese protinus subducant clanculo. Proinde magna grauitate subdit, Non ita fiet: sed ueniant ipsi, & iure iubeant abire e carcere quos iniuria in carcerem coniecerunt. Nam Erasmus in Annota. Paulò ante (ait) occulte nos eijciunt, erat *ἐκβάλλεσθαι*, hic diuersum est uerbum *ἐξαγαγεῖσθαι*, id est educant. Nam illud cōueniebat clam extrudendis, hoc conuenit palàm educendis non sine satisfactione. Vnde nos conijcere possumus errare illos turpissime, qui ita loquuntur de Patientia Christiana, quasi illa quiduis perferat citraq; prudentiam omnia dissimulet suscipiat & permittat. Sed de hac copiosius forsan disputabimus in cap. 23. Nunc quod Paulus se Romanum uocat, qui e Tarso Cilitiæ oriundus erat, intelligimus Tarsenses ciuitati donatos fuisse. Hoc siquidem beneficentiæ genere in exteros utebantur Romani, si qui ob fortia facta aut alia beneficia digni ciuitati iudicati essent. Iam uero Pub. Valerius Publicola uir optimus, legem Romæ tulit, ut nulli magistratui liceret corpus Romani ciuis, indicta causa condemnare, liceretq; damnatis ad populum prouocare. Meminit huius Legis lib. 2. ab urbe cond. T. Liuius, & in libello suo de Legibus Pomponius Letus. Multo igitur minus in urbe colonia, quæ legibus institutisq; Romanis uiueret, Romanum ciuem indicta causa uirgis cædi licebat. Nam M. Cicero Actionum in C. Verrem lib. 7. orat. 10. Retineri enim putatis (ait) oportere iura libertatis non modo hic, ubi Tribuni plebis sunt, ubi cæteri Magistratus, ubi plenum forum iudiciorum, ubi Senatus authoritas, ubi existimatio populi Romani, & frequentia, sed ubicunq; terrarum & gentium uiolatum ius ciuium Roma. fit, statuitis id pertinere ad communem causam libertatis & dignitatis. Et paulò post exaggerans crudelia Verris iudicia, Ceruices in carcere (inquit) frangebantur indignissime ciuium Rom. ut etiam illa uox & illa imploratio, Ciuis Romanus sum, quæ sæpe multis, in ultimis terris, opem inter Barbaros & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorē & supplicium maturius ferret. Hinc audimus Magistratum quoq; Philippen, ad hanc uocem, Romani sumus, maxime expauisse, deprecatosq; fuisse, ut ignoscerent apostoli quod per populi tumultum præter ius et phas factum esset.

Patientia iuncta prudentia.

Paulus ciuis Romanus.

Priuilegium ciuium Roma.

imò honoris gratia deducentes eos è carcere rogabant, ut ob tumultum populi uitandum, secederent ex urbe Philippensi. His autem precibus, quia iam satisfactum esset auctoritati apostolicæ, & fidei iacta fundamenta, obtemperant apostoli, salutataq; Lydia & reliquis fratribus in fide confirmatis, Amphipolim contendunt. Porro *παλὸν ἄχθες*, quos interpres noster uiatores uertit, lictores uocauit, qui ita à uirgis gestandis sunt cognominati. Solent enim magistratus ministri, per quos quid uelint denunciant, uirgas gestare. De quibus plura Lo. Cœlius lect. antiq. lib. 4. cap. 29.

CAP. XVII. Cum autem iter fecissent per Amphipolim & Apolloniam, uenerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga Iudæorum. Secundum consuetudinem autem suam Paulus introiuit ad eos, & per sabbata tria differebat eis è scripturis, adaperiens & allegans, quòd Christum oportuisset pati, & resurgere à mortuis: & quòd hic esset Christus Iesus, quem ego, inquit, annuncio uobis.

Disputationes
Pauli quales.

Minores ciuitates transeunt, ad maiores festinant, unde quasi ex fontibus quibusdã in uicinas deriuaretur sermo. Thessalonica autem metropolis erat Macedonia, ubi & propter hominum frequentiam erat synagoga Iudæorum. In hanc pro more suo (quo Iudæis primo prædicabat Christum) ingressus, negotium pietatis diligenter tractauit. Fons autem disputationis Paulinæ erat scriptura. Materia dicendi Christus. Scripturas ergo illustrabat collato lumine Christo. Ex iisdem comprobabat quæ de Christo prædicabat. Loci autem disputationis hi erant. Quòd Iesus quem ipse iam prædicaret, uerus esset Messias, Quòd Christum prædixerint prophætæ passurum & resuscitandum. Hic ergo demonstrabat quemodo Iesus Christus passus esset, & quemodo à mortuis resurrexisset. Proinde eundem Christum, & eodem modo prædicauit Thessalonicen. Paulus, quo modo prædicatum audiuius Antiochenis in capite 13. Vere enim dixit Chrysostomus, Summam dixit sermonum, alienus ab omni superfluitate, non ubiq; conciones totas dicendo.

Et quidam ex eis crediderunt, & adiuncti sunt Paulo & Silæ, & religiosorum Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ non pauca. Zelo autem cõmoti Iudæi increduli, & assumptis quibusdam circumforaneis uiris malis, ac turba coacta, concitauerunt ciuitatem & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum.

Non abiectos
tantum herere
Christo.

Id quod supra sæpe audiuius, iterum hoc loco ingeritur, Euangelium alijs suauem odorem uitæ ad uitam esse, alijs fetorem mortis ad mortem. Et in Catalogo fidelium recensentur uiri religiosi atq; mulieres primariæ, ne quis subinde obijceret, Euangelio nullos nisi nouos quosdam ignotos & nullius dignitatis uel ordinis homines, adhære, quod in Euangelio Ioannis in calumniam rapiunt Pharisæi. Cæterum in Catalogo persequentium primas tenent hypocritæ, proximas circumforanei homines. Iudæi autem erant illi hypocritæ. Nam zelo non bono, sed superstitioso mouebantur ad tumultum. Siquidem ad Roma. cap. 10. duplicis zeli meminit Apostolus. Paria de tumultibus à Iudæis excitatis audiuius in cap. 13. & 14. Porro ne quis illud ignoret, Circumforaneos Latini appellant, homines in foro oberrantes, & tempus inaniter conterentes, imò emptitios nebulones, uiles ac circulatores, *Mißgänglichig schlüנגginen vnd scyl öd büben*. Nam Græce est *ἀγοράων*. Oportebat autem & hic uetus compleri prouerbium, Semper similem deus ducit ad similem. Et sanè non habet Euangelium maiores hostes, quam illos quibus uel impietas uel hypocrisis cordi est, uel quibus anima obolo uenalis est, quicq; inertia & inhonesto otio ad inopiam redacti, nunc quidem optimorum hominum inhiant facultatibus. Tales enim ad seditiones excitandas, & ueritatem opprimendã sunt apostriissimi. Tales hic quoq; in Iasonis uiri optimi ædes irruere uides, sed non assequi quod uolebant.

Et cum

Et cum non inuenissent eos, trahebāt Iasonem, & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamantes: Hi qui terrarū orbem conturbarunt, huc quoq; uenerunt, quos clanculum excepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem turbam, & magistratus ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone, & à cæteris, dimiserunt eos.

Cum (inquit) non inuenissent apostolos, ne nihil egisse uiderentur, hospitem apostolorum & alios uiros bonos contra fas & ius comprehendunt & ad principes ciuitatis protrahunt, ueterem canentes cantilenam, Apostolos communem rerum statum conturbare, nouum dogma docere. Cum reuera illi ipsi seditionū essent authores, non apostoli, sed & peregrini dogmatis assertores. Et calumnia erat quod de nouo rege inducebant. Abutebatur enim regis & regni nomine. Nam Euangelium non tollit magistratum. Sed ne ipse quidem Christus rex terrenus est, sed cœlestis. De quo apud Iohannem in 18. Duo autem in primis ex hoc loco discenda sunt. Primum, qui sint seditionum authores. Secundum, quòd hostes ueritatis ipsam ueritatem ab initio humanis impugnarūt decretis. Cæterum tantum potuerunt apud senatū & plebem calumnijs, ut prorsus commouerentur omnes. At ubi Iason cæteriq; fratres satis idoneam attulissent excusationem, dimissi sunt à magistratibus. Quanquam per Satisfactionem sufficientem cautionem & uelut uadimonium magis significare uidetur quàm apologiam. Vades enim Latinis dicti sunt, qui pro alio alijsue spondebant, ut si in ius uocarentur sese sisterent. Atq; in hanc sententiam exposuit & Budæus in Comment. Linguae Græcæ dicens: Actuum aposto. cap. 17. *ικανόν λαμβάνειν* dicitur fidei iussores in eam sponsonem exigere & accipere, Latinorum utiq; more dictum, qui satis accipere dicunt. *Καὶ λαβόντες τὸ ἰκανόν πῆλ' ἀπὸ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυον αὐτούς.* Et cū satis accepissent ab Iasone & ab alijs iudicio sistendi sponsonis, ipsos abire iusserunt, &c. Liberauit ergo illos ex omnibus periculis dominus, sed non citra periculum & animi dolorem.

Fratres uero confestim per noctem emiserunt Paulum simul & Siliam in Berrhœam. Qui cum aduenissent, abierunt in synagogam Iudæorū. Hi autem erant summo genere nati inter eos qui erant Thessalonicæ, qui receperant sermonem cum omni animi promptitudine, quod die scrutantes scripturas, an hæc ita se haberent. Et multi quidem crediderunt ex eis, & Græcæ mulieres honestæ, & uiri non pauci.

Non metu ullo fugit iterum Paulus aut uitæ amore, sed propter ministerij fructum uberiorem, ad quem his modis seruauit apostolos deus, qui omnia pro sua uoluntate optime disponit. At cum peruenissent Berrhœam, pro more ingreditur synagogam, ut in ea sic prædicet Christum ut apud Thessalonicenses prædicarat. Atq; hic laudat historicus Berrhœensium diligentiam & animi ad fidem suscipiendā promptitudinem. Hos enim ingenuiores (ait) fuisse Thessalonicensibus. Probabant enim Berrhœenses quòd à Paulo prædicabatur: at Thessalonicenses non modo non probare, sed ne audire quidem dignabantur. Neq; ignoro hunc locum secus intellectum esse hætenus. Pleriq; enim existimarunt nobiliores Thessalonicenses, qui uerbum dei prompto susceperant animo, à discessu Pauli, doctrinam traditam adhibuisse scripturis, atq; sic probasse quatenus uel conueniret uel discreparet. Cæterum uidetur esse collatio quædam. Sic enim sonant Græca, *οἱ τοὶ δὲ ἱεροὶ ἐν γένει ἔροισιν ἐν θεσσαλονικίᾳ*, id est, Hi uero (nempe Berrhœenses) erant generosiores ijs qui erant in Thessalonica. Deinde caussam subiungit, Siquidem illi qui receperūt sermonem cum omni promptitudine animi, quotidie scrutabantur scripturas, num hæc ita se haberent, ut ille dixerat habere. Atq; hunc sensum amplexus est & Paraphrastes, dicens: Hi uero generosiores erant Thessalonicensibus, Nam sermonem euangelicum receperunt summa cum animi promptitudine,

Obscura interpretatio.

Fuga Pauli.

Probanda doctrina quæuis.

quotidie uacantes scrutandis diuinis uoluminibus, ut cognoscerent quemadmodum ea quæ didicerant ex apostolorum narratione, conuenirent cum oraculis prophetarum ac figuris legis. Diuus Ioannes Chrysoſtomus monet non simpliciter dictum esse Berhœenses legisse, sed omni diligentia scrutasse scripturas. Hoc enim significare *ἐκασπίνοντες*. Locus autem elegantissimus est, quo nos discimus, nihil temere suscipiendum, sed omnia, iuxta Pauli uerbum, probanda esse, optima uero tenenda deligendaque. Probanda autem scripturis, non spiritu superbiam, contentionis, contumaciae aut despectionis. Id si hodie fieret, minus turbarum esset. Verum malum non modo incognita damnare, sed nostri commodi gratia, apertissimas scripturas proscribere. Id quod potentissimus & iustissimus omnisque mali uindex deus propediem summa cum grauitate requiret.

Cum autem cognouissent Theſſalonicenses Iudæi, quod & Berhœæ annunciatus esset à Paulo sermo dei, uenerunt, & illic quoque commouebant turbas. Statimque tunc Paulum emisertunt fratres, ut iret uelut ad mare. Silas autem & Timotheus remanserunt ibi. Porro qui proſequebantur Paulum, deduxerunt eum Athenas usque: accepto mandato ad Silam ac Timotheum, ut quam celerrime uenirent ad se, profecti sunt.

Iudeorum impietas.

Iterum indicat qui sint seditionum authores, non præcones uerbi, sed hostes uerbi dei. Hi ad opprimendam ueritatem non minus seduli atque acres, quam uehementes ad eam erigendam apostolici sunt. Veniunt ergo à Theſſalonica, & Berhœam iam pacatam & in bona pace agentem conturbant homines nephandissimi. De quibus in 1. ad Theſſalon. capite 2. ita scripsit Apostolus, Hi sunt qui ut dominum occiderunt Iesum & proprios prophetas, ita & nos persequuntur, & deo non placent, & omnibus hominibus aduersantur, ut expleant peccata sua semper, perueniatque in illos ira in finem. Cæterum Paulus iterum fide fratrum adiutus fuga sibi consulit, nobis (ut diximus) in exemplum. Quin ut omnia tutiora essent, à fratribus deducitur, atque ab his per eam quidem uiam ducitur, quæ ad maritima tendere uidebatur, ut si ab nauigaturum putarent Iudæi, minus persequerentur, cum tamen illi flexo itinere Athenas proficiscerentur. Hic uero præstolans collegas ac symmistas suos Silam ac Timotheon qui Berhœæ, utpote minus Iudæorum degauati inuidia, permanserant, ut fratres confirmarent, præcipit his qui se conduxerant, ut istos qui celerrime ad se uenire iuberent. Videbat enim Athenis plurima opus esse diligentia atque indefessa opera.

Fuga.

Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incandescibat spiritus eius in ipso, cum uideret simulacrorum cultui deditam ciuitatem. Disputabat igitur in synagoga cum Iudæis & religiosis, & in foro quotidie cum his qui ipsum forte adissent.

De Atheniensibus.

De Atheniensibus redditum quandoque oraculum legimus, tanto cæteris eos fore excellentiores, quantum aues alias præcellat in nubibus Aquila. Multa ergo eorum laus est apud authores cum Græcos tum Latinos, in primis uero apud M. Tullium Cicero nem in oratio, pro L. Valerio Flacco. Sunt quædam & apud Coelium in 25. cap. lib. 10. Certe sapientia fama & literarum claritate perillustres fuere, à quibus in cæteras Gentes quasi corriuata traditur humanitas. Proinde Athenas spiritu dei delatus Paulus ibidem admiranda quædam patrat. Nam summis commissus philosophis, nulli eorum cedit, & tam erudite inter eruditissimos de deo, de religione & cultu dei, de Christo & mortuorum resurrectione, item de futuro iudicio disserit, ut non falso de hoc Apostolo dixerit D. Hierony. Quotiescunque hunc lego, uideor mihi non uerba audire, sed tonitrua. Videntur quidem uerba eius esse simplicia, & quasi innocenti hominis ac rusticani, & qui

Pauli eruditio.

& qui nec facere nec declinare nouerit insidias: sed quocunq; respexeris fulmina sunt. Hæret in causa, capit omne quod tetigerit, tergum uertit ut superet, fugam simulat ut occidat. Destinato ergo dei consilio Athenas uenit tantus ueritatis doctor, ut cœlestis sapientia non iam in obscuro aliquo Cilitiæ loco aut inter Barbaras gentes, sed in ipsa quoq; studiorum matre, inter mundi sapientissimos Athenienses annuntiaretur atq; uinceret. Quemadmodū uero nullum aliud flagitium deus perinde execratur atq; idololatriam, ita nō inuenias sanctissimos dei homines ob aliud scelus incanduisse feruentius, quā ob idololatriæ crimen. Testis est Moses qui ob hanc tabulas digito dei scriptas collisit. Testis est et Helias qui propter illam multas trucidauit sacrificorum centurias, Testis est Iosias quoq; & ex nostris Epiphanius Salamæ Cypri Episcopus, cuius uerba in .i. cap. ad Rom. annotauimus, imō de Paulo nostro scriptum hic legimus, Πᾶσι πνεῦμα τοῦ κυρίου ἐπ' αὐτῶν, id est, animus eius in ipso incanduit siue irritabatur, siue ut Germanicè reddamus, *syn hertz embran vnd ergrimmet vnd erzitteret in in.* Vnde & Chrysostomus, Exacerbabat (ait) pro eo quod dicimus Excitabatur. Procul enim est ab ira et indignatione donum spiritus. Non ergo furebat, sed mordebatur: quod uidelicet uideret urbem in omni eruditione & religione laudatissimā, κατὰ δὲ ὄρα, id est, simulachris supra modum esse obnoxiam. Cæterū Idolorum nomine omne id complectitur quod ad idolorum cultū pertinet. Equidem mirandum est nobilissimam & omnis (ut aiunt) humanitatis parentem ciuitatem simulachra tantū coluisse, cum legamus Barbaras & incultas deniq; & cultiores gentes semper ista exhorruisse. Nam Crinitus lib. de hon. disc. 12. cap. 3. de Germanis ex uetustis scribens authoribus, Deorum (inquit) imagines minime ad humanam formā faciunt, quod illa cœlestis maiestas supra humanitatem sit. Apud Seres quoq; populos (teste Eusebio) etiam lege cautum erat, ne simulachra uenerarentur. In Romanorum quoq; templis, apud Clementem et Plutarchum, ex decreto Numæ annis CL X. ab urbe condita, nullam imaginem neq; fictam neq; pictam esse legimus. Augustinus quoq; idem testatur, authore Varrone, cuius (inquit) uerba clarissime testantur nullum fuisse in urbe simulachrum deorum per annos CL X. factumq; deinceps ut ex imaginum & statuarum multitudine religionis cultus negligere atq; contemptui haberetur. Persæ etiam (testibus Herodoto & Strabone) statuas non extruebant, Aegyptiorū duntaxat stultitia inuenta idola, exinde in omnes penè Gentes deriuata sunt. Cæterū illud erat mirandū quod Atheniensis populus, aliās sapientissimus, rem usq; adeo stultam non modice quidem, sed ad superstitionem usq; erat amplexus. Hinc enim paulò post illos dicit superstitiosiores. Hinc in præsentiarum simulachrorū cultui dicuntur esse dediti. Et Pausanias in Atticæ descriptione testatur Athenienses in deorum cultu reliquos Græcos anteisse. Nam Protagoras Sophista (quod Cicero lib. de Natura deorū 1. retulit) quū in libri sui principio posuisset, De dijs neq; ut sint, neq; ut non sint, habeo dicere, Atheniensium iussu urbe atq; agro est exterminatus. Paulus itaq; ab istis sordibus nobilem urbem repurgare cupiens, priusquam ipsas aggredere tur Gentes, prius honoris & promissionis gratia Iudæos affatur, ijs prædicat Christū: nimirum eo modo quo Theffalonicensibus. Deinde uero & cum Gentium philosophis manus conferit. Sequitur enim:

Quidam autem Epicurei & Stoici philosophi conflictabātur cū eo,

Lyranus hoc loco, nescio quā bene, locos & uelut capita controuersæ Pauli ac Philosophorum indicat, quorū tamen Lucas non meminit, nisi quod innuit Paulum Christum prædicasse, & in hoc uitam & carnis resurrectionē: item coram idololatriis, non plures sed unum esse deum, quē nulla imago reddere possit, docuisse. Tametsi palam est & Stoicorum placita, & Epicureorū deliramenta multis modis Christianæ doctrinæ aduersari. Stoici enim uitiosum esse dicebant condolere amicis aduersa patientibus: & egenis commiserescere desipientis esse dicebant. Quandoquidem misericordiam, utcumq; notam ipsis, inter egritudines animi et species doloris ac perturbationū referebāt: uelut in Zenonis uita Laertius tradit lib. septimo, Atqui nemo Christianus

*Aduersus simi-
lachrorum cul-
tum.*

Germani.

Seres.

Romani.

Persæ.

*Superstitio A-
theniensium.*

*Stoicorum hæ-
resis.*

fuerit qui idem non fit & misericors. Præterea in uirtute summum bonum statuebant, Quæ sententia quanquam in speciem commendabilis est, tamen non aliud intendit, quàm suæ felicitatis quemuis mortalem artificem esse posse, & suis uiribus saluari, modo uelit. Id quod Pelagius Brito noxius hæreticus contendit. Postremo in deorum peruestigatione & natura mire uariarunt, plures etiam deos admittentes, quòd palàm testatur libro de natura deorum 1. M. Cicero. Longe autem rudius & peruersius Epicurei, qui ut 3. Tusculana Cicero scripsit, eum beatum esse dicebant, qui præsentibus uoluptatibus frueretur. Proinde Seneca lib. de Beneficijs 4. uoluptuariâ Epicureorum turbam delicatam & umbraticam uocat, apud quos uirtus uoluptatis ministra esset. Mortem nihil ad se pertinere aiebant: non quòd inde meliora sperarent, sed quòd omnia finire & dissolui morte affirmarent. Deos esse permittebant, cæterum negabant illos curare mortalia, & administrationem demebant. Nam quòd beatum est (dixit Epicurus) neq; ipsum negotia habet, neq; alij præbet. Itaq; neq; ira quidem neq; gratia tangitur: quippe huiusmodi omnia infirmitatis indicia sunt. Hunc sequutus impugnator ille pietatis Lucretius libro de Natura primo sic refert,

Lucretij impia
aduersus prouidentiam sententia.

Omnis enim per se diuum natura necesse est
Immortali æuo summa cum pace fruatur
Semota à rebus nostris seiunctaq; longe
Nam priuata dolore animi priuata periclis
Ipsa suis pollens opibus nil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur nec tangitur ira.

Philosophi hæreticorum patriarchæ.

Proinde cum uniuersa philosophorum temeritas nihil habeat cum Christiana pietate admodum commune, ut uere hæreticorum patriarchas ipsos esse philosophos Tertulianus dixerit, tamen plus negotij Paulo cum Epicureis & Stoicis fuisse conijci potest, quàm cum Academicis & Peripateticis. Certum enim est Platonem etiam Augustino arridere, quem ex Mose & Hebræis profecisse Eusebius quoq; tradit lib. Euangel. præparat. 11. Cæterum absolutam aduersus philosophos disputationem instituit Lactantius in ijs potissimum libris quos de Falsa sapientia & de Iustitia scripsit.

& quidam dicebant: Quid uult spermologus hic dicere? Alij uero, nouorum, inquebant, dæmoniorum uidetur annunciator esse, quòd Iesum & resurrectionem annunciaret eis.

Coniuitia in ministris uerbi.

Quum autem Paulus illis exposuisset philosophiam euangelicam, ab omnibus philosophorum placitis longe lateq; dissidentem, quidam ludibrii causa dixerunt, Quid dicit spermologus iste? Est enim Euangelium (teste Paulo 1. Cor. 1.) Iudæis quidē offensio, at Gentibus stultitia. Budæus autem edisserens quis dicatur spermologus, Σπέρμολογος (ait) significat nugor & uerba loquaciter fundo & deblatero. Et σπέρμολογος nugator, loquax, uaniloquus, blaterator, & ut Plautus loqui solet, qui libens uerba fundit. Ad quem modum & Erasmus ex Hesychij autoritate spermologum eum esse dicit, qui nugatur & nouos rumores spargit in uulgus, & qui ad quæstum quiduis garrit. Germanice redderemus, Ein mâr y trager, lügen sâyer, ein freyheyt vnd sprâcher. Breviter, uocabulum est contumeliosum, utcunq; reddamus, & planè dignum supercilio philosophico. Hodie mores & conuitia philosophica probe referunt Theologi quidam Scholastici, qui purioris synceriorisq; theologiæ professores, ac euangelici negotij prædicatores, hæreticos & nescio quibus alijs atrocioribus nominibus appellat. Alij uero dicebant, ξένων δαιμονίων, hoc est, peregrinorum dæmonum uidetur annunciator esse. Monuit autē Erasmus, Athenienses ex Platonis doctrina dæmones appellasse deorum filios, quibus tribuebant quidem corpora, sed immortalia. Quò & illud spectare uidetur quòd sequitur, Quòd Iesum & Resurrectionem annunciaret eis. Plura uero de dæmonijs eaq; lectu iucundissima & eruditissima scripsit Coelius libro lecti. antiq. 1. capite 23. 24. & ab ijs ad 33. usq;.

Dæmones.

Et apprehensum eum ad Martiū uicum duxerunt, dicentes: Possu
mus

mus ne scire quæ sit ista noua quæ à te refertur doctrina? Noua enim quædam ingeris auribus nostris. Volumus ergo scire, quid nam uelint hæc esse.

Ioannes Ludouicus Viues in D. Augustini lib. de Ciuitate dei 18. scribens, & quid fit Martius uicus edisserens, ex Stephani de Urbibus sententia, dicit, *ἀρεῶν πάγος* promontorium fuisse Athenis, in quo iudicia & quæstiones rerum potissimum criminalium factæ & necis exercerentur. Athenis enim duo fuerunt cōsilia, ut scribit Libanius sophista. Vnum perpetuum, quod de cædibus iudicabat, & huiusmodi rebus eo loco qui Areopagus dicebatur. Alterum quotannis mutabile, quod rempublicam constituebat, & Quingentenarium uocabatur. De priore loquutus Suidas, *ἐκλήθη δὲ (ait) ἄρεῶν πάγος, ὅτι ἐν τῷ πάγῳ ὄρεσι, καὶ ἐν τῷ δίκαστήριον. Ἄρεῶν δὲ ἐπὶ τὰ φανακὰ δικάζον, ὃ δὲ ἄρεῶν ἐπὶ τῷ φόδῳ.* Id est, Vocatus est Areopagus quod in saxo & loco æditiore est forū. Arius uero quod de cædibus iudicatur, quibus præest Mars. Et Pausanias Areopagum dictum scribit, quia primum Mars ibi iudicium subiit cum occidisset Alirrhotion, qui fuit Nepruni filius, quod uim intulisset Alcippæ Martis ipsius ex Agraulo Cecropis filia. Deinde iudicatum ibi Orestem matricidam ait, & iudicio liberatum, templum ibi extruxisse Mineruæ Areæ, quasi Martiæ. Errarunt ergo qui Martis pagū exposuerunt, ceu pagus aliquis fuerit extra urbem, quales rusticani, qui pagi uocantur, quasi eodem utentes fonte, qui non *πάγος*, sed *πηγή* dicitur. Diuus Hieronymus Areopagum in epistola illa ad Magnum oratorem Romanum, Martis curiā, nimirum ex 9. Iuuenalis Satyra uocauit, L. Apuleius lib. de Afino aureo 10. Martium iudicium pro se uero usurpauit; & Val. Maximus lib. 2. sanctissimum consilium appellauit; quin & Plinius Areopagi meminit in 7. lib. Sed omnium copiosissime de Areopago & moribus Areopagitarum in Pandectas annotauit Budæus. Paulus ergo ut iudicandus de noxiō dogmate Areopagum abducitur, atq; hic illi impropertur doctrina noua inauspicata siue absurda, & ueluti contra urbis edicta in medium proposita. Recte enim monuit Erasmus *ἐξένορον* ut peregrinum sonet, ita declaret & nouum & inauditum, nonnunquā absurdum. Hodie nihil aliud obijcere possunt, quàm dogma Euāgelij esse nouum; sed non minus falluntur quàm Athenienses philosophi falsi sunt.

Martius pagus
quid.

πάγος modo
do eminentē lo
cum, modo sa
xum significat.

Athenienses autem omnes, & qui illic uersabantur hospites, ad nihil aliud uacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid noui.

Inconstantiam notauit Atheniensem, & uanitatem, quo uitio etiam Alexandrini fuere infames. Imò frequentissimum est, ut urbes quæ eloquentiæ studio sunt deditæ, atq; huius gratia à peregrinis nouisq; inhabitantur hominibus, huic uitio maxime sint obnoxia. Apud has autem non magni penditur ueritas. Quanquā enim non raro oblectet nouitas, fit tamen ut offendat etiam & ægre admittatur. Ea de causa scite mihi à Plinio dictum uidetur, Rem arduam esse nouis auctoritatem dare.

Atheniensium le
uitas.

Nouitas.

Stans autem Paulus in medio Martij uici, ait: Viri Athenienses, per omnia ferè superstitiones uos uideo. Præteriens enim & contemplanus culturas uestras, inueni & aram, in qua inscriptum erat, Ignoto deo. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuncio uobis.

Oratio Pauli breuis est, sed erudita, Nam ipsa breuitate copiosissima est; unde & ueteres illam omnes rhetoricissimam dixere. Apud philosophos enim in teatro doctissimi morum hominum differebat. Nihil autem uniuersa traditur philosophia quod in hac non perstringatur. Beda summā eius non infeliciter colligēs, Apostolus (inquit) ostendit deum amplexandum esse, non solum propter munera lucis & uitæ, uerum etiā propter cognitionem quandam generis. Deinde opinionem illam, quæ est de idolis aperta ratione deuincit, quod totius mundi conditor & dominus templis non possit includi faxeis; quod omnis beneficij largitor sanguine nõ egeat uictimarū; quod hominum

Summa oratio
nis Pauli.

deniq; creator & gubernator omnium non possit hominis manu creari: quod postremo deus, ad cuius homo factus est imaginem, non debeat metallis æstimari: similiter erroris remedium docens esse studium pœnitendi. Breuiter, oratio est generis demonstratiui. Vnitatem enim, potentiam, prouidentiam ac uirtutem dei, ostendit uanum esse externum cultum, uanam quoq; simulachrorum religionem. Deum fide & sanctimonia esse colendum: id quod ipse deus filio suo in carnem misso annunciarit orbi, per quem & orbem liberarit, & tandem omnes homines per eundem iudicaturus sit. Porro eadem non nihil ad suadendum & ad refutandum inclinatum genus. Nam non modo id agit ut ostendat illis unum esse deum, sed & hoc cupit assequi, ut deserta superstitione, quã maximis oppugnat uiribus, credant per filium incarnatum (hoc enim uiri nomine complexus est) gratiam & salutem annunciatam esse, & potestatem ei datam iudicij super uiuos & mortuos. Trahit autem exordium à re præsentem, mira arte se auditorum animis insinuans. Est enim artificiosum dicendi genus, cum ab ijs quæ nobis ab auditore permittuntur, ad ea descendimus, quæ nostra sunt quæq; maxime persuasiva cupimus. Ignotum deum colebant Athenienses. Ignoto extruxerant aram. Iam uero Paulo impingebant quod nouorum deorum assertor esset. Hinc ergo ex re uidelicet præsentem occasionem sumens, Non equidem (inquit) nouos ego atq; peregrinos deos prædico, sed cognitissimum et à uobis quoq; aliqua ratione susceptum. Extat enim apud uos ara ignoto deo consecrata: ut uos potius uideamini nouorum deorum cultores esse, si quis modo hoc nomine notandus erat. Et sanè, ut libere quod sentio dicam, uideo uos qui in omni disciplinarum genere laudatissimi estis, in ijs tamen quæ ad religionem pertinent plus satis superstitionis & incircumspectos esse. Nam dum τὰ σεβάσματα uestra lustrarem, istam aram deo incognito consecratam reperi, testem utiq; superstitionis uestræ. Nunc ergo si me audieritis, qui non nouorum deorum, sed unius illius dei ueri assertor sum, fiet, ut post hac uere & religiose colatis cognitum, quem hæcenus superstitionis coluistis incognitum. Et hoc est huius orationis exordium, hic status. Sunt autem multa hic præterea annotanda, principio quod & Erasmus monuit σεβάσματα quod idem culturas uertit, complecti omnia quæ ueneramur, nempe aras, delubra, statuas, monumenta, à uerbo σεβουαι, quod proprie ad religionem pertinet. Deinde gratius est quod dicit, Uideo uos ferè superstitioniosiores, quàm si dixisset, Uideo uos omnino superstitioniosos, imò idololatrias esse. Mitigauit ergo dicti odium, primum ad uerbum ως, deinde comparatio, ne prorsus resiliunt statim in principio. Factitauit hoc ipsum ipse etiam Petrus in cap. 3. ut auditorum animos retineret in officio. Porro superstitioniosos uocantur apud Lactantium in 4. cap. 28. non qui filios suos superstites optant, omnes enim optamus: sed aut iij, qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstitionibus, colebant eorum imagines domi tanquam deos penates. Nam qui nouos sibi ritus assumebant, ut in deorum uicem mortuos honorarent, quos ex hominibus in cœlum receptos putabant, hos superstitioniosos uocabant uetusti. Eos uero qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Vnde Vergilius,

Vana superstitione, ueterumq; ignara deorum,
Sed cum ueteres quoq; deos inueniamus eodem modo consecratos esse post obitum: superstitioniosos ergo qui multos ac falsos deos colunt. Nos autem religiosi, qui uni & uero deo supplicamus. Religionis enim nomen à uinculo pietatis deducitur, quod hominem sibi deus religarit, & pietate constrinxerit. Quia nos seruire ei ut domino, & obsequi ut patri necesse est. Iam uero quod aram ignoto deo dicatam attinet, monuit Erasmus ex autoritate Hieronymi, Paulum pia quadam hic usum esse uasticie, quod non nihil mutarit in titulo, non pauca omiserit, quo commodius detorqueret ad exordium prædicandi Christum. Titulum enim reuera sic habuisse, Dijs Asiæ & Europæ, & Africa, Dijs ignotis & peregrinis. Iam ergo illum ex ignotis dijs deum fecisse ignotum, & mentionem cæterorum omisisse. Et Cœlius lect. ant. libro 12. cap. 2. Ignotis etiam dijs (inde uita Apollonij) fuisse Athenis erectas aras Philostratus scribit. Meminit eius Laërtius quoq; in Epimenide, ut Pausaniam interim taceam, Cæterum idem ille D. Hieronymus clarius & melius

Scopus orationis Pauli.

Exordium artificiosum.

Cultura.

Superstitioniosos qui dicantur.

Religiosi qui dicantur.

Philost. lib. 6. de uita Apollonij.

& melius hanc rem exposuisse uideretur, dum in 10. Ezech. cap. scribens, Signū (inquit) dominicæ sanctificationis nomen est omnipotentis dei, quod quatuor literis Hebraicis scribitur, & apud eos uocatur ineffabile, dum nomen eius non potest dici: cuius maiestatem etiam Gentilitas non ignorat, & Atheniēsiū testatur ara, Ignoto deo. Vnde & apostolus, Quem uos (inquit) ignotum colitis, hunc nos annunciamus uobis. Atq; hæc quidem cum ijs quoq; congruunt, quæ ex Aristotele in cap. 14. annotauimus.

Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo sunt,

Græce est δ Θεός, quasi tu dicas: Hic ille deus est, qui mundum & omnia in eo condidit. Nunc enim orditur ipsum de deo negotium, demonstrās quæ sit ineffabilis illa uirtus. Demonstrat autem per res creatas, dum ipsum omnium creatorem uocat. Aristoteles quidem perpetuum mundum ingenitumq; esse censuit, nephariæq; impietatis eos insimulandos esse existimauit qui his contraria disseruere. Habuit autem in hac opinione qui ipsum ex philosophis sequuti, idem mordicus defendere: quos omnes hoc loco perstrinxit apostolus, ex Mose omnium uetustissimo & probatissimo uate sua depromens, quem & Plato (authore Eusebio Euang. præp. 10. cap. 9.) in Timæo suo & Legibus imitatus, unius dei meminit, qui omnia potentia sua condiderit. Nec uero solus Plato mundum creatum sentit, quin & Pythagoras ipse & Stoici genitum à deo mundum, & suæ naturæ respectu corruptioni obiectum esse tradiderunt, sicuti Plutarchus nobilissimus scriptor refert de Placitis philosophorum lib. 2. cap. 4. Sunt & Orphei de deo perelegantia carmina, quæ lib. 13. de præpar. Euāgelica citauit Eusebius, ea in hunc modum uertit, G. Trapezuntius,

Deus conditor mundi.

Vnus perfectus deus est, qui cuncta creauit,

Cuncta fouens atq; ipse ferens super omnia sese,

Qui capitur mente tantum, qui mente uidetur.

Orphei de deo sententia.

Vnde uero Gentes hæc deum creatorem cognoscere potuerint, exposuit Paulus ad Romanos 1. In summa, hæc est mens in præsentiarum apostoli, Vnus est deus, qui unitatem ac potentiam suam rebus conditis declarauit: Vana ergo est multorum religio deorum. Plura apud Ieremiam in 10. & huius libri cap. 14.

hic cæli & terræ quum sit dominus, non in manufactis templis habitat:

Quemadmodum multorum deorum religionem confutauit, ita iam ostēdit uanam quoq; esse templorum religionem. Veterum aliqui mundum ipsum templum dei esse dixerunt, cuius spiritus, secundum Stoicorum sententiam, per uniuersum mundū perinet. Quod sanè & ab Orphee proditū Euseb. asserit. Vnde illud est Lucani Pharsal. 7.

Vana esse templorum religionem.

Iuppiter est quodcunq; uides quocunq; moueris.

Et illud Arati,

Iouis omnia plena,

Quem reticere nephas.

Longe autem ante Pauli tempora Xerxes rex à Magis Persarū persuasus Græciæ templa eò propensius inflāmasse dicitur, quod parietibus includerent deos, quibus omnia patere & libera esse deberent, quorumq; hic mundus omnium templum esset & domus. Id quod Cicero 2. de Legibus testatur: idem Actio. in Verrem 3. & Strabo de Situ orbis libro 15. authores sunt Persas nullam erigere statuam. Cuius quidem rei & Atheniensium Philosophi meminisse potuerunt. Iam & Zeno Citicus nobilis philosophus, cuius meminit Petrus Crinitus libro de honesta disciplina 14. capite 12. in hæc uerba de Templorum religione philosophatus est, Sacella ac templa construere nihil quidem necesse est. Nihil enim sacrum iure existimandum, neq; pro sancto habendū, quod ipsi homines cōstruxerint. Docent ergo cum sacri tum prophani scriptores pleriq; humanam naturam ipsosq; homines, sed puros & pie religiosos, Deo acceptissima esse templa, quemadmodum Corinthiis scribens Paulus apostolus ait: Vos estis templum Dei. Vnde & Origenes contra Celsum multis ostendit rationibus, Templa ad uerum dei cultū ueramq; religionem nihil conuenire. Et Firmianus Lactantius uetustus author ait, Non templa deo congestis in altitudinem faxis struenda sunt, in suo cuiq;

Zeno Citicus.

consecrandus est pectore, in quod se conferat quum adorat deum. Vnde illud,

Non habitat templis manuum molimine factis

Omnipotens, ædes aurea uerus homo.

Cæterum apostolus Paulus hoc in loco maxime alludit ad testimonium Isaiæ quod extat in cap. 66. & de quo non nihil annotatum est in huius historiæ cap. 7.

nec manibus humanis colitur, indigens aliquo, cum ipse det omnibus uitam & halitum per omnia:

Vana externa
sacrificia.

Hiscæ asserit dei absolutam perfectionem & beatitudinem, qua ipsum omnium bonorum fontem esse confitemur, nullius opera aut auxilio indigentem. Hisdem autem refutantur omnia externa quæ deo offeruntur sacrificia. Et Græce significantius est οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων διαπέυεται, quasi quis dicat, Neque uero eget, ut illi humana aliqua inferuiatur suppeditatione. Germanice forsan reddiderimus feliciter, Im wirdt nit psüngen

Etiã animam
debemus deo,

mit menschlicher handreychung. Causa. Adeo nullius rei indiget, ut nobis potius omnia impartiat, maxime uero ζωὴν καὶ πνοήν, id est uitam & halitum. Posteriori enim ueluti exponit quid priore intellexerit. Præterea adiecit καὶ πάντα per omnia, innuens nihil extra hunc deum subsistere, sed per hunc omnia agi, esse ac conseruari. Et Stoici quidem apud Plutarchum de Placitis Philo. lib. 1. cap. 7. cõmuniter censent deum esse spiritum per uniuersum quidem mundum pertinentem, appellationes autem identidem mutantem per uniuersæ quam peruadit naturæ confinia. Atque hoc ipsum dogma redolent hi Maroniani uersus,

Vergilius Aeneid. 6.

Principio cœlum ac terras, camposque liquentes

Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra

Spiritus intus alit, totamque infusa per artus

Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Inde hominum pecudumque genus uitæque uolantum,

Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus

Igneus est ollis uigor & cœlestis origo

Seminibus, &c.

Quin & Aristoteles in libro

de Mundo, Verus (inquit) sermo est à maioribusque proditus inter omnes homines, uniuersa tum ex deo, tum per deum constituta fuisse atque coagmentata, nullamque naturam satis instructam ad salutem esse posse, quæ citra dei præsidium suæ ipsa demum tutelæ permissa sit. Quocirca ueterum nonnulli eò prouecti sunt, ut hæc omnia dicantur deorum esse plena hauriri que eorum spectra ab hominibus, oculis & auribus reliquisque sensibus. Hactenus Stragiritæ ille. Quæ sanè cum ita habeant, nemo est qui non uideat stultos esse qui omnium bonorum datori munera ferunt corruptibilia, quum ipse sit ab omni corruptione alienus. Verum plura de hac re propheta in Psal. 49. & Laetantius de uero cultu cap. 1. & 2.

fecitque ex uno sanguine omne genus hominum, ut inhabitaret super uniuersam faciem terræ: præfinitque præstituta tempora, præfixitque terminos habitationis eorum:

Homo,

Dixerat per deum omnia spirare & esse, idem ergo consequentibus latius exponit, hominis, utpote nobilissimæ & omnibus dominatis creaturæ, origine & regimine positus in medium. Quibus simul & Epicureorum profligauit sententiam. Negabāt enim illi diuinam prouidentiam, ut supra ostensum est Lucretij carmine. Omnia insuper per se fieri dicebant & ex atomis constituta esse. Diuersum ergo hoc loco asserit Paulus, dicens: Uniuersum animantium genus à deo (hiscæ enim elucidauit ista paraphrastes) conditum est, ac per illum uiuit, suum quæque genus propagantia. Sed his omnibus dominaturum ex uno homine condidit uniuersum genus hominum, ut incolerent per omnes terræ regiones, præscriptis unicuique uitæ spatijs, quæ nemo sibi posset prorogare, ac distributis terræ portionibus, quæ quæque incoleret natio. Proinde per Vnum sanguinem unum intellexit hominem, ipsum inquam Adam,

ut quæ

ut quærerent deum, si forte palpent eum & inueniant,

Anaxagoras philosophus cum ab eo quæreretur cuius rei causa natus esset, respon- *Cur conditus*
dit, Solis ac cœli uidendi gratia. Sed aberrasse illum conuincit hoc loco Apostolus. In *homo.*
hoc enim conditus est homo, ut deum cognoscat, & cognitum religiose colat. Sic enim
pulchre ab assertionem dei transit ad cultum dei. Ioannes Chrysostomus locum hunc
explicans, ita scribit, Non solum dedit uitam ac spiritum & omnia, sed etiam quod est
summa omnium, duxit ad sui notitiam, dando hæc per quæ possemus illum inuenire
ac comprehendere: sed nolimus quære, quamuis ante pedes esset. Hactenus Chry-
sostomus. Quibus congruunt & ea quæ Paraphrastes dilucidissime & elegantissime in
hunc eundem locum conscripsit, ad hunc modum, Quoniam autem iuxta suam natu-
ram incomprehensibilis est (deus) ingenijs humanis corporum mole grauatis, consti-
tuit homines ratione præditos, ut aliud ex alio possint colligere, ex uisibilibus inuisibi-
lia, ex singularibus uniuersalia, ex temporarijs æterna, ex his quæ sensibus percipiun-
tur, ea quæ non nisi intellectu comprehenduntur, in medio rerum omnium teatro, ut
ex rebus conditis, quæ perspicerent oculis, contrectarent manibus, sentirent utilitate,
uestigarent ac scrutarentur conditorem: & quemadmodum cæcutientes, palpando tan-
dem reperiunt id quod uideri non potest, ita illi ex consideratione rerum admirabiliter
conditarum peruenirent ad aliquam dei cognitionem. Similia porro, his legas ad Ro-
manos 1. Et quod religionis causa conditus sit homo, multis exposuit Lactantius lib,
de Falsa sapientia cap. 9. & 10.

quamuis non longe absit ab unoquoque nostrum, Per ipsum enim
uiuimus, & mouemur, & sumus, sicut & quidam uestratiū poëtarum
dixerunt: Nam huius progenies etiam sumus.

Correctionis species est. Quasi dicat: Istis autem nolim quisquam intelligat, deum *Deus incircum-*
iccirco circūscriptibilem esse, aut in cœlo duntaxat residentem, obiectis ob oculos no- *scriptibilis.*
stros syderibus & rebus conditis: quin potius omnia implet. Sic enim dicit apud Iere-
miam in 23. Num ego deus sum qui propinquius admota tantummodo uideam, dicit
dominus, & longius remota minus? Num abscondet se quisquam in latebras, ut eum
uidere nequeam, dicit dominus? Num non cœlum & terram ego impleo, ait dominus?
Præterea ita se homini insinuauit deus, ut in nulla alia re creata uirtus dei magis quam
in homine elucescat. Exposuit hoc Lactantius copiosissime in libro de Opificio dei con-
scripto. Recte ergo dicit deum non longe ab uno quouis nostrum abesse, quippe qui
per nos operatur, uelut opifex per organum ab ipso conditum. Huc enim pertinet illa
sententia, Per ipsum enim uiuimus, mouemur & sumus. Nam dei beneficium est quod *Deus in homi-*
spiramus, ilico morituri si ille nos destituat: nec alij debemus quod uiui corporis mem- *ne suo more.*
bra suo quæque officio funguntur, ut oculi prospiciant, pedes ambulent, manus operen-
tur. Est ergo in unoquoque nostrum deus, ut non in alijs magis, quam in nobis ipsis co-
gnosci possit. Bedæ presbytero præfens locus obscurus uisus est: at mihi sanè clarus &
apertus uidetur. Nihil enim ab eo dissonat quod in Rom. cap. 11. sic extulit, Quoniam
ex illo, & per illum, & in illum omnia. Atque hac quidem ratione quod deus in nobis,
quod mentem indidit uegetam, quod in nobis uiuit, dicimur progenies dei. Id ne illis
uideretur absurdum, comprobatur Arati testimonio dicentis: το γὰρ καὶ ἡμεῖς ἐσμεν.
Nam huius progenies etiam sumus. Monet autem Erasmus Hemistichium esse Heroi-
cum ex Phænomenis Arati desumptum, ac mire à Ioue ad deum uerum esse detortum.
Cæteram uidetur & illa sententia, Per ipsum uiuimus, mouemur & sumus, ex Arati mo-
numentis esse desumpta. Eius enim uersus aliquot in hanc sententiam citauit Eusebius
libro 13. Præparationis Euang. cap. 7.

Ab Ioue principium Musæ, Iouis omnia plena,

Quem renicere nephas, Ioue cuncta utuntur, ab ipso

Nos sumus, ille fouet, cunctis uiresque ministrat.

Quanquam & Hesiodus, & Homerus, & apud Latinos Vergilius & Horatius Iouem

Aratus poeta. patrem hominum & deorum appellitant. Fuit autem Aratus, teste Strabone lib. 14. Cilix, patria Solensis, Chryssippi Stoici & Pauli apostoli conterraneus, & apud Antigonum Macedonum regem in honore habitus. Scripsit inter multa præclarum opus de Syderum positura & imaginibus, carmine heroico, aliquando à Cicerone, demum à Germanico Cæsare translatus. Porro quomodo homo progenies dei sit, expotuit Moses propheta dei magnus Gene. 2. & post hunc Philo Iudæus, in libro suo de Mundo conscripto, præterea ecclesiastici multi, Diuus Hieronymus autem non inepte ex hoc loco & similibus collegit licere Christianis scriptoribus atq; doctoribus uti testimonijs prophanorum auctorum, sed moderate. Pluribus ille hanc rem argumentis probabilem fecit, ad Magnum oratorem Romanum.

Genus ergo quum simus dei: non debemus existimare auro & argento, aut lapidi arte sculpto, & inuento hominis, numen esse simile.

vanū esse idolorum cultum.

Ex præcitatæ pulchre iam colligit uanum esse idolorum cultum, siue quis spectet materiam ex qua fiunt simulachra, siue formam quam referunt. Homo enim simulachrum dei est, ad imaginem dei creatus, non utiq; secundum carnem aut corpus, nisi in Anthropomorphitarum hæresim inclinare uelimus, sed secundum spiritum & mentem. Deus enim spiritus est. Proinde nulla re corporea effigiari potest. Scripsit autem accommoda huic loco Firmianus Lactantius libro institut. 2. cap. 18. & 19. dicens: Quicumq; ergo sacramentum hominis tueri rationemq; naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitetur, & erecta mente oculos suos tendat in cælum, non sub pedibus quærat deum, nec à uestigijs suis eruat quod adoret. Quia quicquid homini subiacet infra hominem sit necesse est: sed quærat in sublimi, quærat in summo. Quia nihil potest homine maius esse, nisi quod fuerit supra hominē. Deus autem maior est homine, supra ergo non infra est: nec in ima potius, sed in summa regione quæredus est. Quare non est dubium quin religio nulla sit ubicunq; simulachrum est. Nam si religio ex diuinis rebus est. Diuini autem nihil est, nisi in cœlestibus rebus: carent ergo religione simulachra. Quia nihil potest esse cœlesti in ea re quæ fit ex terra. Plura Moses Exodi 20. Deute. 4. Isaias quoq; in 40. & Paulus ad Romanos 1. Et hæc quidē omnia ita sunt dicta aduersus Athenienses, ut in nos quoq; competant, qui cultu simulachrorum qualuis etiā Gentes superauimus. Nam quod alij obijciunt ex Gregorio simulachra non ad cultum apud nos profuturi, sed ad repræsentationem rerum inuisibilium & absentium, adhuc non intelligunt (ut interim id non referam quod palam ad cultum apud nos proposita sunt) quod inuisibilem deū nulla potest referre uisibilis forma uel materia. Id quod non modo hoc in loco Paulus, sed & ad Romanos 1. clarissimis uerbis testatus est. Impius ergo est ille colendi modus qui à Nicena Synodo (non illa quæ sub Constantino magno, sed sub Hirene Græca Imperatrice, Anno domini DCCXC. celebrata) præscriptus, & postea in duo illa carmina ex Græco in Latinum translatus est,

Simulachra ad repræsentandū deum non idonea.

Nam deus est quod imago docet, sed non deus ipsa,

Hanc uideas, sed mente colas, quod cernis in ipsa.

Quomodo enim deus id esse potest, quod imago docet? Aut quid uides in hac præter materiam & formam? Atqui neutrum horum exprimit deum. Nihil ergo dei habet imago, & proinde nihil nisi impietatem & uanitatem docet imago. Impius ergo est imaginum usus siue ad cultum, siue ad memorandū adhibeatur. Sole enim clariora sunt uerba Pauli. Non debemus existimare, quod ipsum numen, ipse inquam deus auro, aut argento, aut lapidi exsculpto, aut ullo hominis inuento, similis sit: sed redimus.

Et tempora quidē huius ignorantiaē cū hæctenus dissimularit deus: nunc annunciat hominibus, ut omnes ubiq; respiscant: eo quod statuit diem, in quo iudicaturus est orbem terrarū cum iustitia, per eum uirum per quem decreuerat, fide præstita omnibus, quum excitarit illum ex mortuis.

Hæc

Hæc uelut altera pars est orationis Pauli, qua temperato iam & communibus testimonijs demulso auditori, penitiora fidei mysteria proponit. Nam per Christum hor- *Christus præ-*
 tatur ad pœnitentiam, ut scilicet respicientes à paganisimo & uanis philosophorū opi- *dicatur.*
 tionibus ueræ se pietati dedant, Christum recipiant, quem hic propter humanam na-
 turam uirum uocauit: sicut & Petrus Actorum 2. Errant enim turpissime, imò & impie-
 tatem suam produnt qui ex hoc loco & similibus opido paucis scripturæ testimonijs
 argumenta decerpunt, quibus diuinam Christi impugnant naturam. Neq; enim per
 pauciora plura scripturæ loca, sed pauca per plura sunt exponenda. Præterea Iudicij hor-
 rore inuitat ad pœnitentiam, quemadmodum & Petrus Acto. 3. Dicit item Christum
 illum esse, per quem Deus statuerit innouare ac restituere mundum: proinde cum mise- *Christus est lum-*
 rit illum, præstitisse fidem, id est, satisfecisse promissis. Porrò quod hic ille magnus dei *men mundi.*
 legatus sit, liquere ex Resurrectione, quæ diuinitatis Christi maximum & uerissimum
 argumentum est. Verum cum hæc omnia accisa ac breuia sint, iterum claret Lucam ue-
 stigia tantum adumbrasse orationis Paulinæ, qua nimirum is copiosissime totum ne-
 gotium Christi exposuit. Illud autem notandum quod prædicationem Christi cū Oc-
 cupatione cœpit. Ne enim obijcerent, Si ita habet religionis ratio, quæ factum est, ut hæc
 ad hunc modum non citius fuit exposita nobis? Id enim præuenit, & ait: Erratis sanè
 & pœna digni eratis, sed errorem dissimulauit deus, non quod illi placeret, sed quod ali-
 quando ad respiscentiam uocare uellet. Id uero tempus iam adesse annūcio. Filium enī
 misit deus, lumen omnium Gentium, &c. Iam ne illud quenquam remoretur, quod di-
 xit, Ut omnes ubiq; respiscant, sciendum est eiusmodi loquutiones respere synekdo-
 cham, & de electis ac credentibus intelligi, nempe quod omnes qui saluantur per Chri-
 stum saluantur. Præterea clarissimis uerbis testatur Christum iudicem à deo esse consti- *Resurrectio &*
 tutum, sed & carnem nostram in ultima die de terra resurrecturam, id quod Gentibus *iudicium.*
 uidebatur absurdissimum. Atqui mirum erat id illis posse incredibile uideri, quod tam
 apertis uerbis ea testabantur oracula quæ apud ipsas quoq; fidem habebant. Siquidem
 Sybilla, ni fallor, Cuma, de Iudicio & Mortuorum resurrectione ferens testimonium
 apud Eusebium ait,

ἦξε δ' ἐπουρανίου θεοῦ βασίλευς αἰῶσι τοῦ μέλλοντος,
 Σάρκα πατρῶν κρῖναι πᾶσα, καὶ κόσμον ἅπαντα,
 ὄψονται δ' ἐθεὸν μέροσιν πιστοὶ καὶ ἅπασαι.

Iam si summam rerum colligamus quæ nobili & erudita hac oratione didicimus, iam *Epilogus,*
 nihil aliud uidemus præceptum, quàm unum esse deum, hunc uero solum esse colen-
 dum, colendum autem rebus spiritualibus, hoc est, fide & respiscentia, quæ ille misso fi-
 lio orbi annuntiarit, &c. Hisce porrò denuo ruunt omnia quæ falsa religio tradidit de
 cultu diuorum simulachrorum & id genus stultitijs alijs.

Cum audissent autem resurrectionem mortuorum, alijs quidem ir-
 ridebant, alijs uerò dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus
 exiuit è medio eorum. Quidam uerò uiri adhærentes ei, crediderunt,
 in quibus & Dionysius Areopagita, & mulier nomine Damaris, a-
 lijç cum eis.

Quod sæpe iam in hoc libro audiuius iterum ingeritur, alios quidem credere alijs
 os minus. Multi enim uocati sunt pauci uero electi. Irrident ergo philosophi mundana
 tumentes sapientia uerbum ueritatis: sed & dubio responso relinquunt Paulum, cum
 dicunt, Audiemus te de hoc iterum, quod cum ironia quadam ac contemptu mihi di-
 ctum uidetur. Alij in meliorem partem interpretantur. Tertullianus in opere de Resur-
 rectione carnis, hunc locum citans, Athenienses (inquit) irriserunt Paulum, non irrisu-
 ri omnino, si animæ solius restitutionem ab eo audissent. Suscepissent enim uernaculæ
 suæ philosophiæ frequentiore præsumptionem. Iam quæ de Dionysio hoc à doctis *Dionysius A-*
 uiris in utranq; partem disputata sunt, alijs contententibus hunc illum ipsum esse cu- *reopagita.*
 ius libri extant de Diuinis nominibus & Cœlesti hierarchia conscripti, alijs prorsus

abnegantibus, non uideo quid commodare aut incommodare possint pietati. Proinde otiosioribus decernendi relinquo sententiam: ego ad historiam sacram redeo. Porro Areopagitarum iudices erant Athenienses seuerissimi. Vnde postea natum prouerbum, Areopagita. De quo Erasmus Chil. 1. cent. 9. Adag. 41. & Budæus in Pandect.

CAP. XVIII. Post hæc Paulus digressus Athenis uenit Corinthum, & nactus quendam Iudæum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius, eo quod præcepisset Claudius, omnes Iudæos Roma decedere: accessit ad eos, & quia eiusdem erat artificij, manebat apud eos & operabatur. Erat autem ars illorum texere tabernacula.

Corinthus. Post res Athenis gestas uenit ad acta Corinthi celeberrima Achaïæ urbe patrata. Fuit Corinthus celeberrimum totius Græciæ emporium, quod Cicero uocauit Græciæ lumen: opulenter quidem, sed luxu, libidine & fastu longe corruptissimum. Id quod uel ex illo liquet prouerbio, Non cuius hominî contingit adire Corinthum. Nec temere notauit Lucas hospitem Aquilam. Nam dominus iussit habere rationem eorum, apud quos uiuas, aut ad quos diuertas. Cæterum duos Aquilas historiæ memorant, utrunq; Ponticum genere, id est, in Ponto natum. Et alterum quidem profelytum, qui uetus instrumentum post LXX. interpretes conuertit in Græcam linguam: quemadmodum & Symachus, & Ephesius Theodotio, quorum in Ecclesiast. histo. meminit Eusebius lib. 5. cap. 8. Alterum Iudæum genere, cuius hic Lucas meminit & Paulus ipse ad Romanos 16. At edicti huius cuius hoc loco mentionem facit Lucas, meminit & Orosius historiæ lib. 7. Suetonium (opinor) imitatus, qui in Claudio sic scribit, Iudæos impulsore Christo, assidue tumultuantes, Roma expulsi. Quod quidem utrum contra Christum (ut Beda scribit) tumultuantes, coerceri & cõprimi iusserit, an etiam Christianos simul, ceu incognitæ religionis homines uoluerit expelli, non satis constat. Certe C. Caligula ante Claudij tempora persequutionem in Iudæos satis æcerbam mouit, cuius ex Philone Eusebius meminit Ecclesiast. histo. lib. 2. cap. 5. Porro *σκωπηριους* uerterunt tabernaculorum siue tentoriorum textores siue artifices, loquentes de sagis coriaceis, lineis, laneis siue cilicinis, ut nunc Germanice recte uocaueris, *Sârgen, tapeten, oder ziltenschacher*. De Scenis autem plura Coelius in 5. cap. 8. Verum hoc Pauli exemplo discimus laborem ornare uirum bonum, otium dehonefatare. Vnde Heraclides Lycius, ut scribit Philostratus in uita Sophistarum, unum librum laudibus laboris dedicauit, sine quo dicebat nihil in rebus humanis frugiferum geri posse, adeoque probari, ut cassus etiam labor (modo non uitiosus) sit otio ac delicijs antefereendus. Et Socrates, Opus conferre dicitur ad hominis bonitatē, otium uero uitium. Pythagoræ quoque sententia fuit, legendam esse ab initio uitam optimam ac laboribus quam maxime exercitatam, quam consuetudo paulatim ex aspera dulcem redderet. Laborem namque uoluptatem quoquo modo semper comitari. Si bona sit uoluptas, ille præcedit: si autem mala, labor subsequitur. Euripides ergo *πόνος* (ait) *ὡς λέγεται ἐν κλειῶς πατῆρ*, Labor ut dicitur gloriæ pater. Nam alibi clarius, Nullo modo (dicit) quis citra laborem felix esse, neque gloriam assequi ullam nihil agendo potest. Refert ex M. Catone A. Gellius in 4. cap. 12. non sine pœna fuisse, si quis apud Romanos agrum suum aut arborem aut uineam passus fuerat sordescere derelictumque habuerat. Valerius quoque Maximus de Institutis lib. 2. cap. 1. Massiliensium mores referens, Omnibus (inquit) qui per aliquam religionis simulationem alimenta inertitæ quærunt, clausas portas habet Massilia. Non ergo quenquam in ciuium numerum censebant, qui nihil artificij noscet quo uictum pararet. Quin & Corinthus ciuitas cæteris corruptior, legem habuit sumptuariam, otium damnantem quod raro est sine luxu, & commendantem laborem. Eam apud Athenæum lib. 6. Diphilus, interprete Erasmo, refert hisce uersibus,

Matthæi 10.

Iudæi Roma expulsi.

De labore.

Lex sumptuaria Corinthiorum.

Hoc lege cautum est hic apud Corinthios,
Si quempiam obsonare semper splendide

Videmus,

Videmus, hunc rogamus, Vnde uiuat, &
 Quid faciat operis: Si facultates habet
 Ut reditus harum soluere expensas queat,
 Perpetimur illum perfrui bonis suis.
 Sin forte sumptus superat ea quæ possidet,
 Prohibemus huic ne faciat hoc in posterum.
 Ni pareat, iam plectitur multa graui,
 Sin sumptuose uiuit, is qui nihil habet,
 Tradunt eum tortoribus. Proh Hercules,
 Nec enim licet uitam absq; malo ullo degere
 Talem scias, sed est necesse aut noctibus
 Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
 Aut hæc patrantum iungier commertio,
 Aut in foro agere sycophantam, aut perfidum
 Præbere testem. Nos genus hoc mortalium
 Eijcimus hac ex urbe, uelut purgamina,

Paulus itaq; ne cui oneri esset, aut cuiquã calumniandi accusandiq; ansam (cum Euan-
 gelij prædicatio aliàs satis haberet odij) suppeteret, manibus laborauit: ut ipse de sese te-
 status est in 2. ad Corinth. 11. cap. Ad Theffalonicenses uero scribens in 2. cap. 3. damnat
 otiosos. At cum de Otio loquimur, de inhonesto & illiberali loquimur. Est enim lite- De otio.
 rarium otium præmodum honestum, & quod plus negotij habet quàm otij. Qui er-
 go diligenter incumbunt literis, Verbi dei ministri, non otiantur, & de Euangelio uiue-
 re possunt, id quod ipse Paulus tradidit in 1. ad Corinth. 9. cap. Non enim hoc Pauli fa-
 ctum omnes uerbi ministros (ut ex uerbis Petri Act. 6. ostensum) deuincit ad mechani-
 cas & sellularias artes: quod ipsum & ipse Apostolus palàm testatus est in 2. ad Theff. 3.
 capite, sed non nihil tum erat & tempori & legibus & hominum moribus dandũ. Ca-
 to autem dicebat uiro nobili quemadmodum negotij sic & otij rationem extare oport-
 ere. Hoc item Seneca in Epistolis amplectendum suadet honesto & prudenti uiro. Et
 alibi, Crede mihi (ait) plus agunt qui nihil agere uidentur. Vnde fortassis Bernhardus
 mutuas uidetur hanc sententiam, Otium est uacare deo, imò negotium negotiorum,
 ubi nullum admittitur otium. At de utroq; cum labore tum Otio plurima commenta-
 tus est Solomon in Prouerbijs, & Coelius in 6. cap. 23. Quin & Seneca lib. Epist. 11. Epi-
 stola 93. De sacrificulis uero & monachis Papisticis istud quis Horatij dictum esse intel-
 ligere possit:

Nos numerus sumus, fruges consumere nati,
 Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoiçq;
 In cute curanda plus æquo operata iuuentus:
 Cui pulchrum fuit in medios dormire dies: &
 Ad strepitum citharæ cessatum ducere curam.

Dignissime ergo in hunc locum de labore Pauli annotans Erasmus exclamat, O uerè
 Pontificem, uerè suisq; dotibus maximum. Nos satellitio, copijs, censu, minis, magni
 uideri uolumus.

Disputabat autem in synagoga per omne sabbatum, suadebatq; Iu-
 dæis pariter & Græcis. Cum uenissent autē e Macedonia Silas & Ti-
 motheus, coartabatur spiritu Paulus, testificans Iudæis, Christum esse
 Iesum. Contradicientibus autem eis, ac blasphema loquentibus, excus-
 sis uestimentis, dixit ad eos: Sanguis uester super caput uestrum. Mun-
 dus ego posthac ad gentes uadam.

Idem dicitur quod iam sæpe dictum est, quocirca nulla copiosiore egent expositio-
 ne, nisi hoc fortassis annotandum sit quod Suadebatq; *ἐπαδείτε* posuit pro persuadere

cupiebat: qui ardor aduētū e' Berrhœa Timothei & Silæ magis exarsit, nimirum quòd hi felicem Euangelij successum apud Macedonas nunciarent, quo permotus cupiebat & in Achaia multos Christo lucrifacere. Alij intelligunt inuitum illum & animo reluctante id fecisse, ceu præsentiret se lusurum operam. De excussione uestium dictum est in capite 12. Cæterum præsentia Pauli uerba, Sanguis uester super caput uestrum, & ex 3. Ezechielis capite desumpta sunt, & Hebraismum respiciunt, quo significatur sua culpa mori & perire illum, qui perit & moritur. Sic enim dixit Dauid 2. Reg. 1. Sanguis tuus super caput tuum, id est tua culpa peris, quòd Christum domini interfeceris.

*Sanguis uester
super caput ue-
strum.*

Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Iusti, colentis deum, cuius domus erat contigua synagogæ. Crispus autem archisynagogus credidit domino cū tota domo sua, multiq; Corinthiorum audientes credebant ac baptizabantur.

Non sine fructu Euangelium prædicauit. Nam magnatē Crispum, uirum auctoritatis eximæ, Iustum quoq; & Corinthiorum plurimos ad fidem ueram pertraxit. Huius Crispi meminit aliàs Paulus in 1. ad Corinth. 1. cap.

Dixit autem dominus nocte per uisionem Paulo: Noli timere, sed loquere, & ne taceas, propterea quòd ego sim tecum: & nemo adoretur te, ut affligat te: quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens eos sermonem dei.

*Consolatio do-
mini.*

Non deserit suos dominus, sed in medijs adest tribulationibus. Intelligimus enim Paulū non nihil cogitasse de relinquenda Corintho. Proinde ne abiret & quo alacrius ministerium suum contra Iudæorum insultationem exequeretur, confortatur à domino. Caro enim timet, pericula declinat, & mortem horret, neq; quicquā molestiæ propter dominū sustinere potest. Proinde gratia dei nobis opus est, qua etiam sumus quod sumus. Deus autem qui iuuenes à flamma fornacis ardentis seruaui, idem potens est nominis sui confessores ex impiorum manibus eripere. Huc confer ea quæ dominus consolationis uice apostolis dixit Matthæi 10, & Ieremiæ, apud Ieremiam in primo. Discant autem & ministri uerbi timore posito, & omni spe in unum deum collocata, constanti animo ueritatem loqui, & nihil prorsus dissimulare. Non deerit dominus negotio suo, qui & si pro uolūtatis suæ dispensatione mortis terror subeundus sit, suorum animos ita confortare potest, ut mortem intrepide oppetant. Aduerte item Electionis ac prædestinationis euidentiam in eo quod ait, Quoniam populus est mihi multus in ciuitate hac. Iam quòd integrum annum & menses sex Corinthi prædicauit, potentiam dei commendat, quod tanto tempore inter insanientium & insidiantium furias securus agere potuit. Interim ipse de sese testatur in 1. ad Corinthios 2. capite, quod maximo inter ipsos tremore sit uersatus, Vbi & omnem successum, uictoriam & uirtutem uni deo tribuit.

*Libertas dicen-
di.*

Electio.

Cæterum cum Gallio ageret proconsulem Achaia, insurrexerunt uno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Contra legem hic suadet hominibus colere deum.

Nequit concepta quiescere inuidia. Proinde emicat aliquando & dira in eum fundit uenena quem odio prosequitur. Nequeunt ergo & Corinthiorum quiescere Iudæi, sed in hac quoq; turbarum authores Paulum inuadunt, capiunt, iudici offerunt & accusant. Quod autē cæteri Iudæi hactenus Paulo impegerunt idē & hi impingūt, Legis dei & ueræ religionis esse aduersarium. Quod inde uidetur enatum quòd Christum prædicaret, & in hoc omnem iustitiam: quo dogmate illi credebant legem & omne id in quo ueram constituebant religionem esse reiectum. Proinde in accusatione, Secus (inquiunt) suadet hominibus colere Deum, quam lex Mosi tradiderit. Hæc enim ceremonias

ceremonias præcipit, quæ ille contemnit, unico contentus Christo. Vide autem quomodo promissiones dei non prorsus eximant cruce. Promiserat ille, Nemo affliget te, nihilominus affligitur, quemadmodum & Ieremias Ieremiæ 20. qui tamen audierat, Ego facio te ciuitatem munitam. Quanquam ergo promittat nobis Deus securitatem, ea tamē non sine afflictione contingit; interim uero ex omnibus malis eripit, quoniam uerax est & mentiri non potest. Id quod & Paulo in præsentiarum præstitit.

Protectio Dei non sine cruce,

Cum autem Paulus iam pararet aperire os, dixit Gallio ad Iudæos, Si qua iniuria esset, aut facinus malū, ô Iudæi, merito uos sustinerem: si uerò quæstio est de sermone ac nominibus & lege uestrate, uos ipsi uideritis. Iudex enim ego horum nolo esse. Et abegit eos à tribunali.

D. Chryosto. existimat Gallionem hunc defendisse Paulum. Sed si omnia propius expendimus, uidebimus Gallionem fuisse uirum prorsus prophanum, qui ut Pauli dogma de Christo contempnit, ita Iudaicam superstitionē, propter rixandi libidinē, his ueluti cognatā, prorsus odio habuit. Aequo ergo responso, quo suæ authoritati suoq; satisfecisse uideretur officio, tumultuantes à se reijcit, & ait, Si actio esset fori mei, aut iniuriarum, aut capitis, audirem utiq; accusationem uestram: cæterū cum tota quæstio uerfetur in disceptatione de lege uestra meum non est iudicare de superstitione uestra. Contemptim autem omnia illa pronuntianda sunt, sed & Catalogus quo ille capita Iudaicæ superstitionis aut accusationis etiam, recenset, maximum contemptum sapit. λόγους enim, hoc est, sermones siue uerba non tantum factis opposuit, sed fabulas magis intellexit. νόματα uero, hoc est, nomina ipsas uocauit Iudaicas genealogias, & νόμον legem ipsas ceremonias. Cæterum in hoc ille non peccabat quod contentioni istæ se immiscere, aut de incognitis temere pronuntiare, aut Iudæis in condemnando Paulo gratificari noller, sed in eo quod incuria quadā neglectuq; iustitiæ uirum bonū eorum permittebat libidini, quorum mens & iudicium ipsi erant suspecta. Verum inuenias & hodie Galliones inter proceres plurimos, qui uel odio aut contemptu religionis, uel animi leuitate, uel prophanarū rerum studio, religionis causas omnino audire nolunt. Inuenias alios hoc Gallione stultiores, qui Diplomatis & Mandatis eorum superstitionē fulciunt, quos certum est impios esse, & sanæ doctrinæ proprii commodi studio aduersari. Utinam tum quoq; auarorum à se pharizæorum querelas reijcerent, sicut uident Gallionem Iudæorum inuidam à se repulisse querimoniam.

Gallio prophanus,

Apprehensum autem omnes Græci Sosthenem principem synagogæ, percutiebant ante tribunal, neque quicquam eorum Gallioni curæ erat.

Quanquam arbitrio eorum permisisset Paulum, tamen in illum nihil audebant crudelius. Maxime quod dominus pollicitus fuisset, Nemo adorietur te ut adfligat te. Proinde conatus istorū uirtute sua reprimebat dominus. Quin olim quoq; aduersus Christum nihil audebant Hierosolymis, licet Pilatus dixisset, Accipite eum uos & secundū legem uestram iudicate eum. Cæterum cum non ignorarent Sosthenē synagogæ principem, cuius mentio fit in 1. ad Corinth. 1. cap. Pauli promouisse consilia, artibus quibusdam concitarunt Gentium manus in caput Sosthenis, quasi omne malum ab hoc promanarit. Persuaserant enim sibi ipsi Paulum nihil acturum fuisse Corinthi, nisi huius fauore fultū. Cæditur ergo uir optimus. Neq; uero iniuriam coercet proconsul, qui semel decreuerat religionis negotia, aut ex religione deriuata, prorsus in forū suum non intromittere. Ioannes Chryostomus in ea uidetur fuisse sententia, quod Sosthenes hic fuerit Iudæus, princeps eorum qui causam aduersus Paulum egerint. Dicit enim, O confusionem qua confusi sunt. Quasi Græci indignitate rei & quod uiderent Gallionem res Iudaicas floccifacere, permoti, ceu uictis insultarint. Sed prior sententia, si omnes expendantur circumstantiæ magis quadrabit.

Protectio dei eximia,

Paulus uerò deinde cōmoratus dies multos, uale dicto fratribus, ab

nauigauit in Syriam, comitantibus eum Priscilla & Aquila, postea quam raserat caput in Cenchreis: habebat enim uotum.

Votum Pauli.

Non sic accipiendum est, uelut recta in Syriam nauigauerit ex Cenchreis Paulus, cum Ephesum prius appulerit, ubi Priscillam & Aquilam reliquit, ne quis obiter intelligat illos Paulum in Syriam comitatos fuisse. Proinde more Hebraico summam hactenus propositam, mox per partes digerit & exponit. De uoto Pauli, cuius hic meminit Lucas, nemo melius scripsit Paraphraste, cuius uerba hæc sunt: Quoniam autem Paulus intellexit Iudæos ob hoc potissimum tumultuari, quod uideretur negligere ritus legis homo natus in Iudaismo, priusquam solueret Cenchreis (is est Corinthi portus) totondit sibi caput, suscepto uoto, iuxta morem Iudaicum. Erat hæc non fraudulenta simulatio, sed obsequium charitatis. Cupiebat enim omnes adiungi Euāgelio: & ideo semet omnium adfectibus quoad licuit attemperauit, ut omnes Christo lucrificeret, Iudæis factus Iudæus, incircumcisis incircumcisis. Datum est hoc ad tempus inuincibili quorundam superstitioni, donec se clarius proferret euangelica ueritas. Neque enim tondere caput ex uoto per se malum est, sed huiusmodi Iudaicis ceremonijs fidere malum est. Quemadmodum nec circūcisio lædit fidentem in Christo, nec præputium, in quibus nonnunquam obsequi charitatis est, sed ad tempus, sed ubicunq; datur opportunitas reclamando. In alijs quæ per se mala sunt, non oportet obsequi cuiusquam imbecillitati. Neque enim in scortationibus aut in cultu simulachrorum Paulus unquam obsequutus est Gentibus: in commertio, in negligendo ciborum delectu, in citandis illorum poetis, nonnunquam est obsequutus. Hactenus ille. Locus autem de uotis Iudaicis extat Num. 6. in quem cætera quæ annotanda uidebatur, annotauit uir doctissimus

Chunradus Pellicanus.

& pijsissimus Chunradus Pellicanus ecclesiæ nostræ Hebraicarum literarum Lector fidelissimus in suis illis Bibliorum Commentarijs. Sed de uotis Christianorum alibi fortassis offeret se dicendi occasio commodior. Beda presbyter codicem se uidisse tradit, qui pluratio numero habuerit, Totonderunt caput, & Habebant uotum, ut ad Aquilam & Priscillam referretur. Quin & Erasmus, Ex ipso (inquit) sermone Græco non liquet uter sibi raserit caput, Paulus an Aquila. Ego sane libentius retulerim ad Aquilam, utpote proxime præcedentem, & quod participium præteritū temporis *κατέκλιψεν* id est, raso capite, nescio quid huius referre uideretur. Quanquam priori sententiæ magis adminiculetur quod Aquila Ephesi relictus est, & Paulus Hierosolymam nauigauit. Cæterum nulla alia causa crediderim hoc itineris instituisse Paulum, quam quod inuiseret fratres, atq; ecclesias iam olim sua prædicatione ad Christum cōuersas, confirmaret. Monuimus enim cum diligentia, tum prudentia esse parata tueri. Nostri episcopi non raro ita adhærent sedibus, ut spongiæ esse credere possis, suis annexas rupibus: nec abeunt longius, nisi aut uenatio inuiter, aut lentum alliciat otium.

visitatio episcopalis.

Deuenitq; Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse uero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis, ut tempore ampliori maneret apud se: non annuit, sed uale dixit illis, dicens: Oportet omnino me festum quod instat agere Hierosolymis, sed iterum reuertar ad uos, deo uolente.

Vbiq; describitur Pauli diligētia, feruor & ad benefaciendum promptitudo: in hoc ut & animi nostri excitentur ad rerum optimarum studiū. Quod autem rogatus Ephesi manere, non annuit, sed in Syriam festinat, satis magno argumento est, Paulo Hierosolymis & Antiochiæ magnum aliquod fuisse negotium, ad quod expediendum tanto animi feruore properauit. Interim uero ne & Ephesijs pietatem ueritatemq; sitientibus deesset, Aquilam ibi relinquit, & reditū pollicetur, si domino uisum sit. Nam cum conditione de rebus futuris loquendum esse docuit & Iacobus, Iacobi 4. cap.

Et soluit Epheso, cumq; peruenisset Cæsareā, ascendissetq; & salutasset ecclesiam, descendit Antiochiam, Et cōmoratus illic aliquantum temporis,

temporis, profectus est, perambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phrygiam, confirmans omnes discipulos.

Lucas hoc loco eleganti & dilucida breuitate usus, indicare tantum loca illa uoluit, ad quæ profectus est Paulus, uelut festinans ad earum rerum descriptionem, quæ Ephesi post reditum Pauli contigerunt. Itaque Epheso soluentem recta Cæsaream Palæstinæ, non Cappadociæ (quod Beda existimat) uenisse tradit, mox Hierosolymam ascendisse urbem, æditiori loco sitam (Iudæa enim ad Syriam Cœlem & maritima loca collata, sublimior est) deinde profectum esse Antiochiam, & Galatica regione Phrygiæq; peragrata Ephesum rediisse. Nihil autem in omnibus illis regionibus, & urbibus egit, quam ut ecclesias cõfirmaret, quemadmodum superius quoq; in cap. 15. & 16. factum audiuimus.

Iudæus autem quidam Apollos nomine, Alexandrinus genere, uir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat institutus in uia domini, & feruens spiritu loquebatur, & docebat diligenter ea quæ sunt domini, sciens tantum baptisma Ioannis. Et hic cœpit libere loqui in synagoga. Quem quum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, atq; exactius exposuerunt ei uiam dei.

Intertextit aliam quandam de Apollo historiam, quod hæc non nihil faceret ad res Ephesias, & Euangelij commendationem, quod tantos habuit ministros. Laudat autem hunc à summis quibusq; donis, nempe ab eloquentia, scripturarum non uulgari peritia, à feruente spiritu, insigni diligentia, loquendi libertate, & à tractabilitate. Humanitatis enim erat quod uir tantus & tantis pollens uirtutibus multo inferiorum cum gratulatione institutionem suscipiebat. Discamus ergo exemplo uiri tanti, à quibusuis, quales quales sint, ea quæ ad salutem faciunt, discere. Videmus enim non omnia uni deum dedisse, sed cognitionem ueritatis gradibus quibusdã assurgere. Existimabat Apollos se probe in euangelico institutum esse negotio, sed deerant ipsi plurima. Hinc Lucas, Sciens (inquit) tantum baptisma Ioannis. Arbitrabatur enim se scire doctrinam Ioannis, cum reuera nondum sciret quemadmodum scire cõueniebat. Hactenus enim non uno testimonio probauimus eandem esse doctrinam Christi & Ioannis. Proinde si recte Ioannis doctrina imbutus fuisset, proculdubio ipsi neq; Christianæ doctrinæ quicquam defuisset. Neq; enim hæc uerba *ἴσως μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου*, id est, Sciens tantum baptisma Ioannis, de baptismo aquæ, sed de baptismo doctrinæ sunt intelligenda. Quis enim sanæ mentis dixerit: Sciens tantum aquam, aut de aquæ baptismo Ioannis? Doctrinam ergo intellexit, in qua Apollos non sane aut plene erat institutus. Atq; hanc sententiam iuuant, & præcedentia & consequentia. Præcedentia, Hic erat *κατηχημένος*, id est catechumenus, id est rudimenta edoctus, uix, hoc est moris & negotij domini. Consequentia, Aquila & Priscilla assumpserunt eum, *καὶ ἐκπύδουσαν*, id est accuratius siue exactius instituerunt eum in uia domini. Non aliud tradunt aut in alia instituunt uia, sed in eadem, sed exactius. Quod ergo deerat illi non doctrinæ culpa fuerat, sed Apollos, qui nondum ita plene negotium Christi intellexerat. Ita paulò post in 19. capite audiemus & Ephesios illos duodecim uiros, nimirum huius Apollos institutione in religione doctos, respondere se Ioannis baptismo tinctos esse, id est, Ioannis doctrina imbutos, cum reuera non secius docti essent, quam quod cogentur à Paulo primum certius discere quæ esset Ioannis de Christo sententia. Faciunt autem hæc plurimum ad robur eius expositionis, quod baptismus in cap. 19. accipiatur pro doctrina. Porro hic est ille Apollos, cuius ipse Paulus meminit in 1. ad Corinth. 1. & 3. capite honorificam eius mentionem faciens, dum eum inter Euangelij ministros potissimos recenseret. Et certe uir erat immortalitate & æterna gloria dignissimus. Cuius exemplo discimus quæ sint uiri optimi dotes optimæ, nõ utiq; opes terrenæ, sed eruditio, eloquentia, pietas, ardorq; agendi. Sed ne illud quis ignoret, & Apollos puter in tertia Latino-rum inflexione declinandum, Apollos, Apollinis, Apollini, Apollos in quarta Græcorum

Apollo laus.

Ecce hic nulla fit baptismi, sed doctrinæ mentio, ergo baptismus ponitur pro doctrina.

inclinatione, quæ Atticorum uocatur, sic flexitur. In Recto, Apollos, Genitiuo Apol-
lo, Datiuo Apollo, &c. Itaq; in 1. ad Corinth. 1. cap. Ego quidem sum Pauli, ego uero
Apollo, ego uero Cephæ. Apollo Genitiuus est Atticus. Verum hæc minutula sunt &
puerilia, interim tamen propter rudiores annotanda.

Quum autem uellet ire Achaïam, exhortati fratres scripserunt disci-
pulis, ut susciperent eum. Qui quum uenisset, contulit multum his qui
crediderunt per gratiam. Vehementer enim ludæos reuincebat publi-
ce, ostendens per scripturas, quòd Iesus esset Christus.

Commendatio
fratrum.

Pertinent & hæc ad laudem Apollo. At nos interim ex hisdem discimus, quod uiros
spectatæ probitatis & qui frugi sunt ecclesiæ, ecclesijs possimus commendare. Neq; ue-
ro commodum esse, ut quosuis citra optimorum commendationem recipiamus. Plu-
rimum autem ille potuit quod pius esset, & pietati iunxisset eloquentiam cum eruditio-
ne: quæ quidem per se laudatissima, nocētissima fiunt, si incidant in hominē impium.
Elegans est contra futilem loquacitatem caput Gellij in Atticis nocti. lib. 1. cap. 15. Mo-
nuit autem Erasmus particulam *διὰ τὴν χάριν*, id est, Per gratiam, adiectam esse, ut intel-
ligeremus muneris esse diuini quod cōduceret Christianis: uel quod credidissent. Sum-
ma autem doctrinæ Apollo erat, quod Iesus esset Christus, id est uerus Messias & salua-
tor. Atq; hic omnium orationum & epistolarum apostolicarum scopus est.

CAP. XIX.

Factum est autem, cum Apollos esset Corinthi, ut Paulus peragra-
tis superioribus partibus, ueniret Ephesum, & reperitis quibusdam di-
scipulis, dixit ad eos: Num spiritum sanctum accepistis postea quàm
credidistis? At illi dixerunt ad eum: Imò neq; sit ne spiritus sanctus, au-
diuimus. Et ait ad illos: In quid ergo baptizati estis? At illi dixerunt: In
Ioannis baptisma. Dixit autem Paulus: Ioannes quidē baptizauit ba-
ptismum pœnitentiæ, populo loquens de eo qui uenturus esset post
ipsum, ut crederent, hoc est, de Christo Iesu. His auditis baptizati sunt
in nomine domini Iesu. Et quum imposuisset illis manus Paulus, ue-
nit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabāt.
Erant autem omnes uiri ferè duodecim.

Veterū senten-
tia de baptismo
Christi & Ioan-
nis.

Maximas hic turbas semper cum apud ueteres, tum apud nostræ ætatis homi-
nes excitauit. D. Cæc. Cyprianus ad Iubaianum de hæreticis baptizandis, huius loci
præsidio, contendit, semel baptizatos ab hæreticis, denuo baptizandos esse à Catholi-
cis, quod hoc loco dicantur in Christi baptismo esse secundo tincti, qui prius fuerint
Ioānis baptismo baptizati. Diuus quoq; Hieronymus aduersus Luciferianos in prin-
cipio ferè opusculi, Ioannes Chrysoctomus & Beda in hunc Lucæ locum commentan-
tes, existimant & ipsi, duodecim hosce uiros, secundo aqua à Paulo fuisse baptizatos.
Separant enim Ioānis baptismū à Christi baptismo, hac ex causa, quod illius inefficax
pœnitentiæ duntaxat baptismus: huius uero efficax & baptismus remissionis peccato-
rum fuerit, adeo ut nunc Ioannis baptismo baptizati, omnino non sint baptizati, sed
denuo in Christi baptismo rebaptizandi. Iam & nostrorum temporum Catabapti-
stæ ex hoc loco suum dogma de Catabaptismo aduersus infantium baptismum fulcien-
tes, neminem baptizandum esse contendunt, nisi prius crediderit. Hinc enim Paulus
(inquiunt) Ephesios secundo baptizauit, quod ad baptismum primum susceptum,
non uere crediderunt. Proinde quum infantes ad primum baptismum non credide-
runt, adulti iam retingendis sunt. Cæterum ut ueterum opinio (pace ipsorum dixe-
rim) incircumspectior est, ita Catabaptistarum prorsus sibi non constans uanissi-
ma est. Siquidem certo constat ne apostolorum quidem aquæ baptismum efficacem
esse, nisi signo cooperetur fides & electio Dei, quæ quidem non ab homine, sed so-
lo deo

Veterū excussa
sententia.

lo deo confertur. Nihil ergo hic disputamus de interiori spiritus baptismo, quo solus Christus baptizat, sed de externo loquimur baptismi sacramento, quod quidem unicum esse sæpe iam probauimus. Nō enim aliud à Christi baptismo (de externo aquæ loquimur) est baptismus Ioannis. Illi aiunt Ioannis baptismum pœnitentiæ esse baptismum, & non remissionis peccatorum, Christi autem baptismum remissionis esse baptismum. In hoc paralogizâtes quod illud aquæ tribuunt, quod reuera spiritus est. Nam & apostolorum, qui Christi quoq; dicitur, baptismus, peccatum non expiat, nisi fides & electio præeant. Philippus enim apostolus Simonem baptizauit, qui tamen à peccatis minime purgatus est. Significat ergo Christi baptismus peccatorum remissionem conferri per Christum, in quem consignatur baptizatus, ut in hoc uitam quærat, & per fidem uitam suam mutet in melius. Ita enim loquuntur de baptismo sacri scriptores, in primis Matthæus in 28. & Paulus ad Rom. 6. Ista uero si & in Ioannis baptismo significari deprehenderimus, quid prohibebit quo minus eundem dicamus esse baptismum Ioannis qui & Christi est? Audiamus ergo Euangelistarū testimonia, Matthæus de Ioanne testatur, quod dixerit se aqua tantum cōsignare, & illi hæc tessera obstringere qui post se uenturus esset & igni spirituq; baptizaturus, id est, peccatorum remissionem exhibiturus. Lucas uero multas pœnitentiæ, hoc est melioris uitæ formulas, à Ioanne præscriptas, & baptismo additas, exponit. Marcus autē in paucis omnia (ut cætera quoq;) complexus, dixit: Baptizabat Ioannes in deserto, prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Vbi ergo nunc est quod illi aiunt Ioannis baptismum non fuisse remissionis peccatorum baptismum, sed pœnitentiæ duntaxat? Hic enim audimus quod ut Christi siue apostolorum, ita Ioannis quoq; significari pœnitentiam & remissionem peccatorum. Iam uero cum idem utrorūq; sit baptismus, quod externam sacramenti administrationem attinet, consequitur Paulum Ephesios non aquæ baptismo retinxisse. Propterea quod iam secundo baptismo, nihil plus contulisset, quàm illud ipsum, quod iam antea in primo (si baptizati fuissent) collatum erat. Proinde ipsa res clamitat Baptismi nomen hic uariare, & aliud quippiam innuere. De quo postea. Nunc quod Catabaptistarū ogganniunt, Nemini nisi credenti baptismum debere conferri, iam olim explosum est in cap. 8. & 10. historiæ huius. Nam si illi per credentē eum intelligunt, qui uere & ex corde credit, quis ministro ecclesiæ dicet, quando quis credat aut non credat? Si istud ex fructibus & externa confessione colligere uolunt, falli poterunt, quemadmodum & Philippus in Simone mago falsus est, neq; aliud hoc dogmate efficient, quàm quod nemo possit tuto baptizari. Si uero ad externam confessionem omnia dirigunt, quid aliud quàm incredulos quoq; & hypocritas ad baptismum admittunt: id quod cum maiore iunctum fuerit impietate, quàm si infantes, mortuos qui dem originali peccato, sed Christi sanguine uiuificatos ad sacrum admitterent baptismum. Proinde cum alienum à pietate & communi sensu sit dogma illorum, nihil roboris ipsi ex præsentī loco accedit. Aliud enim describit hoc loco Lucas. Nam nunc dicemus de genuino huius loci sensu. Audiuius in cap. 18. (quod ibi ad res Ephesias pertinere monuimus) Apollon fidelem aliàs & magnū in domino uirum, non rite in uera Christi religione imbutum docuisse Ephesi, nimirum quod ipse hætenus doctus erat. Cæterum cum magistro plurima desunt, nihil mirum, si & discipulos plurima fugiant. Iam uero ex omnibus circumstantiis liquet hosce uiros duodecim Apollo fuisse auditores. Descripturus ergo historicus res nobiliores Ephesi per Paulum gestas, ab eo auspicatur, quomodo imperfectum in quibusdam Christianismū correxit. Et modum quidem per quem illis medicatus sit describit. Igitur cum illi se discipulos domini, id est Christianos esse existimarent, qui recta ambularent in uia domini, utpote Apollo tanti uidelicet doctoris discipuli, Paulus uti erat harum rerum expertissimus & diligentissimus explorator, probaturus num sani essent in fide, certissimam admouet probandi regulam, ipsum uidelicet spiritus donum, hoc est fidei maximam uim, quæ ex spiritu est, conscientie securitatem. Nam ad Romanos quinto, Iustificati (ait) ex fide pacem habemus erga deum per dominum nostrum &c. Hanc ergo animi securitatem

Christi et Ioannis baptismus unus.

Catabaptistarū excussa sententia.

Expositio huius loci.

Metonymia,
Galat. 3.

Baptismus do-
ctrina est.

Qualis fuerit
doctrina Ioan-
nis.

Huldrychus
Zuinglius.

indagans quæ non nisi ex uera fide est, interrogat, Num spiritum sanctum accepistis, posteaquã credidistis? Ecce nihil de baptismo aquæ, sed de fide & doctrina interrogat. Non enim dicit: Posteaquam baptizati estis aqua. Hic iam illi produnt ignorantiam suam, & quod in uera religione Christiana adhuc rudes essent, Tantũ (inquiunt) abest ut securi & cordibus simus illuminati spiritus flamine, ut hæcenus nescierimus num sit aliquis spiritus. Volens ergo extorquere erroris causas & obstruere fontem unde ille effluebat, præterea interrogauit, *εἰς τὴν ὕδατος βαπτισθῆτε;* In quid ergo baptizati estis? Obserua autem loquutionis uim. Non inquit, In quo baptizati estis, sed in quod doctrinæ genus inducti estis? Sic superius in 18. cap. audiuius Apollon duntaxat sciuisse baptismum Ioannis, id est, in doctrina Ioannis fuisse institutum. Hi ergo ad doctoris morem & ipsi Ioannis baptismum, id est, doctrinã iactant. Dicunt enim, *εἰς τὸν Ἰωάννην βαπτισμα,* In baptismum Ioannis baptizati sumus. Sed ut ille erraret & Aquilæ institutione exactius didicerat quæ esset doctrina Ioannis: ita & hi accuratius instituuntur à Paulo. Non enim hic abiicit aut contemnendam docet doctrinam Ioannis, ut inefficacem aut imperfectam, sed clarius exponit qualis sit, ostendens illos nondum intellexisse Ioannis doctrinam. Obseruabis autem quod nihil hic de elemento aquæ disputat, sed de doctrinã: ut ex hoc uelut cõsequenti colligere possimus superiora quoq; de baptismo doctrinæ esse intelligenda. Porro istis exponit qualis fuerit doctrina Ioannis. Ioannes (inquit) baptizauit baptismum pœnitentiæ. En tibi iterum non dicit, Baptizauit in baptismo pœnitentiæ, sed *ἐν ἁγίῳ: ἁγίῳ μα.* Et quid hæc loquutio polleat sequentibus exponit, Loquens populo ut crederent in futurum. Duo ergo sunt quæ docuit Ioannes, Pœnitentiam & fidem in Christum, siue Remissionem peccatorum: at cum eadem tradantur doctrina Christi siue apostolorum, ut testatur ipse dominus Luca 24. quis est qui iam non uideat Ephesios istos duodecim uiros non recte institutos fuisse in uia domini, quanquam se recte institutos esse arbitrarentur? Hic ergo cernentes ueræ religionis speciem, sentientesq; Christũ esse pacem & iustitiam nostram, nũc quidem in illum aquæ baptismo, quo hæcenus tincti non erant, consignantur. Ergo protinus etiam ut primitiæ Ephesiorum externo quoq; spiritus sancti baptismate baptizantur, donati linguarum & prophetico munere. De quo dictum est in cap. 2. & 10. Hæcenus autem male instituti melius instituuntur, & baptismo aquæ suscipiuntur in numerũ populi dei. Hunc uero nodum ad hunc ferẽ modum primus soluit felicitis memorię clarissimus uir Zuinglius, qui de hoc loco multo plura & in Commentario ad Galliarum regem, & in opere de Baptismo, contra Catabaptismum, pro puerorum baptismo, conscripsit: è quibus tu si quæ his deesse uideris petere poteris. Quod autem Catabaptistę hic obijciunt, Ergo baptismum præcedit doctrina: nemo negat, sed in adultis, & apud eos apud quos nondum increbuit nomen Christi. At apud quos semel auditum est, uicissim nemo negare potest, parentes de liberorum salute anxios, hosce ad sacrum offerre baptismum, quod audiant deum etiam infantium esse deum. At baptismum ipsum aliud nihil esse quàm signum populi dei. Verum de hac re satis iam disceptatum est. Hæc autem sunt initia rerum à Paulo gestarum in Epheso.

Introgressus autem synagogam, libere loquebatur ad tres menses, disputans & suadens de regno dei. Cum autem quidam indurarentur nec crederent, male loquentes de uia domini coram multitudine, digressus ab illis segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdã. Hoc autem factum est per biennium, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent sermonem domini Iesu, Iudæi simul & Græci.

Pergit reliqua quæ in Epheso gesta sunt describere, & paucis quidem omnia, quod eiusdem generis complura iam sæpius audita sint in superioribus. Libere loquebatur de regno dei, nihil dissimulans aut regens propter Iudæorum metum, Hi cum carnale
Christi

Christi somniarent regnum, Paulus spirituale asserit fore. De quo non nihil dictum in cap. 1. Quemadmodum uero in Antiochia, Pisidiæ, Iconio, Thessalonica & Corintho nulla potuerunt frangi diligentia & institutione, ita hic quoque indurati, omnem celestem contempserunt sapientiam. Ut uero ibi excussis uestibus damnationem in ipsorum deriuauit capita, ita hic quoque deserit illos: tum ne qui illorum malitia conuictis & artibus (parum enim fermenti totam massam fermentat) corrumperetur, tum ne illorum quoque inuidiam magis inflammaret, tum ne impotentioribus rixis ad nihilum profuturis suppeteret ansam. Vnde nos iterum discimus quid cum illis sit agendum, qui ueritatem aspernantur. Cæterum scholam Tyranni cuiusdam ad sacras contiones delegit atque in hac summa diligentia per biennium prædicauit Christum, nec sine maximo fructu. Maxima enim multitudo cum ex Iudæis tum Gentibus maxime, Christo credit. De Tyranni autem schola nihil certi adferre possumus, unde nomini origo, aut cur locus sic dictus sit. Fuit quidem Corinthi Dionysii tyranni schola, cuius in 3. Tuscul. meminit M. Cicero, sed non constat pariter docuisse ullum Tyrannum Ephesi. Attamen hoc satis certum est Lucam locum quendam Ephesi ad docendum accommodum Tyranni scholam dixisse, Erasmus in annotat. suis in testa. no. Suspicor (inquit) fuisse secessum magnatis alicuius, in quo solitus sit otari. Quandoquidem schola Græcis sonat otium.

Vide Roma. 9.
& 11. cap.

Virtutesque non uulgares ædebat deus per manus Pauli, ita ut etiam super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicineta, & recederent ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur.

Verbo iunguntur miracula admirabilia, ut Gentium Iudæorumque animi frangerentur & libentius hæreant prædicati ueritati de salute. Verisimile enim erat istos esse salutis præcones, qui omnes morbos isto nomine quod prædicabant, depellebant. Quod autem de umbra Petri dictum est in cap. 5, idem huc quoque ad sudariola & semicineta Pauli congruit. Semicineta autem succinctoria Grammatici uocant, quæ medium uestiunt hominem.

Miracula.

Tentauerunt autem quidam è circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes: Adiuramus uos per Iesum quem Paulus prædicat. Erant autem quidam filij Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus malus, dixit: Iesum noui, & Paulum scio, uos autem qui estis? Et insiliens in eos homo in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, inualuit contra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis, qui habitabant Ephesi: & incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen domini Iesu.

Vt apud Philippenses dæmonis artes detectas, oportuit magnam ueritati conciliare gloriam: ita hoc loco deo uisum erat misero Exorcistarum exemplo, fraudes dæmonis, & malarum siue curiosarum artium imposturam detegere, & uanam in hæc res fiduciam destruere, atque cor & pectus hominis sibi soli & ueritatis studio consecrare. Quod enim Ephesij Exorcistarum multa moniti territi, curiosæ artis libros exurunt, & deo sese totos consecrant, huius fabulæ est Catastrophe. Porro ἑρκιστῶν Græcis significat adiuro: & ἑρκιστῆς adiurator. Iosephus autem libro Antiquitatum s. capite 2. tradit deum hoc Solomoni tribuisse, ut artem hanc adiurandi aduersus dæmonas ad hominum utilitatem institueret: qua Eleazarum quendam Iudæum præsentem Vespasiano Imperatore usum se uidisse ait. Cæterum quid ei narrationi quam ille de Solomone instituit, tribuendum sit, iudicio Lectorum permitto. Hoc ex præsentis loco constat Adiurationis rationem à filiis Sceuæ usurpatam prorsus non fuisse diuinam. Nam

Aduersus exorcistas.

Verborum Dei
usus ad res pro-
phanas.

explosa est: sed & libri de hisce rebus tractantes postea exusti sunt. Præterea eiusmodi exorcismi & exorcistæ ab omnibus penè ecclesiasticis scriptoribus superstitionis titulo accensiti sunt. Ioannes Chrysoctomus, Dignū est hic admiratione (ait) quomodo dæmon ille non cooperatus est errori illorum, sed refutauit eos, & omnem dolum eorum manifestauit. Mihi uidetur ualde succensuisse, quemadmodum si quis extreme periclitetur à miserabili & ærumnoso quodam refutetur & omnem in illum remittere uelit furorē, &c. Exorcistæ itaq; illi impostores ac magi fuerunt, ex eorum numero, qui circumueunt, & ad quæstum certis ritibus ac uerbis conceptis eijciunt noxios spiritus, quales nobis nonnullos nostro sæculo profudit collegium, quod Lussense uocant. Et maligni isti spiritus iccirco istorum parent præceptionibus, ut plurimos decipiant, & in errore retineant. Mentiebātur illi se hanc artem à Solomone perdidicisse. Si enim quipiam huius tradidisset, nimirum nihil tale tradidisset. Ergo cum magna esset Solomonicæ nominis autoritas, in hoc illum suæ artis fingebant authorem, ut maiorem ex ea caperent utilitatem. Iam uero quamuis ipsi uterentur uerbis, quibus utebantur apostoli, nihil tamen efficiebant. Nam deerat fides, prauum aderat institutum, præterea & institutum domini peruerterant. Nam quæstus gratia sancta uerba aliò torquebant, quæ instituta essent. Iccirco falluntur & hodie quotquot conceptis & sanctis (ut aiunt) uerbis quicquam se effecturos credunt. In hisce enim rebus necessarium est, ut clarum adfit domini præceptum, nihilq; in eo sit uel mutatum uel finistrius usurpatum aut intellectum, deniq; ut mens nostra non aliò quàm fides docet, spectet, ne deprauata sit: utq; fidei lucerna ubiq; præluceat: aliàs nihil effeceris uerbis quantumuis sanctis ac efficacibus. Sed de hac re diximus in capite 16. Præterea huc quoq; illud facit, quod dæmon clamitat, Iesum noui, & Paulum scio, uos autem qui estis? Quod Chrysoctomus exponens, Vos (inquit) non creditis, sed aburentes hoc nomine, talia dicitis. Hæc dicens simul in impostores insiliit, & pœnam de ipsis condignam sumpsit. Iam sequitur Catastrophe, Ea res innotuit omnibus cum Iudæis tum Gentibus Ephesum habitantibus, & incidit timor super omnes, ac magnificabant nomen domini Iesu, quod omnes aduersarias uinceret uirtutes, & quod nullius quæstui aut gloriae seruire uellet.

Multiq; credentium ueniebant confitentes & annunciantes facta sua. Multi autem ex eis, qui curiosas artes exercuerant, comportatos libros exusserunt coram omnibus, & supputatis pretijs illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat sermo dei, & confirmabatur.

Confessio peccatorum.

Hunc locum alij sic exponunt, Credentes uenerunt & confessi sunt, id est, cum gaudio annunciarunt, quid per ipsos patrasset deus. Ergo per τὰς πράξεις facta, intelligunt miracula. Per Confiteri, cum laude proferre. Hoc enim posse quod sequitur καὶ ἀναγγέλλουτες, id est, & annunciantes. Cæterum uideri poterant & de scelerum agnitione exponenda esse, ut intelligamus Ephesios spiritu dei compunctos, palàm indoluisset quod errarint tantopere & tam impie: præterea ingenue confessos, errasse se, & quibus errarint modis quamq; temere uanissimis artibus fidem præbuerint stulti, & id genus alia facta sua, exposuisse. Fieri enim nequit, quin grauiter doleant, & libenter fateantur errasse se & peccasse, qui per exhibitam lucem gratiæ dei ueritatem assequuntur: imò non cessant sese damnare, qui sic resipuerunt. Iustus enim primum accusat sese, ut inquit propheta Proverbiorum 18. Quod ad occultorum confessionem, quam auricularum nuncupant, pertinet, nihil moror eos qui grandia quædam de hac iactantes, ipsi sese non intelligunt. Certum enim est istam neq; Scripturis neq; Verustati notā fuisse, sed nuperum quorundam hominum esse inuentum. Nam ut multa interim transeam infallibilia huius rei argumenta, unicum Ioannis Chrysoctomi, proferam testimonium, qui in 11. ad Hebræos cap. scribens, Non dico (ait) ut te prodas in publicum, neq; ut te apud alios accuses, sed obedire te uolo prophetæ dicenti, Psal. 36. Reuela domino uiam tuam: ante deum ergo confitere peccata tua, apud uerum iudicem cum oratione delicta pronuncia,

pronuntia, non lingua, sed conscientia memoria, & tunc demum crede te misericordiam posse consequi, si habueris in mente peccata tua continue, &c. Sic de occultis peccatis sentit Chrysostomus, e cuius testimonio facile quis deprehenderit, quod nulla fuerit apud eos talis, qualem Pontificij uolunt, confessio. Et posteriorem hunc sensum iuuant ea quae iam sequuntur, Multi autem ex eis qui exercuerant τὰ περίεργα πράξαντων, id est, curiosas artes, comportatos libros exusserunt coram omnibus. Hic enim fructus est eius facinoris quod dominus cum Sceuæ (ut & supra monui) filijs patrauit. Constat autem ex hoc loco Ephesios cariosis artibus fuisse deditissimos. Vnde forsitan pro uerbo locus est datus, Ephesiae literæ, de quo Erasmus. Beda ait per curiosas artes intelligi Magicas, incantationum, diuinationum, curationum, & adiurationum superstitiosarum delirij confertas; quibus Genethliacorum interrogatiunculae & coniecturae addiuanantes accedunt, quas mire persequitur August. in lib. quæst. ueteris & noui testamenti. Idem quæst. 27. uet. & noui testa. & quæst. 6. ad Dulcicium Samuelis exuscitatione uocat sa-
Samuelis exuscitatione.
 thanæ præstigium. Equidem 1. Reg. 28. historia narratur rei illicitæ ac lege prohibita, Deut. 18. Sed de magia satis dictum est in cap. 8. plura etiam apud Plinium lib. 30. cap. 1. et 2. & alibi; mire enim hic Magos ac magicen insequitur. Iam quod pretium attinet librorum, Erasmus monet in annota. Græce scriptum esse ἡγοῦντο ἔσομ' ἀργυρίου μυριάδας πέντε. Id est, Et inuenerunt quinquagies mille nummum. At Budæus lib. de Asse et Part. eius quinto, ista ad uerbum ita legi dicit, Et inuenerunt argenti myriadas quinque, quod interpret (ut ait) recte transtulit quinquaginta millia denarium, non ut Plutarchi interpret in Antonio & Pompeio, millia nummum, pro denariorum millibus, uertens, qua ratione quadruplo minor fit summa. Hæc summa quinque millia aureorum nostrorum (Coronatos intelligit) ualet, ne temere putemus librorum summam à Luca Apostolorum scriba commemoratam. Id enim omnino admiratione dignum tanti libros adiurationum comparatos. Hactenus Budæus, cui & Erasmus in Paraphrasi postea accessit, reddens denariorum quinquaginta millia. Ex hoc autem loco intelligimus quod ueram penitentiam non piget ullarum rerum aduersus deum inuentarum facere iacturam. Nam & Ezechias & Iosias principes optimi aras statuas & ornamenta deorum peregrina inæstimandis constructa impensis, neglecto pretio, confregerunt atque igne concremarunt. Iam & libri hi Ephesij idololatriam respiciebant, proinde digni erant qui exurerentur. Nemo enim negat impios & malos libros esse exurendos. Cæterum bonorum incendium librorum iam olim damnatum est in temerario Iehoiachim facinore. Hic enim præter ius & fas, ut apud Ieremiam extat in cap. 36. Ieremiæ ueras & pias orationes concidit & concremauit: hoc ipso significans nunquam defuturos homines improbos, qui optimos essent combusturi libros. Id si quis hodie non uidet compleri, nihil uidet. Adeo enim sæuit quorundam dira in ueritatem rabies, ut ne à Bibliorum quidem abstineant proscriptioe & incendio. Sed propediem aderit ultor, ille qui inextinguibili igne incendiariorum istos perpetuum torrebit. Sublatis autem rebus superstitiosis & impijs sermo domini & crescebat & confirmabatur. Si ergo in uera animi pietate è medio tulerimus quod deo & legi eius aduersatur, non deerit suis dominus, crescetque uerbum eius.

His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Hierosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam uidere. Missis autem in Macedoniam duobus ex his qui ministrabant sibi, uidelicet Timotheo & Erasto, ipse remansit ad tempus in Asia.

His per biennium (inquit) feliciter gestis in spiritu, id est secum deliberans, apud sese statuit Hierosolymam redire et deinde Romam petere. Aut certe in spiritu dixit quo alligatus erat, de quo audiemus in cap. 20. Præmisit autem ministros suos Timotheum & Erastum, fortassis illum Corinthiorum quæstorem, cuius mentio fit ad Roma. cap. 16. nimirum ut et eleemosynarum (quod et Beda monuit) aliquid illic colligerent, suble-

uandis pauperibus qui erant Hierosolymis, & animos illorum in aduentum Pauli præpararent. Postremo audimus in præsentiarum Asiam usurpari pro ipsa Epheso acclonia in sacris, ut supra quoque annotauimus.

Ortus est autem illo tempore tumultus non exiguus de illa uia. Nam quidam nomine Demetrius, faber argentarius, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præstabat artificibus non exiguum quæstum: quibus conuocatis, & his qui similibus rerum erant opifices, dixit: Viri, scitis quod ex hoc opificio quæstus nobis est, & uidetis & auditis, quod non solum Ephesijs, sed penè toti Asiæ Paulus hic persuasit, & auertit multam turbam, dicens, quod non sint dii qui manibus fiant. Non solum autem hæc pars nobis in periculum uenit, ne reprobetur, uerum etiam ne magnæ deæ Dianæ templum pro nihilo habeatur: futurumque sit, ut etiam destruatür maiestas eius, quam tota Asia & orbis colit.

Miram hoc loco & spectatu iucundam pingit Lucas tragediam, in qua ceu in tabula spectandum proponit crucem ex ueritate emergentem, idololatrarum quoque artes & furorem, conuitia & turbas, cur tumultuentur idololatræ, quid prætexant, quid quærant: breuiter, pugnam religionis & superstitionis, utriusque etiam arma & ingenium, potissimum tamen superstitionis tam probe suis pingit coloribus, ut non frustra dictus sit pictor Ecclesiasticus. Quas enim res pictores, perinde ut si nunc primum gerantur, penicillo exprimunt atque demonstrant, eas ipsas historia descriptionibus atque orationibus suis factas iam narrat atque describit. Vnde & Simonides apud Plutarchum picturam poemata quoque tacens, & poemata loquentem appellat picturam. Id cum stupidi isti monachi nesciant ex Luca medico professione, pictorem fecerunt, cum reuera propter genium historiæ pictor à nonnullis sit cognominatus. Propriissime ergo hunc tumultum descripsit, & primo quidem in genere dixit, Ortus est illo tempore, dum uidelicet Paulus Euangelium profiteretur & abitum pararet, tumultus non exiguus, de illa uia, id est propter religionem Christianam euangelicamque prædicationem. Nam supra monuimus uiam in sacris sæpe usurpari pro religione & instituto. Deinde causas tumultus adeoque authorem ipsum atque ipsam orationem describit, qua ille aliorum mentes ad tumultuandum concitauit. Postremo uero miris modis ipsam pingit seditionem. Porro iam sæpe monuimus Apostolos & ueritatis ministros non esse (sicuti accusantur) seditionum magistros, sed ipsos impios & idololatrias. Idem hoc quoque loco traditur. Nam Demetrius ἀργυροκόπος, id est, argentarius, hoc nominis ab elaborando argento nactus, huius seditionis extitit author, non alia causa ad hanc rem tam periculosa inductus quam avaritia. Cum enim delubra faceret argentea Dianæ, uera autem religio externum condemnaret cultum, non mediocriter quæstui suo timebat. Consilium ergo ex re cepit, quo ueritatem gliscentem opprimat. De hoc consilio pluribus in consequentibus. Nunc uero pauca quædam annotabimus ex authoribus quæ ad hunc locum conducere uidentur intelligendum. Delubra proprie repositoria sunt statuarum, atque etiam templa deorum. Erasmus hunc locum exponens *vaovs* quidem templa significare ait, sed Lucam hic intellexisse ædiculas seu thecas effigie templi, in quibus reponi solerent statuæ. Vnde & Chrysostomus author Græcus, Quomodo (inquit) possibile erat delubra fieri argentea? Fortassis intellexit ædiculas, & coopercula quæ Ciboria uocant. Et M. Varro libro 8. rerum diuinarum, apud Macrobius libro Satur. 5. cap. 4. Sicut locum (inquit) in quo figerent candelam, candelabrum appellatur: ita in quo deum ponerent, nominarunt delubrum. Ego ergo existimauerim Templi aut Delubri nomine omne id comprehensum esse, quod pertinet ad instrumenta ornamentaque templorum: cuius generis apud nos sunt *Tafeln, Särch, Monstrantzen*, & id genus nugæ. De Diana autem

Lucas pictor di-
ctus.

Seditionum au-
thores.

Delubra.

Diana Ephe-
sina.

autem hac ita scripsit Paraphrastes, Erat (ut diximus) Ephesiorum ciuitas magnopere dedita curiosis artibus: & Diana credita est apud Gentes in ueneficijs habere numen ali quod: unde & triformis ab illis dicitur, quemadmodum Hæcate: eorū summa religio- ne colebatur apud Ephesios, Lo, uero Cælius libro 10. cap. 6. eiusdem mentionem fa- ciens, Quia uero triplicem (inquit) uisitationem faciat Luna cum surgit in cornua, & Diana Luna, falcata dicitur, cumq; diuidua est & cum orbe circumacta, hinc propagatum autumāt poëticum commentum de triformi Diana. Vnd fit & Maronis illud decantatū Gram- maticis, diuersēq; pro ingeniorum captu expositum,

Tergeminamq; Hæcaten, tria uirginis ora Dianæ.

Porro Hieronymus in Præfatione in epistolā Pauli ad Ephesios scribit hanc Dianam non esse uenatricem illam, quæ arcū tenet atq; succincta est, sed illam multimammiam, quam Græci *πλιμαδορ* uocant, quamq; ipsa effigie uolebant omnium bestiarum & animantium esse nutricem. De qua copiosiora Politianus in Miscella. cap. 51. ubi & Fe- stum huius deæ ex sententiā Xenophontis Ephesij describit. Diana itaq; hæc apud illos pro ea culta est, quæ omnia uiuificaret atq; aleret: unde & huic solæ urbis suæ tutelam locarunt Ephesij. Hæc de dea, nunc de eius Templo, de quo Democritus quidam, ut re fert Diogenes, integrum librum conscripsit. Iulius Solinus cap. 53. Epheso (inquit) de- cus templum Dianæ est, Amazonum fabrica, adeo magnificum, ut Xerxes cum omnia Asiatica templa igni daret, huic uni pepercerit. Et Plinius hoc plenius describens libro 36. cap. 14. Magnificentia (inquit) uera admiratio extat templum Ephesæ Dianæ, du- centis uiginti annis factum à tota Asia. In solo id palustri fecere, ne terremotus sentiret, aut hiatus timeret, Rursus ne in lubrico aut instabili fundamenta tantæ molis locaren- tur, ante calcatis ea substrauere carbonibus, dein uelleribus lanæ. Vniuerso templo lon- gitude est CCCXXV. pedum: latitudo ducetorum uiginti. Columnæ centum uiginti septem à singulis regibus factæ, sexaginta pedū altitudine. Ex ijs XXXVI. cælata, una à Scopa, &c. Hæc de magnificentia templi Dianæ Ephesæ. Redimus iam ad consilium Demetrii. Is cum sentiret frigere cultum deæ, ac templi opinionem uilescere, conuocat omnes eos qui alebantur templi luxu atq; superstitioso deæ cultu, cuiusmodi sunt picto- res, & qui acu & qui penicillo pingunt, fusores, plastæ, cermatistæ, idolotechni siue sta- tuarij, & similibus rerum nugipolæ, & apud hos seditiosam habuit orationem. Vbi il- lud quoq; annotauit Chrysostomus malignitate permotum istæc coepisse. Abundans enim (inquit) erat: unde ipsi quidem non tantum potuit nocere religio, quantum illis quos non nisi pauperrimos conuocauit, ut tales facilius ad arma permoueret. Nam ta- les quotidiano templi istius opificio uiscitabant. Vtus est autem apud illos oratione ue- hementi. Nam Suasoria est & ab Vrili ac Honesto locis efficacissimis ducta. Præfert au- tem Vtilitatem, quod hac hominum animi plus permoueantur quàm honestate: sed non negligit interim honestatem, ne quid lucri duntaxat gratia dixisse uideatur, & ut tota causa maiorem habeat gratiam & auctoritatem. Cæterum argumētum primum tale est. Illud omnino nobis ferendum non est, quod quæstum & uictū imminuit. Im- minuit autem ea religio quæ à Paulo isto (contemptim legatur) homine nouo tradi- tur. Non itaq; ferendum nobis noxium dogma. Hic uero Assumptionē paulò copio- sius exponit, quasi dicat: Quæstus ac uictus noster paratur idolorum cultu, pictura, & id genus artibus. Cæterum Paulus ille & ipsos deos & ipsa deorum simulachra, imò quicquid in horum instituitur honorem, contemnit & inutilia deoq; ingrata esse do- cet: quæstum ergo ac uictum à nobis tollit. Aduersatur autem hic quoq; locus imagi- nū usui. Nam quis tam uæcors est, ut statuas ab hominibus fufas aut sculptas pro ipfis dijs Demetrium habuisse existimet? Sciebat enim & ipse æreas esse illas, aut metallicas, aut cedrinas, aut uitigineas, aut tiliaceas. Cæterum pro diuinis habebat uenerabūdas, ideoq; propter eos quos significabant, & propter miracula cum plura tum etiā ingen- tia, quæ demonum arte ex illis aut iuxta illas ædebantur, item quod simulachrum illud quod in eo colebatur Templo, e coelo lapsum fama esset. Hæc præterea nostrorū quo- que hominum & aduersariorum uerbi mores & consilia describunt. Videmus enim

Diana Luna.

Vide Macrob. de Sole siue A- polline.

De templo Dia- næ Ephesæ.

Istud biennio diruit Paulus Euangelij præ- sidio, maxima ergo uis & glo- ria est euāgelij.

Consilium De- metrii.

Aduersus ima- ginum usum.

monachorum & sacerdotum concursare collegia, clamitare, Si sic pertexerit ut coepit euangelica fides, iam Missa unâ cum diuorum cultu periit: cessarunt & oblationes, sacrificia, uota, peregrinationes, & omnis generis anathemata. Vnde ergo posthac equos, canes, scorta, famulitium, Sybariticas mensas, bombicinas uestes, ædes amplas, & Adonidis parabimus hortos? Hic ergo omnis generis homines, omnes gradus, breuiter omnes omnium animos in Euangelij concitant odium. Principibus, opulentioribus, & tenuioris fortunæ hominibus, singulis inquâ exponit qua in re ipsis euangelica doctrina incômodare possit: atq; hac in re plusquâ rhetores præstant & plus nimirum officiosi sunt. Iam & ad honesti locum accedimus. Hunc autem superiori pulchra transitionis formula sic attexit. Non solum autem hæc pars (inquit) in periculum nobis uenit, ne reprobemur, uerumetiam ne magnæ Dianæ templum pro nihilo reputetur. Sic enim utili, speciem honesti necit. Nam quid honestius, quid decentius uideri queat, quam publicam pietatem tueri, quam patrii numinis maiestatem defendere? Hanc speciem pietatis mire quam callide ac ueritate, prætexere auaritiæ suæ hodie solent episcopi quidam & prælati, dum sacrosanctæ ecclesiæ autoritatem iactitant, Magnam deiparâ uirginem, templa, simulachra, ac cultum eius instructissimum deuotissimumque irrideri atque conculcari clamitant. Equidem omnia Demetrii uerba, sicut & illorum, eximium pondus habent. Nam Dianam magnam uocat. Templum uero & cultum eius, iam non templum aut simpliciter cultum eius nominat, sed maiestatem eius appellat, & à totius Asiæ reuerentia, quod scilicet ad hanc ex tota Asia conflueret innumera hominum turba, commendat. Quasi dicat, Neque uero uerisimile est tot hominum millia aberrare, neque ferendum ut tam diuturna, sancta, & communi omnium regnorum comprobata religio, ita abrogetur. Quid uero nostri aliquid quirantur? Nihil discriminis in istorum & nostrorum inuenias querelis. Colligimus autem ex hoc loco apud omnes penè Gentes & in religione quauis superstitiosas institutas fuisse ad deos peregrinationes. Nam ut Epidaurum, Delphos & innumera alia transeam loca, certe Asiæ repetebant Ephesum, Israëlitarum uero Bethel, reuera Bethauen, Berseba ac Gilgal. Vnde & apud prophetam legimus, Quærite me & uiuetis, Et nolite quærere Bethel, ad Gilgal nolite intrare, & ad Berseba ne transferitis, Amos 5. cap. Hic enim propheta cum Osea miris modis insectantur istud idololatriæ genus. Atqui neglectis istis omnibus uideas hodie apud istos qui maxime Christiano gaudent nomine, pro una Diana decem colimarias, neque uero uulgari more aut incelebri fama, sed ædificiorum splendore, simulachrorum nobilitate, signorum miraculis, & peccatorum condonationibus, item & locorum delectu ac sanctimonia illustrissimas. Et ut olim una Diana iam Agrotera, mox Corypheæ, deinde Laphyra, item Corythallia, Ephesia quoque Aulidensis & Pergea dicebatur: ita apud nostros uaria Mariæ indita sunt nomina. Alia enim Lauretana, alia Heremitana, alia Aquensis, alia Ripensis, alia Campensis, alia Rosacea, alia Liliaca à uanissimis hominibus propter stultas opiniones superstitionesque est nuncupata. Et ut de Diana uariæ erant fabulæ, cuius generis & illud est quod Ephesiæ simulachrum cælo delapsum dicebatur: ita de diuæ uirginis idolo & sacellis eius uaria traduntur. Hoc enim aiunt ab ipsis angelis ex orientis partibus in extimas occidentis delatum oras: illud uero ab angelis uel fabricatum, uel consecratum, uel auctum, uel ab hostium incurfione defensum. Præterea hoc simulachrum uirginis à Luca pictum, aliud à sancto quoque sculptum, & aliud ab angelis inuentum & reuelatum, item aliud sua sponte, sed miraculose enatum, iam & multa cælo delata esse mentiuntur. Quædam item alia Christi, uirginis & diuorum idola finxerunt esse immobilia, quædam lachrymas profundentia, quædam uero quæ uel pingi uel in alia loca poni reuerint, uel translata redierint in locum pristinum, quale ego quondam celebre hisce manibus meis pio dei zelo commotus in gloriam Christi confregi. Quid quod quædam finxerunt uel animaduertisse in hostes, quædam reddidisse de se fulgorem, quædam manasse cruorem, quædam item sudasse stillas aquæ prægrandes, tremuisse quoque alia? Quis uero omnes omnium nugas recitet? Vana sunt ista omnia, sed propter quæstum nobis sacrosancta, at reuera & huius loci robore prorsus proscripta & à Deo damnata, Erasmus huic orationi Demetriæ Epilogum, à Luca breuitatis gratia omissum,

Peregrinationes ad diuos.

Bethel domus dei, Bethauen domus uanitatis.

omissum, attexens, sic scribit. Itaque si prudentiam esse iudicatis consulere quaestui uestro, si pium esse iudicatis ab iniuria uindicare patrios deos, hic praestare uos fortes uiros, & uenienti malo occurrere.

His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerunt, dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, correpto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.

Hic demum graphice ipsam pingit seditionem, quae ab uno atque altero nebulone incipit, deinde totam urbem inuadit. Tum uero furiantur miseri cum de Diana audiunt & delucris iactura. Tales enim sunt populi mores, qui facile terreri & incitari solet. Populus enim belua est multorum caput & ad omnia facile afficitur. Exclamatio autem & inuocationem complectitur & ulciscendi consilium indicat. Iccirco & Gaium, & Aristarchum Pauli comites corripiunt, ut de ipsis tanquam diuum contemptoribus supplicium sumant. Idem enim his usu uenit, quod Iasoni apud Thessalonicenses. Huius rei gratia & in theatrum protrahunt. Porro theatrum locus erat amplus, sic accomodatus ludis spectandis, ut & multi eminens etiam cernere possent. Grammatici enim Theatrum (in quibus) hemicycli specie constructum erat, ἀπὸ τοῦ θεῶν, quod est uideo appellatum. Latine dici spectaculum potest. In genere uero pro quouis amplo & patenti loco in quo contiones siue comitia celebrantur, dicitur.

Theatrum.

Paulo autem uolente intrare ad populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & ex Asiae primoribus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum.

Hoc facto commendatur nobis constantia, fidelitas ac sapientia Pauli. Nam in hoc in caeterum prodire uoluit, ut comitibus opitularetur, & populo ueram exponeret religionem. Quin & in illis legibus Solonis antiquissimis, quae Athenis axibus ligneis incisae sunt, quasque latas ab eo Athenienses ut sempiternae manerent, poenis & religionibus sanxerunt, legem esse Aristotiles refert scriptam, ad hanc sententiam: Si ob discordiam seditio populi in duas partes fieret, tum qui in eo tempore in eoque casu ciuili discordiae non alterutra parte sese adiunxerit, sed solitarius separatusque a communi malo ciuitatis secesserit, is domo, patria, fortunisque omnibus careto, exul extorrisque esto. Voluit ergo pro sapientia & animi sui constantia in globum furientium irruere, si forsitan praesidio uerae religionis tumultuantes posset componere atque sedare. Sed aliud uisum est Christianis & quibusdam Asiae primoribus quibus Asiatici mores erant perspiciores. Iis autem apostolus obsecundabat, qui nullibi in rebus externis sui sensus tenacior aut plus equo praefractor fuisse legitur. Expeditabat hic secum furienti populo neminem ulla oratione aut expurgatione quantumuis luculenta posse satisfacere, denique periculum in re tam anticipi susceptum euangelico negotio parum commodare at incommodare plurimum posse. Prudenter ergo sua discedens sententia aliorum obsecutus est consiliis. De lege autem Solonis qui plura eaque lectu utilia & iucunda uelit, legat Gellij noct. Atti. lib. 2. cap. 12.

Cur Paulus se
seditio miſce
re uoluerit.

Paulus aliorum
conſilij obse-
cutus.

Alij quidem igitur aliud clamabant. Erat enim concio confusa, & plerique nesciebant qua ex causa conuenissent.

Veluti hypotyposis est dissensionis. In hac enim istud in primis culpandum est, quod exclusa omni ratione, omni consilio omnique prudentia, affectus quorumlibet dominantur imò tumultuantur, dum quisque sui animi consilium omnibus obrudere contendit. Nihil ergo in quauis urbe calamitosius, nihil in ulla gente pestilentius est, quam ciuili & intestina seditio, quam & Arbiter Petronius eleganti hoc carmine ad hunc modum depinxit. Intremuere turbae ac scisso Discordia crine Extulit ad superos stygium caput, huius in ore Concretus sanguis contusaque lumina flebant. Stabant irati, scabra rubigine dentes. Tabo lingua fluens, obsessa draconibus ora Atque inter toto laceratam pectore uestem Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextra.

Quantum ma-
lum seditio sua
discordia.

Ex quibus omnibus constare potest quàm sit diligenter & assidue laborandum, ut istiusmodi seditiones atq; discordias effugere possimus, quoniam id à Catone ciuitatis uenenum uerissimè est appellatum, sicuti & M. Agrippa asserit, qui multum se debere Salustianæ sententiæ professus est, quo loco egregie ac prudenter inquit, Concordia parua res crescunt, discordia maximæ dilabuntur.

De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, uolebat rationē reddere populo. Quem ut cognouerunt Iudæum esse, uox orta est una omnium, fermè ad horas duas clamantium, Magna Diana Ephesiorum.

Censent alij Alexandrum hunc instructum fuisse à Iudæis ad dicendum pro Paulo & suis. Alij uolunt ab hostibus Pauli fuisse institutum, ut cōtra Paulum diceret, sed tumultum ita incruduisse, ut iam ne ipsi quidem seditionis auctores quicquam in tanta (ut fit) potuerint frequentia. Vt cumq; uero res habeat, hoc certum est, ne Iudæos quidem Dianam coluisse: ea de re parantem dicere noluerunt audire, & in priore perstiterunt exclamatione.

Quum autem sedasset scriba turbā, dixit: Viri Ephesij, Quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri? Cum igitur his nemo contradicat, oportet uos sedatos esse, & nihil præcipitanter agere. Adduxistis enim homines istos neq; sacrilegos, neq; contumeliosos in deam uestram. Quod si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem de rebus alijs quæritis, in legitima concione dirimetur. Nam periculum est, ne seditionis hodiernæ rei fiamus, cum nulla subsit causa, unde poterimus reddere rationem concursus istius. Et quum hæc dixisset, dimisit concionem.

Sedatur seditio.

Dominus qui leonum committat ferociam & tumultuantes maris componit procellas, idem & ferocientem componit concionem, ne illa uel in multorum innoxiorum, uel apostolorum ac apostolicorum uergeret detrimentum. Facit autem illud opera scribæ Ephesij, boni, ut apparet uiri: quamuis sint qui scribam impetrasse credant silentiū, porro Alexandrum perorasse. Oratio autem qua ille siue scriba urbis, siue Alexander Iudæus fuit usus, elegans est, & ad persuadendum, imò sedandum tumultum aptissima. Nam principio quo citius tranquillaret multitudinem, Dianæ nomine insanientem, mox à commendatione pietatis Ephesiorum exorsus, indicat neminem esse qui ignoret Ephesios esse cultores magnæ Dianæ, & simulachri non cuiusuis, sed à Ioue delapsi. Quasi dicat, Quorsum uero pertinet hæc uociferatio, cum nemo neget Dianā esse magnam, aut simulachrum eius coelitus esse delapsum. Duo autem in primis obseruanda annotauit hoc loco Erasmus. Prius, Græce legi *νεωκόρον*, ubi nos legimus cultricem. Illam autem uocem compositam esse ex *νεω*, quod Attice sonat templū, & *κόρον* purgo siue uerro, authoribus Hesychio Etymologico & Suida. Solere autem qui impensius dediti sint alicui diuæ, aram illius uarijs ornamentorum generibus cohonestare, quem admodum facit apud Apuleium Psyche. Posterius, *Διοπεποις* non ad Dianam referri, sed ad *ἑγάλμα*, id est statuam Dianæ quæ hic intelligatur. *Διοπεποις* autem Græcis dici, quod à Ioue delapsum sit ac è cælo uenerit. Opifices enim simulachrorum, quo maior esset superstitio uulgi, finxisse ea coelitus esse delapsa. Cuius generis infinita confinxit mendax monachorum colluuias, quibusdā etiam in monumenta relatis. Numa idem de Ancylibus persuasit Romanis. His autem ad hunc modum præmissis mox ipsum orationis suæ statum, & quid ab eis impetratum cupiat, subiūgit, & ait: Cum his igitur
nemo

nemo contradicat, oportet uos sedatos esse, & nihil præcipitanter agere. Rursus ne ob captiuos tumultuarentur purgat eos ac dicit, Nec est quod propter istos (ceu iusta ex causa) concurratis, ut de ipsis tanquam deæ contemptoribus sumatis pœnam. Neque enim sacrilegi neq; blasphemi sunt aduersus Dianæ numen. Est autem sacrilegium fur- *Sacrilegium et sacrilegi.* rum rerum dijs consecratarum. Et quanquam nihil sacrilegij admisissent apostoli, nisi forsan dixeris sacrilegium, quod diuis docerent nihil prorsus esse dedicandum aut offerendum, tamen à blasphemia (ut interim blasphemiam uocemus) in fictos Gentium deos non erant alieni: dicuntur ergo hæc ad sedandam furientis populi turbam. Hodie nihil perinde impingitur euangelij studiosis ac illud quod blasphemi sint in diuos, & sacrilegi in diuorum ædes seu peculatores facultatum ecclesiasticarum. Cum reuera hi non sint sacrilegi qui tradunt simulachra, quæ oculos habent & non uident, nares & non odorant, ora & non comedunt, membra & non frigent, minime honoranda esse uel lumine, uel thure, cibo, ueste aut alio quopiam munere, quin potius uiuis dei simulachris pauperibus talia esse offerenda. Illi ergo digniores sunt hoc cognomine, qui ecclesiasticis opibus ad luxum abutuntur & pauperes interim inedia perire sinunt. Sed de hac re alias. Hinc uero tacite carpit Demetrium & reliquos conspirationis socios, quod rem quam sine tumultu coram iudicibus agi oportuisset tam seditiose & præcipitanter egerint. Hoc autem agit dum suadet petendos esse forenses conuentus, & ad proconsules prouocandum. Id quod & honesti speciem habet. Postremo deterret etiam ab instituto, tandem ceu epilogo colligens, Cum ergo nulla causa iusta sit, ob quã tam furiose concurratis, profecto periculũ est, omnes nos hodie, si sic furere perrexerimus, seditionis reos fieri, & iccirco dignos quoq; qui secundum leges puniamur ab Imperatore. Hac oratione adeo furientis populi animos flexit atque sedauit, ut quisq; eo unde uenerat rediret, delusa interim spe Demetrii. Hinc autem liquet quanta sit iustæ eloquentiæ laus, de qua Cicero egregia quædam conscripsit de Oratore libro 1, quæ & mirifice huc quadrant.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER V.

PROOEMIUM.



Hoc in libro explicabimus quartam illam Pauli peregrinationem, qua is Macedonia & Achaia ecclesias reuifit, iterumq; in Asiam soluit, Troadem delatus, in qua Eutychem qui inter concionandum e tertio ceciderat coenaculo, restituit, postea uero aliquot urbibus emensis Miletum uenit, in qua mire eleganti ac pia, nec minus utili oratione presbyteros Ephesiorum & circũiacentis agri instituit. A quibus tandẽ auulsus, & per uarias mediterranei maris insulas Cæsaream delatus, postremo Hierosolymam deuenit. Hic porro audiemus quomodo fratrum precibus euctus uotum suscepit, templum ingressus, ibi à Iudæis, tumultu excitato, captus, & iam iam ab ipsis interficiendus, à tribuno Lyfia, e manibus eorum ereptus sit. Rursus quomodo permittente Lyfia apologiam apud Iudæos frustra pararit: deinde uero ad Ananiam productus uapularit, interim ipsis inter sese Phariseis ac Sadduceis hostiliter digladiantibus. Audiemus præterea quomodo structas sibi insidias declinavit, & armata militum manu cinctus Antipatrida deductus, tandem Cæsaream uenit ad præsidem Iudææ Felicem, coram quo & causam suam accusante ipsum Tertullo oratore graui, egerit, adeoq; & euicerit, sed in gratiam Iudæorum nihilominus in uinculis sit detentus.

CAP. XX.



Ostquam autem cessauit tumultus uocatis ad se Paulus discipulis, complexusque illos profectus est, ut iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas & exhortatus eos fuisset multo sermone, uenit in Græciam: & ibi peractis mensibus tribus, cum essent illi structæ insidiæ à ludæis soluturo in Syriam, habebat in animo, ut reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum usque ad Asiam Sopater Berrhoeensis, Thessalonicensium uero Aristarchus, & Secundus, & Gaius Derbeus, ac Timotheus: Asiani uero Tychicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, expectarunt nos Troade: nos uero ab nauigauimus post dies azymorum à Philippis, & uenimus ad eos Troadem intra dies quinque, ubi demorati sumus diebus septem.

Vetus translatio habet, Exhortatusque illos ualedixit, nimirum quod maxima affinitas sit inter *παρακαλεσάμενος* & *προσκαλεσάμενος*. Hoc autem significat complexus est, illud uero exhortatus est. Vnum ergo in alterum mutari librorum incuria potuit. Sanè uetus interpretatio probatur & Chrysofomo dicenti, Ab hoc tumultu multa consolatione opus erat. Hoc sanè & facit. Erasmus in Paraphrasi utrunque exponens ait, Exhortatus est eos, ut constanter pergerent in his quæ cœpissent, & complexus illos, ac uale dicto profectus est, ut iret in Macedoniã. Neque in hac aliud agere, quam fratres uoluit confirmare. Idem & in Græcia hoc est Achaia fecit: uerum insidias declinans in Macedoniam redit, ut inde soluat in Asiam. Quod autem Pauli comites non citra eximiam laudem nominatim recitantur, indicat quanta sit Euangelij gloria & quanta Pauli auctoritas, cui tot eruditi ac pii uiri adhæserint: quorum ille uicissim magnam habuit rationem, longa experientia edoctus, quantum bonum sit, doctum & pium reperisse, aut ad manum habere uirum, quoties id ecclesiarum postularit necessitas. Hi autem præcedentes procurarunt ea in Asia quæ uidebantur necessaria: expectantes Paulum unam cum reliquis, in quorum numero & Lucas fuisse uidetur, Troade, quò & non multis post diebus Paulus secundis deuenit uentis.

Plinius libro 4.
cap. 7.

Vno autem die sabbatorum cum conuenissent discipuli ad frangendum panem Paulus differebat eis, profecturus postridie, protraxitque sermonem usque in mediam noctem. Erant autem lucernæ multæ in coenaculo, ubi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescens nomine Eutychus in fenestra, quum degraquaretur somno profundo, differente diu Paulo, magis depressus somno, decidit ex tertio coenaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Cum descendisset autem Paulus incubuit super eum, & complexus dixit: Nolite turbari, anima enim eius in ipso est. Cum ascendisset autem, fregissetque panem, ac degustasset, diu colloquutus usque ad diluculum, ita demum profectus est. Adduxerunt autem puerum uiuentem, & refocillati sunt non mediocriter.

Obiter & in transcurso describit hoc in loco & disciplinam ecclesiasticam, & miraculum quoddam non uulgare. Ad disciplinam ecclesiasticam pertinet, quod sabbatorum die conueniunt, quod prædicationem audiunt, & panem frangunt. Videntur autem hæc dominica die esse gesta, & Vna sabbatorum (ut & in euangelica historia & 1. Cor. 16.) positum esse pro prima. Video enim & Hieronymo aduersus Vigilantium placere Vna die positum esse pro Dominica die. Per Fractionem autem panis aliud nihil intellexit,

Dominica dies.

Fraçtio panis.

intellexit, quàm ipsa (quod & Beda sentit) Christianorum mysteria, distributionē corporis & sanguinis Christi mystici, quæ distributio sine oratione & diuini uerbi prædicatione esse non potest. Siquidem dominus instituit, ut frangentes panem, in memoriam mortis suæ frangamus. Et Paulus, Quotiescunq; (ait) comederitis de hoc pane & poculo hoc biberitis, mortem domini annunciabitis. Verbo itaq; docenda est mors & redemptio Christi, qua & excitetur gratiarum actio, peccatorum agnitio, & fides in Christum. Nulla porrò mentio hic fit ullius aræ, cantus, Missæ, sed prædicationis & eucharistiæ. Sed de hac re dictum est in cap. Act. 2. Quanquam hic locus superiorem confirmet, quod tanto iam elapso tempore detritoq; in euangelica prædicatione Paulus nihil noui assuit ritui ueteri. Videbat enim id longe absolutissimum esse quod ipsa dei sapientia Christus discipulis suis tradiderat. Atq; utinam & hodie sacrosanctum illud Christianorū mysterium, auctioribus & additamentis non ita locupletassent quidam, imò deprauassent. Non piguit Paulum prædicationi totam insumere noctem: at isti in finitas etiam suarum Missarum myriades celebrantes, ne semel quidem mysteria Christi uera & euangelica prædicatione rudi populo exponunt. Tota ergo religio ipsumq; sacrum mysterium apud illos ad circulatoriam, gesticulatonesq; corporis, ac ceremonias inanes, deniq; ad infrugiferam conceptorum uerborum recitationem redactum, nihil commodi adfert spectatoribus, nisi quis ornatu, quo apud istos omnia admirabilia sunt, afficiatur. Illud quoq; annotandum Fractionem panis & uerbi dei prædicationem nec loco nec tempori alligatam esse. Hoc enim noctu fecit Paulus, quod nos die solemus. Præterea non in templo, sed in cœnaculo domus forte oblata. Christum suis & prædicauit & dedit. Hoc non dixerim quod putem morem nostrum malum esse, sed ut indicem liberum esse ecclesijs, de tempore & loco discernere. Id quod ipse etiam Augustinus in epistola ad Ianuarium, quæ ordine us, est, liberum esse uoluit. Porrò nemo audiens hic lucernarum mentionem fieri arbitrabitur istas religionis gratia fuisse accensas. Nam ipse quoq; Hieronymus Vigilatio respondens, negat cereos alia causa accendi in ecclesijs quàm ad solatium nocturnæ caliginis. Et Lactantius lib. Institut. de uero cultu 6. cap. 2. Num igitur (inquit) mentis suæ compos putandus est, qui auctori & datori luminis candelarum ac cerearum lumen offert pro munere? Aliud uero ille exigit à nobis lumen, & quidem non fumidum, sed (ut ait poëta) liquidum atq; clarum, mentis scilicet. Et quæ sequuntur. Cæterū ad miraculum pertinet restitutio Eutythis, quem Latine uocare posses Fortunatum, in quo nonnulla nobis traditur socordiae increpatio ac pœna. Beda, Inter uerba (inquit) prædicationis occurrit occasio sanationis, ut dulcedine miraculi, & doctrinæ sermo firmetur, & uigiliarum labor arceatur, & memoria magistri iam discessuri penitus infigatur. Vbi ergo ille decidisset, accursum est (ut fit) à cæteris, sed repertus est mortuus, ac sublatus in domum. Id ubi cognouit Paulus, descendit, & nihil arrogantius iactans, sed cum humilitate accedens, ad Helix prophætæ exemplum, incuruato corpore incubuit super eum, ueluti complexu suo fouens exanimem. Atq; hic diuina uirtute restitutus sibi Fortunatus, respirare cœpit. Qua re moerentes consolatus Apostolus, rursus ascendit cœnaculum, ac tum primum distribuit sacrosanctum symbolum, ipseq; sumpsit cum cæteris. Deinde uero interruptum redintegrans sermonem, hunc usq; ad diluculum protraxit ita demum profectus est. Pudeat ergo nos nostræ inertiae, qui ne in die quidem uerbum domini audimus, imò si aliquoties audire contingat, uix horam aut dimidiatam patienter audimus. Omnis mora in concionibus nobis molestissima, at in conuiujs aut spectaculis ludicris nulla satis longa est. Nemo in his dormit, nemo frigus aut æstus caussatur ut in concionibus sacris. Adeo increuit malitia nostra.

Nos autem conscensa naui soluimus Asson, inde excepturi Paulum. Sic enim ordinauerat ipse per terrā iter factururus. Cum autem conuenissemus Asson, recepto eo uenimus in Mitylenen. Et inde nauigantes, sequenti die uenimus contra Chium. Postridie uero appulsi

De lucernis in
æde sacra.

Socordie incre
patio.

Sermo salutis
nō debebat esse
ocasio mor
tis.

mus Samum, & commorati Trogillij proximo die uenimus in Mile-
tum: proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne tempus
tereret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, ut diem penteco-
stes ageret Hierosolymis.

Labor Pauli.

Nulibi comperias Paulum fuisse delicatulum: ergo hoc loco pedes iter instituit, pro-
fus episcopis nostris dissimilis, qui nisi equis selectissimis aut uehicularum Perfico luxu in-
structis uehantur, maiestatem prælaticam uiolari atq; dehonestari credunt. Reliqua pe-
tantur ex Epitome. Porro Hierosolymam propterea contendebat ad pentecostes per-
uenire diem, quod tunc, ex more, frequentior esset ex omnibus Iudææ partibus con-
cio. At qui priusquam solueret, Asiaticis episcopis ecclesias ita commendare uoluit, ut
omnes posterius in hoc exemplum ac institutionem haberent, quid sequi deceat. Lucas
ergo rem nobilissimam mira describit diligentia.

A Mileto autem missis Ephesum nuncijs, accersiuit presbyteros
ecclesiæ: qui cum peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo
die quo ingressus sum Asiam, quomodo uobiscum per omne tempus
fuerim, seruiens domino cum omni animi humilitate: cumq; multis la-
chrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum,
ut nihil suffugerim eorum quæ essent in rem uestram, quin annuncia-
rem uobis, & docerem uos publice ac per singulas domos, testificans
Iudæis simul & Græcis, eam quæ erga deum est, pœnitentiã ac fidem,
quæ est erga dominum nostrum Iesum.

*Episcoporum in-
stitutio.*

Oratio ergo Pauli quam hoc loco descripsit Lucas, supra modum elegans est nec mi-
nus utilis, in primis (ut diximus) ijs, qui præfecti ecclesijs satis periculofam sustinent
provinciam, qui si sapiunt & sibi consultum uolunt hanc Pauli orationem noctes atq;
dies animo uolunt. Cæterum expositoria est, plurimum ubiq; habens exhortationis
& consilij immixtum. Huc tamen referuntur omnia, ut in sana ueritatis doctrina per-
maneant, hanc ecclesijs fideliter dispensent, labores non horreant, sua non quærant,
& ab hæreticis caueant, sed & omni parte bene aduigilent. Vbiq; autē (pro more suo)
immiscet causas, & stimulos, ut persuadeat. Tota uero paternum quendam & amore
maximaq; cura flagrantem respicit animum. Quemadmodum ergo diximus, tota hac
oratione sua Paulus aliud non docet quàm quales esse debeant episcopi, hoc est, mini-
stri Euangelij, quibus animarum salus credita est. Cuius rei ut exemplum habeant, sei-
psum imitandum proponit. Res itaq; suas breui enumeratione exponit, ut quid ipsos
deceret in promptu haberent, quos successores in labore uerbi dei relinquebat. Princi-
pio autem citra omne lenimen aut exordij blanditias auspicans ab ipsa re, coram illis
quibus ueritas charior esse debebat, quàm ut pluribus essent oratione instructa permo-
uendi, dicit, Non est necesse, fratres, ut multis fidelitatem Asiaticis ecclesijs in ministe-
rio uerbi exhibitam uobis commendem. Ipsi enim nostis quomodo seruiuerim dño,
quid passus sim, & quanta diligentia & sedulitate egerim omnia. Seruiui enim illi *μετά*

*Modestia
Pauli.*

πάσης ταπεινότητος cum omni inquam animi modestia, nihil altius de me sentiens,
sed ad exemplum præceptoris Christi humilis & omnibus inseruiens, multa etiam ab
aduersarijs uerbi patiens, quorum tamen duritia plures excussit lachrymas quàm exe-
crationes. Et quanquam multorum urgerent insidia, nihil tamen ueritatis subtraxi uo-
bis, aut territus afflictionibus, quicquam uel periculi uel laboris detrectaui, sed quæ-
cunq; ad salutem uidebantur necessaria priuatim & publice tradidi, ut cunq; se ferebat
occafio. Iam uero ut summam quoq; Euangelicæ prædicationis collectam attexeret,
subdit, Testificans Iudæis simul ac Græcis eam quæ ad deum est pœnitentiã siue re-
uersionem, & fidem quæ est in dominum Iesum. Duo ergo sunt quæ Euangelio tradun-
tur, Pœnitentiã, quæ animi & uitæ est resipiscentia; & Fides, quæ est firma in Christum
Iesum

*Summa euan-
gelij.*

Iesum mortuum & exuscitatum fiducia. Quæ quidem non Iudæis modo, sed omnibus Gentibus prædicanda sunt. Sed de istis omnibus copiosius dictum est in epistola ad Romanos. Loci autem qui hinc colliguntur hi sunt. Quod apostoli omnem nobis ueritatem exposuerunt. Quod nihil aliud quam uitæ innocentiam & fidem docuerunt. Quod qui pie in Christo uiuere uolunt persecutionem patiatur. Nihil ueri à uiro pio ac forti mortis metu detrectari. Humilitatem animi deo placere, 1. Pet. 5.

Et nunc ecce ego alligatus spiritu, proficiscor Hierosolymam, quæ in ea obuentura sunt mihi ignorans, nisi quod spiritus sanctus per singulas ciuitates testificatur dicens, quod uincula & afflictiones me manent. Verum nihil me mouet: neque uita mea chara est mihi ipsi, ut consummem cursum meum cum gaudio, & ministerium quod accepi à domino Iesu ad testificandum euangelium gratiæ dei.

Quorsum uero hæc tam alte repetita pertinent? Huc nimirum, quod iam discessurus sum, amplius non rediturus. Volui ergo prius commendare uobis ecclesias. Cæterum alligatum se dicit spiritu, qui ductu spiritus uoluntati domini obtemperabat, atque uolens hunc monitorem ductoremque sequebatur. Idem spiritus per ora sanctorum hominum in singulis urbibus per quas proficiscebantur, palam testabatur Paulum Hierosolymis in uincula esse coniiciendum. Iam uero ne nimium tristarentur consolationis uice subiungit, Nihil autem curo uincula, aut ipsam etiam mortem. Nam ipsa uita mea temporalis, non est mihi charior Christo ac ueritate, in quo æternum uiuam, si in finem usque non deero functioni mihi impositæ. Neque uero aliud mihi cordi est, quam ut fideliter exequar munus mihi impositum, ut gratiam inquam dei per Christum orbi exhibitam summa propagem sedulitate & animi promptitudine. Hæc obsecro legat episcopi qui metu mortis adeo pauent, ut ab omni prorsus ueritate resiliant. Mors equidem amara est, & carni plus quam dici possit horribilis, sed confortanda mens cælestibus bonis, quæ proculdubio consequuntur qui terrestria contempserint. Si uel moriendum fuerit uel prodenda ueritas ac uiuendum, mortem potius quam uitam eligere debes. Nam salus tua tibi uita charior erit, si sapias. Itaque & Paulo ministerium suum uita sua sibi erat charius. Malebat hanc periclitari, quam illud non exequi strenue. Obserua autem admirabile dei consilium, quo fit, ut Apostolus qui hæcenus toties fugerat, & discipulorum precibus obtemperans sese subduxerat, nunc omnium preces surda aure trahat, & uirtute dei intus rapiente, ad supplitij locum properet. Id ceu per nebulam uiderat qui dixit, Fata uolentem ducunt, nolentem trahunt.

Et nunc ecce ego scio, quod posthac non uidebitis faciem meam uos omnes, per quos transiui, prædicans regnum dei. Quapropter confessor uos hodierno die, quod mundus ego sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annunciarim omne consilium dei uobis.

Redit & absoluit quod prius cœperat, nam hic demum absoluitur sensus, qui hæcenus suspensus fuit. Hoc autem dicit, tam alte petito principio iccirco usus sum, quod spiritus sancti instinctu certo edoctus noui quod faciem meam, id est meipsum, posthac amplius non sitis uisuri. Volui ergo istis protestari prius, quod quicquid ad ueram absolutamque pertinet pietatem plene tradiderim, ut nunc omni culpa caream si quis uestrum aliud doctrinæ genus sequens perit: sua enim culpa, non mea perit. Ego enim ab omnium sanguine purus sum. Vsurpauit autem Sanguinem sicuti in 13. cap. audiuius, sed & alludit ad tertium caput Ezechielis prophetæ. Miror autem quid ad hæc usque adeo aperta respondere possint, qui garrunt apostolos non omnia omnibus tradidisse: iccirco multa plurimos post annos à Consilijs & patribus esse adiecta, quæ & ipsa sint ad salutem necessaria: quæ tamen si hæc conferantur quæ apostolorum literis & gestis prodita sunt, ex diametro, ut aiunt, dissident.

Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos spiritus sanctus posuit episcopos ad regendum ecclesiam dei, quam acquisiuit sanguine suo.

Episcoporum officium.

Postquam ergo exposuisset quod posthac ipsum non essent uisuri amplius, & quod omnia ea tradidisset quæ ad salutem consequendam pertinerent, nunc nudato pectore & uerbis apertissimis hortatur, ut in suscepta & confessa ueritate ipsi persistant, & in hoc toti sint aduigilentibus ut in eadem & ipsorum perseuerent ecclesie. Primum enim est ut quisque sibi ipsi persuaserit quod alijs persuasum cupit. Porro fideles Gregis cognominat uocabulo, idque per allegoriam ex prophetis & uerbis domini petitam. Notissima enim sunt quæ Ezechiel de hac re scripsit in cap. 34, & quæ ipse dominus apud Ioannem dixit in capite 10, atque 21. Plurima autem simul miscet, quæ ad uigilantiam ipsos excitent. Huius generis est, quod dicit, Attendite gregi, cui præfecit uos spiritus sanctus, ipse inquam deus. Quasi dicat, Maximus & potentissimus, imò & oculatissimus est princeps cui seruitis, accuratius ergo seruite, memores eius cuius serui estis. His palam iungit nomen rei, dicens, In quo uos posuit episcopos. Nunc enim episcopos uocat quos paulò

Episcopi nomenclatura.

ante uocarat presbyteros. Est autem ἰπισκοπος, id est, episcopus, speculator & obseruator & custos & præfectus. Cicero enim ad Atticum libro 7. Vult enim me (ait) Pompeius esse quem tota hæc Campania & maritima ora habeat ἰπισκοπον, ad quem delictus & negotij summa referatur. Athenienses quos ad stipendiarias subditasque ciuitates mitterent, ut quid in quaque ageretur diligenter inspicerent obseruarentque, Episcopos dixere & φίλακας. Præfectos annonæ iureconsultus Archadius episcopos nominauit. Sunt qui ἐπι in eo nomine redundare arbitrentur, de quorum numero est Eustathius Homeri interpret, & σκοπός & ἰπισκοπος idē esse: at reuera deriuatur ab ἰπισκοπέω con-

Congrue gubernantes.

sidero, uel ἰπισκοπέω uisitare. Inde iam est Episcopus, οὗς οἱ λάκωνας (ut ait Suidas) ἀρμους ἐλέγοντο, id est quos Lacones uocant Armostas. Ad expositionem quoque huius pertinet quod sequitur in Luca, περιμαίνεσθε, quod plerique uerterunt regere siue ad regendum ecclesiam dei: uerum id uerbi superciliosius est quam quod huc pertineat, maxime nostris temporibus, in quibus episcopi nostri episcopatum aliud non esse putant, quam dominandi libidinem. περιμαίνεσθε ergo est pastorum more gubernare & curare, siue pascere, id est uerbo ueritatis reficere. Sumpta metaphora à pastoribus, idque ad præscriptum (ut diximus) prophetarum & uerborum Christi, quæ postea Petrus clarius expressit in priore sua epistola cap. 5. Quin hic quoque adijcitur, Ad pascendum ecclesiam dei. Iam ergo ecclesiam uocat quam superius gregis nomine adumbrarat, Ecclesiam autem dei, Ecclesia enim dei est, non hominis pastoris. Pastor alienarum ouium pastor est, non suarum. Oues dei sunt, cuius ille (ni mercenarius & prædo sit) imperijs subest, &

VOS AUTEM NON SIC.

ecclesie minister, non dominus est, qui pabulo uerbi domini gregem reficere debet. Dominus enim Iesus pro ecclesia mortuus est, & hæc proprio sanguine purgauit, ipsamque sibi in coniugem copulauit, ut ipse in Ephesijs 5. capite docuit. Non est igitur committendum, ut merx tam care empta deo, pastorum pereat negligentia. Hæc porro Episcopis Pontificijs laruam ita detrahunt, ut nisi iam olim illorum animi in superstitione, mendacio, auaritia & luxu obriguissent, sortis suæ plus quam pigeret puderetque.

Aduersus pseudopphetas.

Ego enim noui hoc, quòd ingressuri sint post discessum meum lupi graues in uos non parcentes gregi. Et ex uobis ipsis exorientur uiri, loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se, propter quod uigilate, memores quod per triennium nocte & die non cessauerim cum lachrymis monere unumquemque.

Aduersus pseudopphetas.

Causam subiungit cur tam anxie hortetur ad uigilantiam, quod scilicet certo norit impostores plurimos fore exorituros. Imò quo magis istorum, imò omnium nostrum mentes excitet, periculum ipsum maxime auget, & metaphora ex uerbis Christi petita, extollit, dum istos lupos appellat, nec quosuis, sed graues, id est rapaces, quos Germani

Germani uocamus *wirwölff*. Christus enim Matth. 7. Attendite (inquit) uobis à falsis prophetis, qui ueniunt ad uos in pellibus ouillis, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Lupis autē peculiaris est uoracitas. Notat ergo scriptura inexplibilem pseudoprophetarum ingluuiem & auaritiam, utpote quibus ipse dominus Iesus et uita æterna (huius enim se uenditores iactitant) obolo uenalis fit. Imò ne quis allegoriam minus intelligeret, eius expositionem subiungit & ait, Ex uobis ipsis, id est ex ijs qui se Christi discipulos & ecclesiæ membra iactant, exorientur uiri (ecce hi sunt isti lupi) docentes *diuina uerba*, id est distorta & obliqua, hoc est, minime simplicia minimeq; sincera. Talia em̄ sunt hereticorum dogmata, ut si scripturis conferantur, aut dissideant ex diametro, aut à simplicitate plurimum uariant, et ad humanas affectiones inclinent adeoq; & lectorū conscientias intricent. Iccirco autem in pura simplicitate Euangelica non persistunt, quod aut sua quærunt, aut alij uideri uolunt quàm sint. Propterea enim discipulos post se abducunt, ut apud hos sint in precio. Pulchre ergo D. Augustinus ca. 1. ad Honoratum de utilitate credendi, Hæreticus est (inquit) mea sententia, qui alicuius temporalis commodi & maxime gloriæ principatusq; sui gratia falsas ac nouas opiniones uel gignit uel sequitur. Ad quæ omnia si adhibeas atq; probes qui nam ex ijs qui hodie dicuntur hæretici, hæretici sint, comperies opinor minus hæreticos esse qui dicuntur. Consulantur præterea loci de pseudoprophetais apud Isaiam in 56. cap. apud Ieremiam in 23. apud Ezechielem uero in 13. apud Micheam quoq; in 3. item apud Paulum ad Rom. 16. ad Philip. 3. in 1. Timoth. 4. & in 2. ad Timoth. 3. & 4. cap. item apud Petrum in 2. cap. 2. & 3. Postremo illationem infert, Proinde uigilate: iterum addens stimulum, Memores quod triennio iam hoc ipsum noctes atq; dies, nec citra lachrymas subinde ingesserim, nec in genere tantum, sed singulis quoq; peculiariter inculcarim. Vigilate ergo fratres, uigilate inquam: quo enim plus periculi imminet, hoc attentius uigilate. Quid obsecro dici uel scribi potuit ardentius? Utinam autem ista in pectore pastorum tam ardeant, quàm uehementer in auribus sonant. Atqui rationem aliquando reddemus ô fratres pastorum principi Christo. Væ autem nobis si illos nostra inertia aut pusillanimitate perdidimus, pro quibus Christus fuerat mortuus. Vigilemus ergo ô fratres, & eum timeamus qui & corpus & animam præcipitat in tartara.

Hereticus quis.

Et nūc commendo uos fratres deo, & sermoni gratiæ ipsius, qui potens est superstruere & dare uobis hereditatē inter sanctificatos om̄es.

Iam uero dolorem illum in quem de periculis differens, coniecerat, committigans ad dit, Ceterum non est quod timeatis uos in hac pugna succubituros, Deus enim potens & misericors est, qui ecclesiam non destituet, neq; ministris uerbi sui deerit. Commendo igitur uos deo, utpote ei, qui fundamento Christo poterit superstruere firmum & elegans ecclesiæ ædificium: præterea commendo uos sermoni qui est de gratia per Christum collata orbi, è quo si quid deerit, petatis. Lucerna enim pedibus nostris uerbum eius & lumen semitis nostris. Duo itaq; sunt quæ in hac lucta certantes contra hæreticorum diaboli & mundi incurSIONES solantur, Potentia ac præsentia dei, & uerbū ueritatis. Agē ergo ô fratres fidamus omnipotenti deo, inuocemus illius auxiliū, innitatur uerbo eius, & procul dubio uincemus. Porrò nisi domum asseruet Dominus, frustra uigilat qui custodit eam.

Arma pastoralia gratia et uerbum dei. 1. Corinth. 3. Ephesi. 2.

Argentum & aurum, aut uestem nullius concupiui, imò ipsi scitis, quod necessitatibus meis, & his qui mecum sunt suppeditauerunt manus hæ. Omnia ostendi uobis, quod sic laborantes oportet suscipere infirmos, ac meminisse uerborū domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatum est dare potius quàm accipere.

Ex auaritia procerum ecclesiæ maxima oriuntur mala, sicuti in Iuda comprobatum est. Er auaritia, teste Paulo, omniū malorum radix est. Hinc in calce huius orationis ut penitius figeret aculeū aduersus auaritiam differit, & quod alibi uno uerbo dixit Epi-

Aduersus auaritiam & luxū Episcoporum.

scopum turpis lucri non debere auidum esse, id hic mira copia miracq̄ euidentia explicat, iterum sese exemplum proponens imitandum. Paria his prorsus legimus & de Samuele 1. Samuelis lib. cap. 12. Tantum abest (inquit Paulus) ut à quoquam quicquā extorserim, ut ne cōcupiuerim quidem unquam ullius facultates: imò dum necessitas urgeret, & ipsum domini uerbum dicens, Operarium dignum esse mercede sua, non obstarer, attamen manibus hisce (σενδάρως) parauī mihi meisq̄ sodalibus ea quæ erant necessaria: ut hoc ipso uobis exemplum præberem, infirmos sumptibus (si sic ferat occasio) grauandos non esse, ne illis occasio detur desciscendi à fide. Monuit enim Erasmus ἀνδραγαθία, proprie esse porrecta manu retinere lapsurum alioqui aut abiturum. Iam ut omnia maiorem apud istos haberent auctoritatem, sententiam domini lesu adijcit, Beatius est dare quàm accipere, quæ tametsi conceptis uerbis nullibi descripta legatur, tamen apud Lucam in capite 14. eleganti de inuitandis parabola, beneficia ita conferri uult, ut omnis absit meliora aut paria consequendi spes. Apud eundem in 6. Mutuum (inquit Christus) date, nihil inde sperantes. Sed ò deum immortalem quantum absunt nostri præsidēs à Pauli innocentia. Hodie non nisi magnarum accessione opum æstimantur episcopatus, nec auctoritas adest nec dignitas, nisi amplæ respondeant facultates, adeoq̄ nec uirtuti amplius nec eruditioni suus est honor, sed fortunæ et pompæ mundanæ tribuuntur omnia: unde & uerissimum est quod uulgo dictum est, Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem. Copiosiora autem de functione episcoporum qui uelit, legat utranq̄ Pauli ad Timotheum, & unam ad Titum epistolas, hac de re potissimum conscriptas. Hoc saltem adiecerim, Mendicantium monachorum sectas, hac Christi sententia, Beatius est dare quàm accipere, prorsus esse ceu sacro fulminis telo transfixas.

Monachi.

Et cum hæc dixisset, positis genibus suis, orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus coortus est omnium: & ruentes in collū Pauli, osculabantur eum dolentes: maxime ob sermonem quem dixerat, q̄ amplius faciem eius non essent uisuri. Et deducebant eum ad nauem.

Preces Pauli.

Nihil citra orationis præsidium cœpit aut peregit Paulus unquam. Siquidem sine dei auxilio nihil possumus. Cæterum is orari uult. Proinde ubiq̄ nobis commédatur sanctorum oratio, ut discamus etiam nos indefessis perpetuisq̄ inuigilare precibus. Quod autem præterea narratur de Christianorum dolore ex interitu Pauli concepto, de lachrymis, osculis & conductu, humanitatem nobis commendant, quam nisi quis fratribus præstiterit, haudquaquam Christiano nomine dignus erit. Illi sanctissimum apostolum, oculis etiam quoad licuit prosequuti sunt nauigantem. Sic inquam in hisce agentes terris auellimur tandem à charissimis quoq̄. Nulla ergo certa infallibilis & æterna post deum in orbe restat spes. Ab hoc uno inæternum si uel semel illi arctius hæserimus non separabimur.

CAP. XXI.

Cum autem factum esset, ut soluisset, auulsi ab eis, recto cursu uenimus Coum, & sequenti die Rhodum, & inde Patarā. Et nacti nauem, quæ trañceret in Phœnicen, ea conscensa soluimus. Cum autem cœpisset nobis apparere Cyprus, relicta ea ad sinistram nauigauimus in Syriam, ac uenimus Tyrum: nam huc nauis exponebat onus. Repertisq̄ discipulis, mansimus ibidem diebus septem. Qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Hierosolymā. Et expletis diebus, profecti ibamus deducentibus nos omnibus unā cum uxoribus & filijs, donec exissemus ciuitatem, et positis genibus in littore precati sumus. Et consalutatis nobis inuicem, conscendimus nauim: illi autem redierunt ad sua.

Iterum

Iterum remittimus ad Epitomen, ut ex ea petas quæ Chorographiæ sunt. Beda hoc in loco annotauit, nullam unquam ciuitatem maiori dulcedine Apostolum suscepisse, tenuisse, dimisisse, quàm Tyrum. Denicq; hodie etiam (ait) monstratur in arena locus ubi pariter orauerint. Equidē indicat locus hic quàm uiuax dilectionis spiritus in cre- *Dulcissimus si-*
 scentis ecclesiæ fratribus sororibusq; fuerit, quantumq; per omnia officij & syncerita- *delium affectus*
 tis. Nos qui hodie non minus domini apostolos Paulum & reliquos, uiua utiq; ipsorū *erga doctore.*
 scripta atq; colloquia habemus, prorsus frigide erga tantum afficimur thesaurum, pro-
 pterea quod parum Christiani amoris rerumq; honestarum studio flagramus. Porro
 D. Ioannes Chrysof. dies quorum hic subinde fit mentio computans, sic scribit, Post *Dierū compu-*
 Azyma in Troadem uenerunt diebus quinq; deinde ibi fecerunt dies septem, & habes *tatio.*
 dies duodecim: deinde in Assum in Mytilenem, contra Chium in Trogyllium, in Sa-
 mum, in Miletum, & erunt decem & octo dies: postea in Choum in Rhodum in Pate-
 ram, en uiginti & unum dies: deinde illinc per dies quinq; in Tyrū, ut sint dies uiginti
 sex: mox illic morantur dies septem, colligunturq; triginta & tres dies: postea in Pto-
 maidam uno die pertingunt, & fiunt triginta & quatuor dies: deinde Cæsareæ manet
 pluribus alijs diebus, & tunc abit Hierosolymam, & sic cōplentur dies Pentecostes &
 ibi illam facit, sicuti illam superius in 20. cap. facere instituerat. Hæc propter curiosulos
 annotauimus, ne credant dierum numerum frustra esse à Luca recensitum.

Nos uero nauigatione explicita à Tyro, descendimus Ptolomaidā:
 & salutatis fratribus, mansimus diem unum cum illis. Postridie uero
 nos qui eramus cum Paulo, uenimus Cæsaream. Et ingressi domum
 Philippi euangelistæ, qui erat unus è septē, mansimus apud eum. Huic
 autem erant quatuor filia uirgines prophetantes.

Vbiq; charitatis officia exhibent fratribus atq; mutuo suscipiunt. Nam dominus in *Sancti episcopi*
 Euangelio dixerat, In hoc cognoscent uos quod mei sitis discipuli, si charitatem inter *exemplum.*
 uos mutuam habueritis. Porro Philippus hic idem ille est, cuius mentio facta est in hu-
 ius operis capite 3. atq; 6. Hic domicilium apud Cæsarienses habuit, nimirum ecclesia-
 stes eius ecclesiæ. Quod ergo de episcopis scripserat Paulus in 1. ad Timoth. 3. Oportet
 episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris maritum, modestum, hospitem, alie-
 num ab auaritia, qui suæ domui bene præsit, qui liberos habeat in subiectione cū omni
 reuerentia: id totum in hoc Philippo ceu uiuo exemplari uidemus. Nam irreprehen-
 sibilis est, hospitalis est: excipit enim Paulum cum illo nobili & satis numeroso sodaliti-
 o: unde ipsum & ædes & opes possedisse uerisimile est: item filias habet prophetantes, li- *Prophetantes*
 beros inquam probe institutos. Non aut intelligimus istas prophetasse, id est docuisse, *Philippi filia.*
 id enim Pauli, imò domini præcepto ueritū est, ut liquet 1. Corinth. 14. & 1. Timoth. 2.
 Prophetissæ ergo dicuntur, quæ prophetiæ, id est uerbo domini prorsus deditæ se in
 uera pietate exercuerint. Ita & Anna filia Phanuel apud Lucam prophetissa dicitur, Ein *Ein*
 Gottsförchtig wyb, das dem wort Gottes flyßig anhieng. Quin & in 1. ad Corinth. 11. capite palam
 prophetandi uerbo utitur Paulus pro prophetiam audiendi. Cæterum in filiarū men-
 tione, nimirum illud inclusum est, quod Philippus unius fuerit uxoris maritus. Pos- *Coniugium sa-*
 sunt ergo ministri uerbi unius uxoris esse mariti. Scortationis ergo patroni sunt Pon- *cerdotum.*
 tificij, cum presbyteris coniugio interdicit, interim uero ad scortationem eorum lon-
 ge impudentissimam conuiuent. Quod autem dicunt apostolos repudiasse aut reli-
 quisse uxores posteaquam uerbi dei ministri facti sint, palam mentiūtur. Id autem pro-
 bamus hisce Pauli uerbis, quæ leguntur in 1. ad Corinth. 5. capite, An nō habemus po- *Vetustas uoca-*
 testatem & ἀελφις γυναικα, id est Christianam coniugem circumducendi, quemadmo- *uit eos fratres*
 dum & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas: Item, Propter scortationem uitan- *et sorores, quos*
 dam ἐκαστος τὸ ἑαυτοῦ γυναικα ἔχεται, quisq; suam sibi uxorem habeat. Item, Melius est *nos Christianos*
 nubere quàm uri. Item, Oportet episcopum unius uxoris esse maritum. Aut si illos hu- *dicimus.*
 mana plus mouent, audiant uetustissimum illum Clementem apud Eusebium Eccle-
 siasticæ historiæ libro 3. capite 31. aduersus eos qui Nuptias spernunt, inter cætera ita

*Ecclesiastica
potestas.*

Hebræ. 13.

*Canon Synodi
Nicenæ de con-
iugio sacerdo-
tum.*

scribentem, An uero & apostolos improbât? Petrus etenim ac Philippus, & uxores ha-
buerunt, & filias etiam nuptum uiris dederunt: sed & Paulum non tædet apostolum in
quadam epistola sua (ad Philippenses 4.) mentionem uel salutationem facere comparis
sua, quam seideo negat circūducere, ut ad prædicationem euangelij expeditior sit. Hic
Clemens uixit sub Comodo Imperatore, anno domini CXCVII. Porro si obijciant illi,
nuptias quidem presbyteris in primitiua ecclesia licitas fuisse, aliud autem interim Pa-
tribus & Consilijs uisum atq; decretum esse: suam prodit stultitiam, imò impietatem.
Paulus enim in 2. ad Corinth. 10. capite non aliam sibi sumit potestatem in ecclesia, quam
quæ ad ædificationem data sit, & non ad destructionem. Idem in 1. ad Corinth. 7. nemi-
ni hac in re laqueum uult iniicere. Cur ergo id isti audent, aut cur istis licuit, quod apo-
stolis non licuit? An uero illi sanctiores sunt apostolis? An nostrum sæculum primitiua
ecclesia purius est? An uero coniugiū quicquam impuritatis habet? Vide amice lector,
quò bestia istæ ferantur. Paulus palàm dixit, Honorabile est coniugium apud omnes,
& cubile impollutum. Scortatores autem & adulteros iudicabit deus. Illi uero coniu-
gium prohibent, & ad scortationem conuiuent. Ex instinctu ergo satanæ (id quod &
Paulus clarissimis uerbis in 1. ad Timoth. 4. capite edicit) profecta est lex contra coniu-
gium ministrorum uerbi lata. Quod si quid post legem dei ualere debet Consiliorū aut
Patrum autoritas, nos pro nostra parte solidiora, clariora & firmiora habemus testi-
monia, nempe, ut reliqua omnia transeā, Nicenæ Synodi canonem. De hac Sozome-
nus apud Epiphanium in Tripartita historia lib. 2. cap. 14. in hanc scripsit sententiam,
Synodus autem corrigere uolens hominum uitam, & in ecclesijs commorantium po-
suit leges, quas Canones appellamus, in quorum tractatu uidebatur aliquibus intro-
ducere legē, ut episcopi, & presbyteri, & diaconi, & subdiaconi, cum coniugibus quas
ante consecrationem duxerant, non dormirent: surgens autem in medio Paphnutius
confessor contradixit, honorabiles confessus nuptias: & castitatem esse dicens concubi-
tum cum propria coniuge: suavitē Consilio, ne talem ponerent legem, grauem asse-
rens esse causam, quæ aut ipsis aut eorum iugalibus occasio fornicationis existeret. Et
hæc quidem Paphnutius licet nuptiarum esset inexpertus, exposuit, Synodusq; lauda-
uit sententiā eius, & nihil ex hac parte sanciuit, sed hoc in uniuersiusq; uoluntate, non
in necessitate dimisit. Hæc hætenus.

Et cum permaneremus dies complures, aduenit quidā à Iudæa pro-
pheta, nomine Agabus. Is cum uenisset ad nos, tulit cingulum Pauli,
& alligās sibi pedes ac manus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum
cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymæ Iudæi, tradentq;
in manus gentium. Cum autem audissemus hæc, rogabamus & nos,
& cæteri qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc re-
spondit Paulus, ac dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum?
Ego uero non solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis
pro nomine domini Iesu.

*Cur dominus
pericula præ-
nunciet.*

Dominus suis tormenta & crucem prænunciat, non ut terreat, sed ut cōfirmer, atq;
aduersus imminetia pericula præparet. Hoc consilio & hac causā uenit Agabus ille,
qui superioribus annis & Antiochiæ famem prædixerat uenturā, atq; uaticinatur Pau-
lum Hierosolymis in uincula fore conijciendum à Iudæis quidem, sed à Romanis uarie
diuexandum. Idq; non uerbis tantum, sed ex ueterum prophetarū more, eandem rem
uisibili quoq; symbolo statuit ob oculos, cingulo uidelicet Pauli sibi ipsi pedes atq; ma-
nus uinciens, & mixta hæc ἔξω significans Paulum fore capiendū. Huius generis plu-
ra inuenias apud Ieremiā, qui iam catena, mox amphora, iugo nonnunq; in mediū pro-
lato, significabat impios breui fore uastandos, atq; sub iugū mittendos. Cæterū fideles
& ipsi cōmiserationis & amoris affectu erga tantū doctore ueritatis ebrj, dehortaban-
tur, non secus atq; Petrus olim non mala mente à cruce dehortabat Christū, Quocirca
Paulus

Paulus exponens ipsis dñi consiliū & fatum immutabile dicit, Plus me excruciat uestræ lachrymæ quàm ipsum quod impendet periculū. Oro inanibus lachrymis cor meum affligere definite. Statanimo semel Hierosolymā petere. Hoc etenim ipse poscit dei spiritus, qui nouit quid hisce meis uinculis uelit, nimirum quàm latissime euangelij gloriam propagare. Non ergo horreo uincula, qui lucrum æstimo esse pro nomine Christi mortem fortiter oppetere. Vinciatur ergo Paulus imò occidatur, modo quàm latissime propagetur gloria nominis Iesu. Hæc obsecro præfigant sibi episcopi, qui periculum metu familiariumq; lachrymis eucti, multa detrectant quæ ad gloriam nominis dei facere uidebantur, & discant dei gloriā, posthabitis amicis ac necessarijs, uita deniq; ipsa contempta, & charissimis quibusuis neglectis, intrepida mente alacriq; uultu, per ignem & per enses, fortiter promouere. Aderit autem deus fideliter laborantibus.

*Constantia Epi
scopi.*

Cum uerò illi non persuaderetur, acquieuius dicentes: Domini uoluntas fiat.

Hęc uox uere Christianorum est. Oportet enim post conflictationem illam, quæ consilij carnis aduersus consilium spiritus esse solet, reiectis illis, hoc sequi, & uoluntati dei captiuam carnis infirmitatem subicere: quemadmodū & Christum fecisse uidemus, qui dixit, Verum non mea sed tua uoluntas fiat.

Post dies autem istos sublatis sarcinis, conscendebamus Hierosolymam. Venerunt autem unà quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscū, adducentes secum, apud quem hospitaremur Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum. Et cum uenisset Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres.

Laudatur hic Mnason Cyprius à fide & quod in hac iam diu perstitisset, & quod per hęc hospitalis esset. Fides enim sine operibus mortua est, eademq; nisi sana sit, quantumuis interim uetusta sit, laudem meretur nullam. Itaq; sodalitio sancto Hierosolymā appulit Paulus apud sanctum hospitaturus hospitem. Quin & Hierosolymitæ ueniētes alacriter exceperunt, ubiq; & in omnibus charitatis præstantes officia.

Hospitalitas.

Postero autē die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesq; conuenerunt presbyteri. Quos cum salutasset, narrabat per singula quæ deus fecisset inter gentes per ministerium ipsius. At illi cum audissent, glorificabant dominum.

Describit iam quid Hierosolymis gestum sit cum Paulo, & quomodo in uincula coniectus uaria perpeffus sit pericula. Fuit autem hic Iacobus cuius meminit Lucas, qui & Iustus & minor & frater Domini cognominatus est, frater (ut 1. cap. monuimus) Iudæ apostoli, & Hierosolymitanæ ecclesiæ xxx. annis antistes: uir tantæ sanctitatis & celebritatis in populo, ut propter eius necem creditum sit subuersam esse Hierosolymam, quemadmodum ipse quoq; Iosephus antiq. lib. ult. cap. 20. apertis uerbis prodidit. Septimo enim Neronis anno (sic referente Beda) cum Iudæi indies magis magisq; furerent in Christi ministros, & Paulus, cuius sanguinem mirifice sitierant, ex eorum manibus iam olim elapsus esset, omnem furorem suum in unum effundunt Iacobum uirum optimum, eumq; de pinna templi præcipitatum, lapidabant, clamantē ac inuocantem, Rogo domine deus pater, remitte eis peccatum, nesciunt enim quid faciunt. Meminit enim eius rei ad hunc modum Eusebius ex Egesippo nobili & uetusto historico lib. eccl. hist. 2. cap. 23. Porrò quod refert omnes conuenisse Hierosolymorum presbyteros ad laudem ac dignitatē facit apostoli Pauli. Indicat enim nō grauatim conuenisse illos, audito quod uenisset Paulus, ut exciperent eū. Et rursus ipsius officij prodit, qui cum pro more presbyteros salutasset, narrare eis cœpit euangelij profectū per ministerium suū. Vtrinq; autē eximia quædam relucet cura & sollicitudo super incremento fidei ac

*Iacobus frater
Domini.*

ueritatis, quæ sanè uel maxime ad presbyteros pertinet. Nam ut hic exultans narrauit, sic illos magno cum gaudio accepisse intelligimus, atq; adeo glorificasse dominū, non Paulum. Huius enim ministerium erat, illius incrementum, quemadmodum ipse de se testatur in 1. ad Corinth. 3. Deniq; Chrysostomus, Non (inquit) Paulum exulerūt neq; admirati sunt, sed deum glorificauerunt, quin & ipse quicquid meruit deo acceptum retulit.

Dixeruntq; ei: Vides frater, quot millia sunt Iudæorum qui crediderunt, & omnes studiosi sectatores sunt legis. Audierūt autem de te, quòd defectionē doceas à Mose, omnes qui inter gentes sunt Iudæos, dicens, non debere eos circumcidere filios, neq; secundum instituta uere. Quid est ergo: omnino oportet conuenire multitudinem. Audi enim te uenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis uiri quatuor, uotum habentes super se. His assumptis, purifica te cum illis, & impende super illis, ut radant capita, & scient omnes, quòd quæ de te audierunt nihil sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autē qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, decernentes, ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant & ab his quæ sunt immolata simulachris, & à sanguine, & suffocato, & scortatione.

Augustini sententia de consilio Iacobi.

Intelligimus in hæc uerba pro sua & aliorum sententia Iacobum dixisse. D. Aur. Augustinus in erudita illa epistola qua D. Hieronymo de legalium obseruatione respondit, sic locum hunc exponit, Non (ut opinor) obscurum est (inquit) & Iacobum hoc ideo monuisse, ut scirent falsa esse quæ de illo audierant, hi qui cum in Christum ex Iudæis credidissent, tamen æmulatores erant legis, ne per doctrinam Christi, uelut sacrilega nec deo mandante conscripta, damnari putarentur quæ per Mosen patribus fuerant ministrata. Hoc enim de Paulo iactauerant non illi qui intelligebant quo animo à Iudæis fidelibus obseruari ista deberent, propter commendandam uidelicet authoritatem diuinam & sacramentorum illorum prophetica sanctitatem, non propter adipiscendam salutem quæ iam in Christo reuelabatur & per baptismi sacramentum ministrabatur: sed illi hoc de Paulo sparserant, qui sic ea uolebant obseruari, tanquam sine his in Euangelio salus credentibus esse non posset. Ipsum enim (Paulum) senserant uehementissimum gratiæ prædicatorem, & intentioni eorum maxime aduersum, docentem non per illam hominem iustificari, sed per gratiam Iesu Christi, cuius pronuntiatione causa illæ umbræ in lege mandatæ sunt. Et ideo illi inuidiam & persequutionē molientes concitare tanquam inimicum legis mandatorum diuinorum criminabantur. Cuius falsæ criminationis inuidiam cōgruentius deuitare non posset, quàm ut ea ipsa celebraret, quæ damnare tanquam sacrilega putabatur, atq; ita ostenderet, nec Iudæos tunc ab eis tanquā nepharijs prohibendos, nec Gentiles ad ea tanquā necessaria compellendos. Hactenus Augustinus, quem in ea sententia esse uidemus ut existimet Iudæos qui credidissent sanè nec libertatis ignorantia, nec conscientia infirmitate legalia custodisse, sed magis ut hoc facto suo testarentur ceremonias legis damnandas non esse uelut nocuas, si quis in eas nihil fideret, & post fidem Christi aliquousq; seruari posse arbitraretur. Nam paulò post, Legalia (inquit) sicut defunctorum corpora, necessariorum officijs deducenda erant quo dammodo ad sepulturam, non autem deferenda cōtinuo uel inimicorum obtreccationibus tanquam canum moribus proicienda. Iam ne quis contenderet eadem & nobis esse obseruanda, in eadē hærens similitudine subdit, Proinde nunc quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, similiter ea celebrare uoluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, uel baiulus corporis, sed impius sepulturæ uiolator. Hæc de Augustini non prorsus inepta expositione. Ceterum simplicior sensus esse uidetur, quod & Iacobus & Paulus plus nimiam infirmorum fra

rum fratrum habuerint rationem. Plena enim charitatis oratio siue cohortatio Iacobi tota in hoc est, ut persuadeat Paulo, tantū se infirmis impendat fratribus, ipsisq; omnibus in hoc uno gratificetur, ut uotum in se suscipiat, & eatenus approbet se non esse legis contemptorem. Nam hic huius consilij finis est, non quod crederent externo legis sacrificio expiari hominem. Sic enim paulō post sequetur, Et scient omnes quod quæ de te audierunt, *ὅτι ἐπὶ ἑστίη* (*das es nit ist*) nihil sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. Iam uero expende quā probe huc omnia Iacobi referantur argumenta. Principio, Vides ipse (inquit) frater quot millia hic sunt Iudæorum qui crediderunt, sed ita interim ut non nihil adhuc legi hæreant. Nam *ἡ νόμος* sunt legis, & impotentius adeoq; & superstitiosius & animi quodam morbo huic hærent. Deinde attexit quod hanc sententiam absoluit, Atqui hi audierūt de te, quod non modo à lege prohibeas Gentes, quin & Iudæos in lege natos à Mose, hoc est ab ipsa lege ceu sacrilego dogmate & noxiō auertas. Id autem supra modum offendit eos. Iam redi ad superiora. Horum autem tot sunt millia, ut non facile contemni possint. Siquidem quantam Christianus curā fratri debebat, Christus ipse docuit, cum per similitudinem doceret nonagintanouem oues à fido pastore relinqui, unam uero erraticam summa diligentia inquiri. Si ergo unius hominis tanta est habenda ratio, quanto maior multorum millium? Nunc pergite: Quid ergo in hac re commodissimum fieri potest? dissimulatione aut silentio nihil proficiemus. Nam posteaquam te aduenisse audierint, omnes turmatim aduolabunt, ut tecum expostulent. Nullum ergo præsentius consilium est, & quo uno ac semel omnibus satis facere possis, quā hoc, ut uotum in te suscipias. Atq; huc iam trahit occasionem ut facilius persuadeat. Ad manum enim esse uiros quatuor qui uorum habeant. Rursus ne Gentium nomine tergiuersaretur Paulus atq; obijceret hocine uoto suo offendi Gentes, aut ex hoc facto suo colligi posse Gentibus quoq; ad expiationem necessaria esse Iudaica sacrificia, mox præoccupat & ait, De his autem qui crediderunt ex Gentibus &c. Ex quo facile liquet hoc consilium pro tempore, & infirmorum ex circumcisione fratrum gratia, esse natum usurpatumq; non purificandi causa. Nam etiam si dicat Iacobus, Purifica te cum eis, at tamen communi genere dicendi usus est. Siquidem & scriptura eas ceremonias eosq; ritus purificationem uocat, quibus deuoti purgabantur. Sic ipsa uirgo Maria unā cum foetu suo Christo dicitur purgata, quæ tamen nihil immundi ex conceptione sancta contraxerat.

Consilium Iacobi.

Supra cap. 25.

Tunc Paulus assumptis uiris, postero die purificatus cum illis intrauit in templum, annunciās expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoq; eorum oblatio.

Hisce fratrum precibus euieta mens Pauli, quæ aliās ad omnia ut multos Christo lucrifaceret erat promptissima, uotum in se nec tamen sine difficultate recipit. Grauius enim quippiam in se suscipit, quā quod superioribus diebus in Petro (ut extat ad Galatas 2.) culpauit. Sed fratrum, ut diximus, precibus euietus & inter saxum & sacrū constitutus, noluit fratrum spem fallere, totq; Iudæorum millia unius uoti gratia (siquidem per illud illis medicari posse uidebatur) periclitari, qui aliquando dixerat, Veritatem dico in Christo, non mentior, attestāte mihi simul conscientia mea, per spiritū sanctum, quod dolor mihi sit magnus & assiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis. Igitur spe ampliora melioraq; consequendi & Euangelij negotium quā latissime promouendi studio, rem nouam & inexpectatam facit, præterea quod plus nimio amaret gentem suam. Et sanè nouum est quod tantus uir se in tantum demittit errorem. Errorem enim & ipse Augustinus appellat, sed tolerabilem propter charitatem & ueritatis confessionem. Porro de purificandi ratione plura inuenies, quod & supra annotaui, Numeri sexto. Ex istis autē liquet, quā imprudentes sint qui hac Iacobi & Pauli indulgentia ad defensionem abutuntur errorum suorum: quasi uero ipsi Missare, idola colere, & alia nescio quæ impune possint facere, propterea quod Paulus Iacobi consilio semel & iterum in se uotum suscepit.

Paulus sacrificium pro se fieri permittit.

Cum interim ipse videas Pauli factum longe aliud esse quàm quod ita usurpari possit.

Dum autem septem dies iam penè essent expleti, hi qui ab Asia erant Iudæi, cum uiderent eum in templo, conturbauerunt totum populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israëlita, succurrite. Hic est ille homo qui aduersus populum & legem, & locum hunc omnes ubique docet: insuper & Græcos induxit in templū, & prophanauit sanctum locum hunc. Viderunt enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso, quem existimauerunt quod in templum introduxisset Paulus. Commotaque est ciuitas tota, & factus est concursus populi. Et apprehensum Paulum, protrahebant e templo, statimque clausæ sunt fores.

Seditio.

Quod prophetæ iam diu futurum prædixerant, id hoc loco Lucas Paulo accidisse scribit. Mirus autem est in descriptione tumultus huius, tam proprie & perspicue exponit, imò oculis proponit singula. Principio ipsos pingit seditionis auctores Iudæos Asiaticos. Deinde uero adumbrat accusationis capita, quæ non sunt alia, quàm quæ hæcenus Paulo & Stephano impeggerant Iudæi. Calumnijs ergo in uulgus diffeminatis, turbas mouent. Atque hic modum quoque ob oculos statuit, quo illi Paulum tractauerunt indignissime. Apprehensum enim, ait, e templo in furibundam protrahebant turbam, clausisque templi foribus uel ne effugij pateret locus, uel ne templum noxio scædarent cruore, iam iam ad necem miseri parantur. Hæc enim est egregia illa hominum religio qua exterior poculi patinæque pars purgatur, interioris autem nulla ratio habetur. Ergo sacrum templi pauimentum sanguine nolabant aspergere, interim uero nullam eius rationem habebant, quod sese & animas innoxio commacularent cruore. Præterea uerisimile est istos credidisse Deuteronomij 23. Gentibus templo interdictum fuisse, unde & ansam tumultuandi acceperunt liberiozem. Quod ergo Paulus Trophimum in templum non induxit, non propterea fecit, quod se ista re peccaturum crederet, sed quod calumniam Iudæorum declinare uellet.

Matth. 23.

Quærentibus autem illis eum occidere, nunciatum est tribuno cohortis, quod tota cõturbata esset Hierosolyma. Qui statim assumptis militibus ac centurionibus decucurrit ad illos. At illi quum uiderent tribunum ac milites, cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus, apprehendit eum, & iussit alligari catenis duabus, & interrogabat quis nam esset, & quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere præ tumultu, iussit duci eum in castra. Et cum uenisset ad gradus, contigit ut portaretur à militibus propter uiolentiam turbæ. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tolle eum.

Magistratus est defendere contra iniuriam.

Tribunus.

Magistratus in hoc à deo ordinatus est, ut tumultuantes ferocientesque compescat, sedatos uero ac probos homines ab illorum ui afferat. Proinde dominus non raro huius præsidio suos ex impiorum eripit manibus, quemadmodum nunc Paulum Romanis tuetur ac seruat armis, & olim Ieremiam per Nabuzardan liberauit. Magna autem fuit Tribunorum militiæ autoritas. Nam & consulari potestate creabantur, & ius dabant militibus. De qua re uidere est Fenestellam de Mag. Rom. capite 16. & Petrum Crinitum de honesta discip. lib. 11. cap. 2. iucunda lectu & utilia quædam ex Aurelij Imperatoris sententia annotantem. Præterea annotauimus in 10. huius historiæ caput, Romanorum legiones in Syria alitas fuisse, partim contra Parthorum incursiones, partim uero ut in fide retinerentur prouinciæ, & Iudæorum seditiosa impatientia coercerentur. Hac de causa & Hierosolymis impositam fuisse cohortem, hoc ex loco apparet.

E quo

E quo item intelligimus quanta pro nomine dei patientur sancti. Paulus enim per aduentum tribuni in spem erectus, iam & ab hoc duabus uincitur catenis, ceu maleficus aliquis latro aut patriæ proditor. Præterea declaratur quanta sit furientis & semel concitati in tumultum populi insania. Væsanum enim & horrendum quippiam clamat, ut nemo certi quicquam possit intelligere, tantum furit, ingruit, urget, & cæde omniumq; rerum proculcatione gaudet. Hic enim ad gradus usq; castrorum (castra enim in excelsiori loco ad excubias erant collocata) prosequuntur uinctum, & clamant, Tolle hominem pestiferum, occide hæreticum, lania impostorem. Proinde maxime nobis (quantumq; fieri potest) cauendum à seditionibus quæ raro feliciter finierunt. Sed de hac re dictum est in capite 19.

Cruce sanctorum.

Et cum cœpisset induci in castra Paulus, dicit tribuno: Licetne mihi loqui ad te? Qui dixit: Græce nosti: Nonne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum quatuor millia uirorum Sicariorum? Dixit autem Paulus: Ego sum homo quidem Iudæus Tarsensis non obscuræ Cilicum ciuitatis ciuis. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset, Paulus stans in gradibus, annuit manu ad plebem, & magno silentio facto, alloquutus est lingua Hebræa, dicens,

Vide mi Lector, quantum in hoc homine gentis suæ, licet erga se ingratiſſimæ, fuerit studium, quantaue causæ confidentia, quantus deniq; ueritatem propagandi ardor. In medijs afflictionum procellis, in catenis, in insanientium clamoribus, interq; satellitum arma, adhuc de satisfactione & Iudæorum salute cogitans, dicendi postulat facultatem, si uel aliquos oratione luculenta & uera posset lucrifacere. Ergo ad Tribunal conuersus cum reuerentia debita dicendi facultatem suppliciter poscit. Hic Tribunus rerum quæ gerebantur, utpote homo prophanus, plane ignarus, aliud suspicatur, ut fit in istiusmodi casibus, Paulum fortassis illum esse Aegyptium, de quo Iosephus in 2. de bello Iudaico, capite 12. ad hunc ferme modum scripsit, Aegyptius quidam falsus propheta, cum uenisset ad Iudæam, homo magus, fidem sibi prophetæ magica arte conscium, & continuo ad triginta millia uirorum congregas & ductans eos per desertum, peruenit cum ipsis ad montem Oliueti, paratus inde irruere Hierosolymam, & ui ac potestate urbem tenere, simulq; Romanorum præsidia ac plebem tyrannidi suæ subiugare, fretus per omnia his quos secum duxerat militibus. Sed conatum eius præuenit Felix, confestimq; ei cum armatis obuiam pergens, secum etiam plebe reliqua conspirante, congressus cum Aegypto, hunc cum paucis in fugam uertit: peremptis uero alijs, alijs etiam captis, temere cœpta facile restinxit. Nec pugnat Lucæ narrationi, Iosephi historia. Potuit enim fieri ut primo cum paucis hisq; clam seditionem mouentibus adueniens, plures sibi postea publicata fraude coniunxerit. Cui id adminiculatur, quod idem ille Iosephus refert etiam fufis Aegyptij copijs crebra ubiq; exercita fuisse latrocinia. Porro Sicarij grassatores & latrones sunt, dicti à fica, quæ uox breuem gladium siue pugionem significat, quo illi incautos fauciabant. Tarsum uero quam hic non incelebrem (οὐκ ἀσήμωτος πόλις) Ciliciæ ciuitatem nominat. Stephanus in urbibus Ἰερουσαλήμ, id est, primariam atq; præter cæteras insignem appellat. Igitur posteaquam audisset hunc non esse illum quem putauerat, facultatem dicendi permittit. Quo & æquitas & humanitas nobis prophani hominis probatur. Atq; hic se rarum & admirandum offert spectaculum. Siquidem Paulus iam iam in templo probe contusus, & insanientium turbis sibi ipsi destitutus, præterea & catenis degrauiatus, pone iudicem, & inter terrifica militum arma coramq; ipsis astans hostibus suam impense sanguinem sitientibus, tam terse, prudenter & scite differit, ut animi probe sibi constantis, multarumq; dierum uideri possit apologia. Est autem illa apologia quam ad ipsos Hebræa dicebat lingua.

Pietas Pauli in patriam.

De Aegypto.

Sicarij. Tarsus.

Mirum Pauli ingenium.

CAP. XXII.

Viri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud uos utor, excusationem. Cum audissent autem, quod Hebræa lingua sibi loqueretur, magis præstiterunt silentiū. Et dicit: Ego quidem sum uir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, institutus accurate in patria lege, sectator dei, sicut & uos omnes estis hodie, qui hanc uiam persequutus sum usq; ad mortem, alligans ac tradens in carceres uiros pariter ac mulieres, sicut & princeps sacerdotum mihi testis est, & totus seniorum ordo, à quibus etiam epistolis ad fratres acceptis, Damascū pergebam, adducturus & illos qui illic essent uinctos Hierosolymam, ut punirentur. Accidit autem mihi iter facienti & appropinquanti Damasco circiter meridiem, ut subito de coelo circumfulguraret me lux multa, cecidiq; in solum, & audiui uocem dicentē mihi: Saul, Saul, quid me persequeris? Ego uero respondi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego sum Iesus Nazarenus, quē tu persequeris. Et qui mecum erant lumen quidem uiderunt, & exterriti sunt, uocem autem non audierunt eius qui loquebatur mecum. Dicebam autem: Quid faciam domine? Dominus autem dixit mihi: Surge ac uade Damascū, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ ordinata sunt tibi ut facias. Et cum non uiderē præ gloria luminis illius, per manum deductus à comitibus qui erant mecum, ueni Damascum.

Scopus huius
apologiae.

Quoniam accusatus erat Paulus quod aduersus populum & legem & locum hunc, id est Hierosolymam templumq; omnes ubiq; doceret, ut paulò ante Lucas prodidit, sic obiectas sibi calumnias præfenti oratione diluit, ut indicet primum se uirum esse Iudæum in celebri loco natum, ut inde intelligatur se gentem & stirpem suam odire non posse, sed pro Iudæorum ingenio amare. Deinde subindicat se ad pedes Gamalielis educatum fuisse, id est Hierosolymis, ut uerisimile esse non possit Paulum aduersus eum locum dicere aut docere potuisse, in quo tam liberaliter educatus tamq; accurate institutus fuerit. Secundum patriam enim his locis potissimum fauere solemus, in quibus aut educati aut instituti sumus. Postremo, quia aduersarium legis Asiæ Iudæi ipsum esse dixerant, id abunde hoc uno purgat, quod ait se non modo accurate institutum in lege patria, uerumetiam persequutorem fuisse sæuissimū eorum qui legi uidebantur aduersari. Atq; hic mira quadam ratione ad expositionem conuersionis suæ delabitur. Hac enim approbat se non leui aliqua causa, uelut paratus ad apostasiam, sed mirabili facto ad professionem nominis Iesu & fidei quæ in eum est peruenisse. Neq; dubium est quin plura de religione Christiana attexuisset, si per tumultum licuisset. Nam occlumantes tumultuantesq; strepitu barbaro orationem interturbauerunt. Cætera petantur ex cap. 9. In eo enim capite eandem hanc historiam pari sensu narrauit Lucas, licet alijs interdū uerbis. Verum nulla est in sensu diuersitas, quod tamen illi causantur, quibus adeo dolet scripturas tam frequentes uulgatasq; esse factas.

Odiosa nobis
apostasie teme-
re facta.

Ananias autem quidam uir pius, secundum legem testimonio probatus omnium illic habitantium Iudæorum, ueniens ad me, & adstās, dixit mihi: Saul frater, recipe uisum; & ego eadem hora recepto uisu, uidi illum. At ille dixit: Deus patrum nostrorum preparauit te, ut cognosceres uoluntatem suam, & uideres id quod iustum est, & audires uocem ex ore eius, quia eris testis illi apud omnes homines, eorū quæ

uidisti

uidisti & audisti. Et nunc quid contaris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine domini.

Hæc paulò copiosius exponuntur quàm in 9. cap. sint exposita. Principio autem lau- *Laus Ananie.*
datur pietas & probitas Ananiæ, ne Iudæi hunc per quem Paulus erat baptizatus, ceu
leuem & nihili hominem aspernarẽtur, Paulumq; ipsum dicerent fuisse stolidum, qui
homini nulla autoritate præditi consilio fuisset obsequutus. Dicit ergo, *Ανανίας δὲ ἄς*
ἀνὴρ εὐσεβὴς καὶ ἰσθμὸς νόμου, μάρτυρ μου ὅτι ὑπὲρ πάντων Ἰσραηλιτῶν ἰσθμὸς, id est, Ana-
nias autem quidam uir pius, secundum legem, bonum habens testimonium ab omni-
bus illic habitantibus Iudæis. Potest enim particula Secundum legem, uel ad superiora
referri, sic: Ananias fuit uir pius in lege uel ad inferiora sic, Ananias probatus fuit in le-
ge omnium etiam Iudæorum testimonio. Atq; hoc plurimum faciebat ad expurgatio-
nem Pauli, & ad comprobationem quod lex & Euangelium sibi non aduersarentur.
Siquidem doctus in lege (inquit) suafit ut Euangelium amplecterer. Huc pertinet quod
is ait, Deus patrum nostrorū, quo titulo nihil erat Iudaicis auribus suauius. Is inquam
præparauit te. Non ergo apostasiæ aut humanæ erat industriæ quod cõuertebatur Pau-
lus. Iam uero sequitur ad quid præpararit, nõ utiq; ut aduersarius dei & legis eius esset,
sed ut cognosceret uoluntatem eius. Quid hoc? Ut uideres *τὸ δίκαιον*, id est, iustitiã, uel
id quod iustum est, uel iustum illum uidelicet Christum dominum. Vnde uero hoc di-
scitur? Ex uoce oris dei. Nam ad Romanos 1. testatur Euangelium prædictum esse per
prophetas in scripturis sanctis. Præterea ad Galatas 1. indicauit se Euangelium non ab
hominibus, neq; per hominẽ, sed reuelatione Iesu Christi didicisse. Porro quod de pec-
catorum ablutione per baptismum scribitur in 8. cap. expositũ est. Non enim aqua ab-
luit peccatũ, sed gratia quæ significatur per aquam. Imò aquæ siue signo per allœosim
sacramentariã tribuitur quod reuera rei hoc est gratiæ et electionis est. Atq; huc pertinet
quod mox sequitur, Inuocato nomine Iesu. Inuocatione enim, id est fide (nam pro fi-
de accipi ostendit Paulus ad Romanos 10.) abluatur peccatum.

Factum est autem, cum essem reuersus Hierosolymam, & orarem
in templo, ut raperer extra me, & uiderem eum dicentem mihi, Festina
& exi uelociter Hierosolymis, quoniam non recipient testimonium
tuum de me. Et ego dixi: Domine, ipsi sciunt quòd ego pertrahebam
in carcerem, & cædebam in singulis synagogis eos qui credebant in te.
Et cum funderetur sanguis Stephani testis fui, ego quoq; adstitebam
& assentiebar morti illius, & custodiebam uestimenta interficientium
illum. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego ad Gentes procul mittã te.

Monui in capite nono profectiõnem in Arabiam, cuius meminit in Galatis, hanc
reuelationem præcessisse. Dubium autem est sit ne hic is ille raptus, cuius meminit in
1. ad Corinthios 12. capite. Sed nihil attinet nosse fuerit ne an minus, cum non sit du-
bium electionis uas Paulum non semel fuisse raptum. Ceterum in hoc denuo studium *Studiũ Pauli in*
in gentem suam exponit, quod aliò uocanti domino, ueluti resposarit & Hierosoly- *gentem suam.*
mis manere maluerit, propterea quod bona spe detineretur, fore ut plurimũ apud eos
proficeret, propterea quod omnes nossent quanto zelo pro lege contra Christianos
exarferat, & quid pro legis defensione fecerat. Itaq; quum hæc non ignorarent, sperasse
illos quoq; facile perspecturos non temere mutatum esse, multosq; futuros qui suum
exemplum imitantes, Messiam amplecterentur. Atqui id quidem noluisse dominum,
qui ad Gentes procul ipsum ablegarit: quò iam abierit, non odio (quod interim illis uĩ
debat) aut contemptu Gentis suæ, sed domini imperio, qui omnes Gentes uoluerit
ad cognitionem ueritatis uenire.

Audiebant autem eum usq; ad hoc uerbum. Atq; sublati uocibus
dicebant: Tolle de terra hominem istiusmodi: non enim fas est eum

uiuere. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus uestimenta, & puluerem iactantibus in aërem, iussit tribunus induci eum in castra, & imperauit eum flagris examinari, ut sciret propter quam causam sic acclament ei.

Odiosum enim erat Iudæis Gentium nomen, adeo ut essent qui ne Christum quidem prædicari permitterent nisi ad Iudaismum uenientibus. Proinde mire illos commouit Paulus, cum innueret se à Iudæorum consuetudine auocatum ad Gentes ablegatum fuisse. Id enim contumeliosum uidebatur ipsis, quasi ipsi indigni essent ueritate, immudæ autem Gentes promissionum hæredes. Inde iam erant illa indignationis plena uerba, Tolle de terra hominem istum, nec enim fas est talem uiuere: item quod uestimenta & puluerem iactarent in aëra summa incandescentiæ signa. Quibus & tribunus permotus, nescio quid flagitij commissum existimans, iubet Paulum induci in castra, ne hostiliter quidpiam molirentur furiosi, & ut satellites flagris ex eo uerum extunderent. Suspiciabatur enim hunc hominem aliquid magni alere monstri, Quo & temeritas siue imprudentia iudicis, & sanctorum afflictio ac patientia notatur. Fuit autem moris apud illos, sicuti & apud nos esse uidemus, ut uerum tormentis extorquerent dissimulantibus.

Et cum astrinxisset eum Ioris, dixit adstanti sibi centurioni Paulus: Num hominem Romanum & indemnatū licet uobis flagellare? Quo audito, centurio accessit ad tribunum & nunciauit ei, dicens: Quid facturus es? hic enim homo Romanus est. Accedens autem tribunus, dixit illi: Dic mihi: num tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa ciuitatem istam comparauī. At Paulus ait: Ego uero & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo qui eum fuerant examinaturi. Tribunus quoque timuit postquam resciauit quod Romanus esset, & quod uinxisset eum.

Hunc locum exposuimus in capite huius operis decimosexto, ut non sit necesse eadem semper oberrare chorda.

Postero autem die uolens scire certum, qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum à uinculis, & iussit principes sacerdotum cōuenire, totumque concilium, ac deductum Paulum sistebat coram illis.

CAP. XXIII.

Intentis autem oculis in cōcilium Paulus ait, Viri fratres, ego omni conscientia bona conuersatus sum coram deo usque in hodiernū diem. Princeps autem sacerdotum Ananias præcepit astantibus sibi, ut percuterent os eius.

Hiscæ uero pingit iniquum iudicium & iudices tyrannicos, atque iniqua istorum facinora, ut simul & innocentia Pauli, & Iudæorum malitia reluceret, quæ & quamuis superat ethnicam tyrannidem. Tribunus enim ethnicus uir iustitiæ & æquitatis studiosus, producit Paulum in confessum religiosorum ac eruditorum, sperans nihil hic aliud agendum fore quàm quod iustitia & æquitas postularet: ceterum maximam apud illos iniquitatem dominari, rursus insignem constantiam & innocentiam Pauli cum ex dictis tum factis eius deprehendit. Dum enim hic in tam frequentem & religione uerendum productus esset confessum, & iam iam in tantorum consisteret corona uirorum, non modo cordata oratione sese expurgare incipit, quin & toto corporis habitu innocentiam suam prodit. Hinc enim Lucas, Intentis autem (ait) oculis in consilium Paulus. Siquidem oculi animi speculum sunt, Vnde illud poetæ,

Heu quàm difficile est crimen non prodere uultu.

Constantia & innocentia Pauli.

Totus

Torus autem in hoc est, ut innocentia suae praedicatione aduersariorum sese opponat calumnijs, idque nec ambitiose nec cum fastu, sed pro gloria ueritatis, Nec seipsum laudat Paulus, sed ut res habet confitetur, quod sane fieri oportere etiam Rhetores permittunt, ubi de capite agitur. Et haec de constantia & innocentia Pauli: nunc de tyrannide & malitia Pontificis Ananiae. Est hic Ananias quem lib. antiq. 20. Iosephus Ananum uocat, eius Anani pater, sub quo Iacobus frater domini Hierosolymis e pinnaculo templi praecipitatus est, uelut indicat ex Clemente D. Hiero. in Catalogo scriptorum illustrium. Hic ergo carnifex uerius quam pontifex, quia sibi de hypocrisi & errore esset conscius, tum quod non uehementer doleret tam masculum, solidae nimirum orationis, exordium, & quod nihil honoris praefatus esset ipsi, praecipit astantibus ut percuterent dicentis os, uel in uindictam eius quod contempisset pontificem, uel ut dicentem perturbarent, ne illi cogerentur (quod timebant) turpiter in hac palaestra referre pedem. Hunc Ananiam hodie referunt, qui ad tribunal productos euangelij confessores, prius damnat quam audiant, imo uero quam sint qui accusent. Non enim nunc referam quod multi sunt, qui palam in confessorum expuunt faciem, hoc tantum nomine, quod aduersus impias hominum constitutiones scripturarum testimonia producat.

Tyrannis pontificis.

Tunc Paulus dixit ad eum: Percussurus est te deus, paries dealbate. Et tu sedes iudicans me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?

Ad hanc contumeliam, quae nec in Ethnicorum iudicijs fieri solet excandescens apostolus, dicit, *τύπτει σε μέλλει ὁ θεὸς τοῖς χεῖρσι κερρονιαμένε*. id est, Percutiet te deus paries dealbate. Prouerbiali autem figura Paries dealbatus dicitur ille, qui aliud simulat & aliud est, ut si quis a facie & habitu iustitiam quandam ostendet, intus autem spurcus sit & impius, quales hypocritae apud Matthaeum in 23. cap. erant, quos sepulchris dealbatis assimilatus dominus. Ad expositionem huius pertinet quod sequitur: Tu sedes iudicans me secundum legem. Haec est albedo illa, hic candor ille quod iudicis sustinet speciem. Legitimus debebas esse iudex, qui secundum leges, non secundum faciem, iudicare debebas: sed hoc neglecto, contra legem iubes me percuti, atque ita iam factus es paries dealbatus. Dealbati enim parietes caduci esse solent, caeterum ne tales uideantur esse quales sunt, dealbantur fidelia. Huc ergo alludit apostolus qui hisce tam asperis hypocritae laruam detrahit. Iam magna semper fuit apud ueteres de hoc loco disputatio. Chrysostomus putat haec uerba Percutiet te dominus paries dealbate, magis esse libere loquentis, quam iracundi: quem postea imitatus Beda, Percutiet te deus, non dixit Percutiat. Indicatio utique modo hoc futurum significans, non Oportatio maledicens. Non enim perturbatione animi motus haec dixit, sed utique prophetando loquutus, quia significabat hypocrisim & Iudaicum destruendum esse sacerdotium. Quod & August. ad Marcillinum asseueravit. D. autem Hierony. adducens hunc locum in Dialo. contra Pelag. excusat quidem Paulum, attamen palam fatetur eum non praestitisse eam mansuetudinem quam Christus praestitit. At Aur. August. hunc locum omnium (ut apparet) simplicissime exponens lib. aduers. Faustum 22. cap. 79. dicit, Virtus patientiae quam docet dominus Iesus, dicens, Si quis te percusserit in maxillam tuam dextram, praebere illi & sinistram, potest esse in praeparatione cordis, etiam si non exhibeatur gestu corporis & expressione uerborum. Quandoquidem apostolus palma percussus potius deum rogauit, ut iniurioso homini in futuro saeculo parceretur, in praesenti autem illa iniuria non relinquere tur inulta, quam uel praebuit ferienti alteram partem, aut ut iterum feriret admonuit. Tenebat certe interius dilectionis affectum, & exterius requirebat correctionis exemplum. Haec Augustinus. Ergo Paulus uere maledixit impio pontifici, sed non hoc animo quo uulgi irritatus solet, sed apostolico spiritu. Neque patientiae interim gloria excidit. Non enim omnis tolerantia protinus Christiana dicitur patientia: quemadmodum nec illa statim iustitia uel constantia uel fortitudo uera est, quae dicitur. Notissimum enim est uel illud tritum sermone Prouerbum, Summum ius summa iniuria. Et Perrenacia quidem Constantia dici affectat, sed quia destituitur prudentia, uitium est non

Paries dealbatus.

An pontifici maledixerit Paulus.

De uera patientia.

uirtus. Duritia quoque à fortitudine natura distat, fallit similitudine. Ita & *μολλοί*, quos Latine uocamus molles, hoc est, effeminatos, pusillanimes, teneros, & minime constantis & uirilis ingenij homines, patientes uideri uolunt, sed quia deest animi fortitudo, patientia istorum animi uitium ac morbus est. Duritia quoque carabaptistica patientia titulo sese uenditat, sed cum ex opinione falsa emergat, nihil distat uel à Zenonica, uel Indica. Nobilissimus quoque historiae scriptor Salustius, de Lucio Catilina prodit, quod patiens inediae, uigiliae, algoris supra quam cuiquam credibile est fuerit, quodque hisce sibi apud suos magnam fortitudinis & patientiae famam parauerit: ceterum cum idem mox subiungat, Animus illi inerat audax, subdolos, uarius, cuiuslibet rei simulator & dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus: quis tam caecus qui ex his non intelligat Catilinae patientiam nihil minus quam uirutem extitisse? Ut enim quaedam inter se uirtutum connexio est, sic & suis cuique uirtuti modus inest. Id quod & sacri & prophani scriptores monumentis prodidere. Nam Flaccus, Virtus est (inquit) medium uitiorum utrinque redactum. Quin & omnium philosophorum sententia semper fuit, *μεσότητες ἀρετῶν, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι*, moderatas inquam esse uirtutes, excedentes modum atque mensuram inter uitia deputari. Unde & unus est sapientium numero, *μὴ ἐργάζεσθαι*, id est, Ne quid (ait) nimis: quod etiam tam celebre factum est, ut Comico quoque uersu expressum sit. Ioannes Chrysostomus in praesentiarum de natura patientiae non infeliciter differens, Sunt (inquit) uitia cognata uirtutibus, & iuxta dicendi libertatem pullulat temeritas, & iuxta *ὑποκρίσιν* aequitatem, mollities. Et probe considerandum ne quis putet se uirtutem possidere, qui uitia apprehendit, quemadmodum si quis opinatur se iungi dominae, & iungitur ancillae. Patientia itaque ueluti media inter sapientiam & fortitudinem, his quasi limitibus quibusdam concluditur. Sapientia autem cauet, ne patientiae subrepat duritia aut superstitio aut alia quaequam opinio falsa. Fortitudo autem non admittit ut quicquam indecori per pusillanimitatem aut molliem designetur, sed facit ut solida iusta & uera sit patientia. Nam ea iure uocatur fortitudo qua unusquisque seipsum uincit, iram continet, nullis illecebris emollitur aut inflectitur, non aduersis perturbatur, non extollitur secūdis, sed mentem quietam & ab affectibus puram tranquillamque conseruat. Sic enim & Ambrosius, In his (inquit) consistit animi robor, ut primū fide & uera exercitatus sapientia quisque mundo corde quod uerum & honestum est uideat. Deinde nullis cupiditatibus fluctuet, sed in iusto perseveret. Postremo si quid acciderit aduersi idque graue & acerbum putetur, ita ferat ut nihil insperati accidisse existimet. Ex istis autem si iam emanat patientia istisque ceu marginibus ducatur, nemo est qui iam non uideat hanc non esse carnalem uel affectatam tolerantiam, uel ignauam abiecti animi desperationem, sed uirtutem quae ex fide quidem existat, sapienti autem & forti robore animi quaeque aduersa superet atque confringat. Haec in transcurso aduersus eos maxime dicta sint, qui quamuis tolerantiam, patientiam esse putant, simulque ita loquuntur de patientia ut semel omnem tum iustitiam, tum fidem, tum fortitudinem tollant. Quod si ea esset quam illi putant patientia, iam nemo profusus uirtutis nomine dignaretur, quippe quae & oppressionis iustitiae, & proscriptionis ueri omnisque mali occasio foret. Non talem praestiterunt sancti dei prophetae & patriarchae patientiam, quin potius prudentiam & constantiam sic coniunxerunt patientiae, ut nullibi uerum aut iustum prodiderint, sed ubique malo malisque intrepide resistentes nullum periculum detrectauerint. Quae cum infinitis comprobari possint testimonijs, unicum tamen praesens Pauli exemplum pro cunctis satis fuerit. Redimus ergo ad historiam.

Et qui adstabant, dixerunt: Summo sacerdoti dei maledicis: Dixit autem Paulus: Nesciebam fratres, quod pontifex esset. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices.

Sed & hunc locum uarie exponunt. Alij enim censent Paulum uere nesciuisse Ananiam esse Pontifi

Valerius lib. 3.
cap. 3.

Modus in uirtu-
tibus.

Patientia inter
sapientiam et for-
titudinem me-
dia.

Patientia quid.

Simile extat
Act. 16.

Pontificem, Sed quomodo nescire potuit, qui ipsum propter pontificatum & functionem, parietem dealbatum uocauit; Ironice ergo assentatoribus respondit, Nesciebam illum esse pontificem. Quasi dicat: Pontificem summum summa decebat æquitas & iustitia, cum ergo summam ille mihi irrogarit iniuriam, non putabam illum esse summum pontificem, iam quæ sequitur sententia, Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices: non Pauli est, sed Lucæ historici, qui pro more historico exponere uoluit, cur astantes tam confidenter obiecerint, Et qui audes summo sacerdoti maledicere? Nam in lege (inquit) Iudæorum Deuteronomij 22. præceptum erat ne quis principibus populi malediceret. Atqui ea lege (ut & alijs scripturæ locis) abutebantur. Siquidem aduersus maledicos & impios rabulas, qui & bonis quibusq; uiris, & omni honestati reluctantes obmurmurant, lata erat, pro authoritate iusta boni magistratus asserenda, non aduersus uiros pios pro impiorum tyrannide confirmanda, quasi illis huius legis prætextu tuto quilibet liceret. Videmus enim sanctissimos dei prophetas legis dei obseruantissimos nemini pepercisse, in primis uero reges & sacerdotum primores pessimis etiam proscidisse conuictijs, sed prophetica maiestate & illorum quoq; malitia dignis. Lucas ergo de suo hanc adiecit sententiam, quemadmodum & paulò post exponet quæ fuerint Sadducæorum placita.

Ironia uehementem incensationem habet,

Quomodo magistratus non liceat maledicere,

Sciens autem Paulus, quod una pars esset Sadducæorum, & altera pharisæorum, exclamauit in cōcilio: Viri fratres, ego pharisæus sum, filius pharisæi, de spe & resurrectione mortuorum ego iudicor. Et cum hoc dixisset, facta est dissensio inter pharisæos ac Sadducæos, & dissecta est multitudo. Nam Sadducæi quidem dicunt, non esse resurrectionem, neq; angelum neq; spiritum: pharisæi autem utraq; confitentur. Factus est autem clamor magnus: & cum surrexissent scribæ de factione pharisæorum, depugnabant, dicentes: Nihil mali inuenimus in homine isto. Quod si spiritus loquutus est ei aut angelus, ne repugnemus deo. Et cum magna seditio coorta esset, ueritus tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descendere & rapere eum de medio eorum, ac deducere eum in castra.

Sicut unitas bonorum bonis semper utilis est, sic malorum unitas semper bona fuit noxijs. Cum ergo Paulus desperaret de æquitate apud illos, qui in malum & ueritatis excidium certo iam coniurauerant, humana arte dirimit eos, ut saltem à se auerteret, inter se mutuo autem sibiipsis committeret. Qua in re non nihil humani passus est, sed tamen citra dolū malum. Tale enim hoc Pauli factum esse uidetur, quale illud est, quod de Iacob legimus Geneseos 30. decorticante uirgas atq; proponente gregi in canalibus potatorijs aquarum, non ut Laban deciperet, sed ut perfidiam Laban æquitate temperaret adeoq; & mutaret, Et perfidia & conspiratio erat quicquid agebat Hierosolymorum magistratus. Proinde non admodum peccauit Paulus, quod ipsos sibiipsis committeret. Consilium autem quo illud potuit, tale erat: Sciebat Pharisæos ac Sadducæos (quantumuis iam concordēs esse uiderentur) capitaliter inter se dissidere, Nam Sadducæi resurrectionem (ut copiosius exponit Iosephus in 18. antiquitatum libro capite 2.) spiritum & angelos esse prorsum negabant. Quæ interim omnia confitebantur pharisæi. Hic igitur non nihil declinans ad pharisæorum placita Paulus, utpote Christianæ fidei magis consentanea, id palam confitetur, in quo illi dissidebant, resurrectionē mortuorum. Porro in superiori apologia meminerat reuelationis cœlitus factæ. Quibus omnibus ita exasperabantur Sadducæi, ut iam præ iræ impatiētia rumpi potuissent. Pharisæi contra non minus contentionis æstro perciti, sua iam dogmata aduersus Sadducæos mordicus tueri satagebant: ita fiebat, ut ipsi inter se commissi, Paulum desererent, interim ita inter se mutuo digladiarentur, ut Tribunus uir alias æquus & iustus

Vasfrictus Pauli,

Plura Act. 4. capite.

è medio abduceret Paulum, quod uideret omnia in istorum consilijs non rationibus agi, sed ui ac clamoribus. Proinde noluit istis rixatoribus salutem Romani ciuis committere. Itaque euasit Paulus manus eorum, ipsi uero admodum confusi sunt. Vide autem quid possit in præiudicijs huius aut illius esse factionis. Quod aliàs dissimulabant pharisæi, hic factionis Sadducaicæ odio palàm cōfitentur dicentes, Nihil mali inuenimus in homine isto. Hæc est potentia dei & imprudentia humana. Sic eludit dissoluitque deus humana consilia.

Sequenti autem nocte adsistens ei dominus, ait: Bono animo esto Paule. Vt enim testificatus es de me Hierosolymis, sic te oportet et Romæ testificari.

Consolatio sanctorum.

Paulus 2. ad Cor. 1. cap. Sicut (inquit) abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio nostra. Id quod ipsa re hoc loco impleri uidemus. Dum enim Paulus maximis periculorum fluctibus adobrutus mœreret, utpote homo, à quo nihil humani alienum, statim adest dominus, qui aliquando dixerat, Ero uobiscum usque ad consumationem sæculi, & suo alloquio siue per uisionem, siue per angelum, siue per spiritum reficit lassum, ac dicit, *ὄψομαι παύλῳ*, Confidenter Paule. Quod uerbi consolationis est etiam apud nos, *Bist mannlich vnd dapffer ô Paule*: significatè ergo transtulit interpretes, Bono animo sis Paule. Sic in 18. dicebat, Ne timeas. Videmus præterea efficacissimam dispositionem dei in omni opere mortalium eo quod ait, Vt Hierosolymis testificatus es, sic oportebit te & Romæ testificari, ut necesse fuerit Paulum Romam uenire, etiam si fortasse id cuique uideatur contingens. Sed omnia geruntur prudenti consilio

Prouidètia dei.

prouidètiaque dei. Hac ipsa factum est ut contra ualidissimas Iudæorum conspirationes, principum quoque consilia, per uaria maris pericula, multo post tempore, attigerit Romam. Vnde iterum coniicimus promissionem ac defensionem dei nos non eximere omnibus periculis, sed in omnibus periculis iuxta suam uoluntatem seruare. Hoc enim est quod alibi Paulo dictum est, Sufficit tibi gratia mea. Nam uirtus mea per infirmitatem perficitur.

Facto autem die, collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neque esuros se, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autem plures quam quadraginta uiri qui hanc coniurationem fecerant. Qui accesserunt ad principes sacerdotum ac seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nos ipsos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo uos significate tribuno & concilio, ut cras producat illum ad uos, tanquam aliquid certius cognituros de eo. Nos uero prius quam appropinquet, parati sumus interficere illum.

Coniuratio aduersus pietatē.

Iam uero maxima pericula enarrare incipit, è quibus tamen omnibus liberauit eum dominus. Ex quibus nos patientiam & spem discimus, uidentes quam æquo & constanti animo omnia ferat Paulus, quam item friuolus sit hominis aduersus ueritatem conatus, quem tamen deus pro sua gloria permittit & disponit, uidelicet uasis perditionis utens ad declarationem suæ iustitiæ, ut palàm fiat frustra fremere Gentes, & inania populos meditari, ubi aliud decreuit uoluntas dei: rursus ut appareat falsam esse religionem quæ non nisi proditiōibus coniurationibus latrocinij & omni mendaciorum genere omni que iniustitia nititur. Annotauit Ioannes Chrysostomus Iudæos tales fuisse ut qui in rebus bonis ægre & rarissime cōsenserint, in malo tamen facile coaluerint. Vide autem ardorem illorum in malo, Deuouerunt se diris plus quam quadraginta uiri, & deuouerunt quidem se neque esuros neque bibituros, nisi prius occiderint Paulum. Iam ne hoc quidem publice moliuntur, sed clanculo, prætexentes latrocinio suo æquitatis speciem. Postulant enim à primoribus suæ inuidiæ complicitibus ut Paulum in iudicium siue publicam disputationem prouocent, se enim istum aduenientem gladijs excepturos, atque

atq; hanc litem pugione dirempturos. Vide amice Lector quid non audeat impietas. Altera enim manu ius obtendit, iniuriam uero librat altera. Atq; hæc iniquitas & simu-
 latio, defensoribus atq; cultoribus falsæ religionis ueluti congenita, multis uiris bonis exitio fuit. Nam ut è multis hoc exempli uice referam, Pollicebatur olim Cardinalium ac Prælatorum chorus complurima sancto martyri Dei Io. Hussio, sed uenientē & mul-
 ta pro Christiana fide dicere parantem, crudelissimo mortis genere interceptit. *Ioannes Hussius.* Nemo ergo istorum hominum pollicitis facile credat. Simulant ut occidant, Neq; enim ueritati, iustitiæ & æquitati fidere possunt, qui istas sibi habent aduersissimas. Iniuriæ ac neci fidunt, ijs uincunt, istas ut exerceant, in ius prouocant: atqui ubi ueneris illorum ius iniuria est. Porro deuotione deuouimus nos, conduplicatio est Hebraica, amplificatio nem in se continens & auxesim, hoc est, intentionem eius, quod dicitur, Innuebant enim conspiratores illi, se maxime & certissime deuouisse. Est autem deuouere execrari sese & libera malorum imprecatione animum ad certam aliquam rem peragendam ad dicere. Cæterum non probat huiusmodi uota temeraria ac impia Chrysoftomus. *Temeraria uota.* Dicit enim, Tales sunt uenandi artes diabolo, qui prætextu pietatis laqueos tegit. Ecce enim ieiunium illorum homicidij mater est. Sicut & Herodes etiam iuramento sibi ipsi necessitatem induxerat, ita & hi. Proinde ex hoc loco colligimus non omnem uouendi rationem placere deo. Atqui ut hoc loco non nihil digrediamur & breuem de uotis sententiam inseramus, Ego quidem uotum nihil aliud esse uideo, quàm liberam earum rerum, *Votum quid.* quas possumus & quas Deo acceptas esse scimus, pollicitationem. Neq; enim negamus uotum in re pia & honesta fieri posse: neque iubemus pium & æquum uotum rescindere. Vbi illud interim ceu præscitum & indubitatum præsumpsi, nemini nisi uni deo licere uota nuncupari. Nam si unus Deus duntaxat colendus est atque in rebus omnibus spectandus, utpote cum ex illo & per illum & in illum sint omnia, certè uni tantum uota nuncupanda sunt. Quod autem dixi uotum pollicitationem esse liberam, *Votum sit liberum.* propterea dixi, quod de Christianorum uotis loquor, apud quos fidei libertas prohibet ita sese elementicis obstringere rebus, ut inde non possimus citra salutis emergere periculum. Vt nunc uouere nobis liceat abstinentiam, sed libere, hoc est, ut retractare liceat, cum libet, iusta de causa, retractatamq; non putemus nephas iustæ damnationis esse causam. Exemplo sit ea Pauli indulgentia quæ extat. Corinth. 7. de coniugum abstinentia. Hanc enim si mutuus adfit consensus, suscipere licet, ac se Deo ceu uoto quodam obstringere, sed ita ut ne quid nimis: ut inquam ad tempus fiat, rursusq; conueniamus in unum, ne tentet nos sathanas. Quo exemplo summa certè libertas proponitur, sed iusta, ob causam iustam, & in causa iusta. Dicitis autem id quidem uotum non esse, sed liberum animi propositum, adeoq; & perpetuum Domini mandatum, ut scilicet ab omni abstineamus scortatione & immunditia. Atqui hoc ipsum istis demonstratum uolui, uotum uidelicet nobis non esse perpetuum quoddam fatum & inuitabilem necessitatem, sed liberam & extemporalem animi deliberationem, ad nutum Dei compositam, atq; ita compositam, ut is qui uouit, semper possit melioribus occurrentibus & rebus ipsis subinde aliud suadentibus, uotum mutare in melius. *Vouere quod sit in potestate nostra.* Quid quod prorsus uanum atq; stultum est uouere, quod nõ est in potestate nostra, aut quod præterea & illicitum est? Vouebat Iacob patriarcha se deo decimas exhibiturum: sed eorum quæ daturus erat deus. Quid porro habemus quod deus non dederit? Nisi ergo deus opes dedisset, nihil uouisset Iacob. Proinde ea uouit, quæ per deum potuit. *Vouere quod non sit contra Deum.* Iam uero quem admodum stulta sunt uota, quibus ea uouemus quæ non habemus, ita ea impia sunt quibus ea Deo uouemus quæ Deo aut ingrata aut contraria sunt. Gratum autem est quicquid ad præscriptum uerbi sui exigitur, & quicquid fit ex fide. Nam quicquid non est ex fide peccatum est: quemadmodum & illud Deo contrarium est, quod à scripturis (quæ uoluntas Dei est) alienum est. Et cum uoues nosti Deo uotum tuum aut acceptum esse aut non esse. Si nosti Deo acceptum esse, certè causam quoque nosti cur illi sit acceptum. Habes igitur uerbum Domini. Quod si uerbum Domini non habes super uoto tuo certum, reuera non nosti uotum tuum Deo acceptum esse, Nisi diuinarum

rerum cognitio à nobis, & non tantum à spiritu dei proficiscatur, quod tamen ut omnis scriptura asserit, ita illud Paulus 1. ad Corinth. 2. cap. prorsus pernegat. Si autem non sit uotum tuum deo gratum esse, proculdubio stultum est: utpote quod ipsum rationem sui imò ipsum sese nescit. Omnia ergo quæ uouentur aut ex deo sunt, aut ex deo non sunt. Si ex deo sunt, ex fide utiq; & libera sunt. Si ex deo non sunt, impia sunt. Iam quis tam stultus qui impietatem deo placere credat? Itaq; uota Christianorum eiusmodi quidem sunt, hoc est, libera, deo dedicata soli, ex fide profecta, item eorum quæ possumus, deoq; grata esse nouimus, & nulla necessitate perpetua, sed per causas iustas uersibilia. Hinc uero colligimus uota Pontificia, ueluti ea sunt quæ diuis nuncupantur, & Monastica dicuntur, idq; genus alia, prorsus à Christiana religione esse aliena. Nam ea quæ diuis fiunt, contra religionem Christianam ueniunt. Religio enim Christiana docet uni deo per Christum esse adhærendum, uni supplicandum, & fidei oratione ac iustitia litandum: ab hoc esse cum corporis tum animæ salutem. At qui diuis uoto paciscitur, non citra impiam stipulationem paciscitur; nempe si seruent, aut in imperium, aut amplas facultates prouehant, aut si iuuisse credantur. Hac enim ex causa anathemata siue munera eorū templis & urbibus (eò enim uasaniæ uentum est, ut regna priuataq; urbes sese dijs consecrauerint tutelariibus) non citra modicum & facultatum & uitæ dispendium inferuntur. Hic enim ad Galitiam sese recipit Iacobum salutaturus. Alius Hierosolymā procurrit ficitia saluatoris uestigia adoraturus. Hic uero Romam inuisit supplicaturus apostolorum primatibus. Huc uero sese uoto suo diuis nuncupato per omnia constringi sacra credit. At cum solius dei sit seruare, alere, curare, & per omnia cōseruare, isq; fide non pedibus accedatur, spiritu quoq; non externo cultu colatur: consequitur uota dijs nuncupata prorsus esse impia. Nam etsi in potestate tua sit uel eximium munus stipulari, idemq; præstare, item Romam aut Compostellam trāsire, displicet tamen deo creaturarum cultus. Quo fit ut uotum esse nequeat, quod cum uoluntate dei pugnat. Ad Monastica uenimus, quæ etiam si uouentur deo, non tamen soli, sed aut Benedicto, aut Dominico, aut Francisco alioue uouentur, præterea libera non sunt, neq; in potestate nostra constituta. Nam quo pacto uocaueris ea libera, in quæ iureiurando iuratur, & sic iuratur, ut nisi districtum per omnem uitam & citra omnem retractationem seruentur, perisse uideatur is qui uouit? Non enim nunc referam quòd uotis nostris salus tribui cœpta est, quæ summa est impietas. De castitate clamat ipse dominus Iesus, non omnium esse donum. Testatur Paulus bonum commodum esse mulierem non tangere, sed si quis carnis tentigine non uexetur. Si enim quis ista uexetur, fatius esse uxorem ducere quàm uri. Quòd si in potestate nostra non est castitas, sanè sub uotum cadere non potest. Consequitur ergo castitatis uotum aut stultitiam esse, si nescias quid uoueas, aut impietatem, si non ignores carnis tuæ impotentiam, nihilominus tamen uoueas. Quid enim hoc aliud est, quàm deo uouere perpetuam scortationem & perseverantissimam immunditiam? Et de paupertate ea quid dicam, quæ totius penè orbis opes & redditus suis inscripsit rationarijs? Iam ubi inuenias otium suauius, instructiores aut lautiores mensas, commodiorem, molliorem ac mundiorem uestem, quàm apud istos qui uerbis paupertatem uouent, re ipsa Croesoditiores sunt? Quasi uero ipse deus falli possit, aut homines communi careant sensu. Vbi uero deus talem paupertatem præcepit unquam? Aut cui deo post Mammona placere possit? Uotum ergo de paupertate monasticum non est uotum, sed luxus, otij & imposturæ tegumentum. Quòd si obijcias obediētiam rem esse sanctam & piam, non negauerim, modo iusta sit, & in re iusta, à deo nobis iniuncta & non à nobis ipsis electa. Verum hic te relegamus ad diuinam historiam 1. Regum 15. & Matthæi decimoquinto, cui si contuleris obediētiam monasticam, deprehendes ipsam maxima ex parte aliud non esse quàm perfidiam & inobediētiam prætextum. Nec ignoro quid hic responderi possit, Etsi reuera uotum non sit quod diuis nuncupauit aut monastico ritu uouit, interim tamen uouit, quin & iureiurando me obstrinxi, ut nunc capitis periculo uitæq; æternæ dispendio luiturus sim, nisi semel promissum sincere præstem, maxime cum

Summa.

Vota diuis nuncupata.

Vota monastica.

Votum castitatis.

Votum paupertatis.

Votum obediētiae.

Argumenta pro uotis.

cum scriptum sit, Quod semel egressum est de labijs tuis obseruabis & facies, sicut promissisti domino deo tuo, Deute. 25. Cui & illud correspondet quod Numeri 30. extat: & Psalmo 75. dicitur, Vouete & reddite rursum quod Paulus dicit, Iudicium siue damnationem habent qui primam fidem fregerunt, 1. Timoth. 5. Quibus omnibus nos ad hunc modum respondemus. Principio cum uoueres proculdubio sciebas uotum tuum in tua esse potestate uel non esse. Deo præterea gratum esse aut non esse. Iam uero quod hostiam alicui promissisti diuo, aut castitatem uouisti deo, tum quidem in tua id potestate fuisse positum & deo non ingratum esse, cogitasse potes, at nunc adserere non potes: nisi religioni fidei que clare & experientis uarijs occlamare libeat. Inde porro sequitur uouisse quidem te, sed quid uoueres ignorasse. Iam ergo posteaquam recepisti oculos, & uides qua in parte erraueris, quid obsecro candidius fuerit, quam ut errorem fatearis, confessum depreceris, auerferis que deprecatum, conuersus ad uoluntatem & infallibile uerbum domini. Sic enim refarcieris inscitiam tuam: contra uero peccatum peccato cumulaueris, si simplici errori adicias malitiosam pertinaciam. Vidisti enim uotum tuum diuis nuncupatum prorsus repugnare scripturis sanctis, sensisti præterea infirmitatem carnis tuæ, quod que castitatis dono cares, si iam nihilominus pergas diuis offerre, aut Venere seruire, propterea abhorrens à sacro coniugio, quod uoueris cœlibatū, quem tamen propter congenitam immunditiam non seruas: quid obsecro malitiosa pertinacia est, si hæc non est? Herodes huius negotij propriissimum fuerit exemplum, qui si pollicitationem suam stultam & incogitatam aut mero inscripisset aut remisisset posteaquam uiderat quod uotum suum uergeret, minus peccasset & uenia dignus erat: nunc uero cum imprudens uotum, opere, iam non nescius quid ageret (sciebat enim Ioannem uirum esse sanctum & iustum) crudeliter perficit, stultitiæ iungit scelus. Herodem hunc imitatur, qui aduersus Euangelium Christi coniurat, sicut & quadraginta istos Iudæos coniurare uidemus, qui tamen eam sibi labem abluissent, si pristinam retractassent sententiam. Huiusmodi enim uota prorsus impia sunt. Nam qui meliora docti in coniuratione perseuerant, & pertinaciam suam temerario iuramento tuentur, iam non simpliciter peccant, sed agnitæ ueritati repugnant, hoc que impudentius, quo uehementius iuramentum obtendunt, quod sane citra insignem hypocrisim & gloriationem in malo fieri non potest. Deinde uerum esse fateor id omnino opere complendum esse, quod ore semel uoueris. Hoc enim suadet ueritatis honestas & decus, mendacii item & inconstantiæ infamia: sed si interim uotum eiusmodi sit, ut opere perfectum in nefas non abeat, aut maiorem inurat infamiam. Quod si aut infamat aut scelus est, præstat quidem uerbis peccasse tantum, quam male sanis uerbis pessima iungere facta. Neque enim frustra in lege dicitur, Si quidpiam uoueris DOMINO DEO TVO. Atqui deus impijs & illegitimis rebus non delectatur, ergo lege dei non astringeris uoto, si cum errore aut scelere coniunctum sit. Tale proculdubio erat & uotum Iephtaë, qui parricidium deo uouerat, atque constanter ad uerba legis respiciens dicebat: Aperui os meum ad dñm, & aliud facere non potero. Atqui minus peccasset si de stulta promissione penitens filiam non iugulasset. Nam & Iosephus testatur uotum Iephtaë neque legitimum neque deo gratum fuisse. Verba eius si quis requirat hæc sunt, Iephtaë deum pro uictoria deprecatus & sacrificium promittens, ut si uiuus reuerteretur, quicquid ei primo occurreret immolaret. Congressus longe uicit: reuersus autem calamitatem incurrit nullo modo prisce felicitatis æqualem. Nam ei filia unigenita & uirgo occurrit, quam sibi obuiam uenisse ingemiscens culpabat, quam sacrificandam deo deuouerat. Et ipsam quidem aliquo tempore transeunte, pater immolauit, nec legitimum faciens holocaustum, nec deo charum, non utique deliberans apud animum suum qualis apud cæteros huius facti causa uideretur. Cui & Hierony. in lib. aduersus Iouinianum astipulat. Melius ergo feceris, o frater, si ab impio facto abstinueris, quam si stulta uerba & uota periculosa constanter perfeceris. Iam quod propheta locum attinet in Psal. 75. non loquitur de istorum uotis stultis, sed de muneribus deo offerendis. Sic enim habent propheta uerba, Vouete & reddite dño deo uestro, omnes qui in circuitu eius sunt afferte munera. En posterior sententia explicat quod priore uoluerit,

An omnia uota præstanda.

Herodis pollicitatio.

Iusiurandum in malo.

Promissis stare.

Votum Iephtaë.

Vouete et reddite.

Locus Pauli de
violata fide 1.
Timoth. 5.

Imò in plerisq; ueteris instrumēti libris uouendi ratio non erat sine externo sacrificio, quin potius ipsum uotum erat sacrificium. Tota ergo illa uouendi ratio abrogata est. Nam omnes legis uictimæ, hostiæ & oblationes in Christo Iesu abrogatæ sunt. Christiani propria corpora nostra deo offerimus, mundas preces, gratiarû actionem ac eleemosynas sinceras. Hæc inquam sunt uota nostra. Porrò locus Apostoli 1. Timoth. 5. pro nobis, nihil contra nos facit. Præcipit enim Timotheo suo Apostolus, ne temere aut cito eas suscipiat quas adigit stultitia, ut simulent a deo q̄ & spondeant castimoniã. Scire enim se quod multa mendaciter polliceantur, unde cum paulò post ex necessitate immutare cogantur uitæ suæ statum, enascatur *κρίμα*. iudicium siue damnatio (*ein nachred und fürzug*) quod primæ isti non steterint promissioni. Proinde illas priusquam in iudicium incidant, à stulto uoto arcendas esse tradit. Iudiciũ ergo siue condemnatio eo loci non accipitur pro morte & interitu animæ, sed pro macula infamiæ. Legatur autem ex integro locus Pauli, & apparebit quibus suffragetur. Hæc de uotis pauca quidem & ante annos aliquot scripta ad D. Vuernherum Steynerium uirum pium & amicũ nostrum singularem, huc pro re nata inferere libuit, non ut ijs tibi prorsus hac in caussa satisfacerem. Scio enim quàm prolixam hæc postulent disputationem, sed ut ampliora cogitandi suppeterem ansam. Redimus nunc ad historiam.

Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit in castra, nunciauitq; Paulo. Accersito autem Paulus ad se uno ex centurionibus ait: Adolescentem hunc adduc ad tribunũ: habet enim quod renunciet illi. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunum, & ait: Vincit Paulus accersitum me rogauit, ut hunc adolescentem perducerem ad te, habentem aliquid quod loquatur tibi. Apprehensa autem tribunus manu illius, secessit cũ eo seorsum, & percontatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? Ille autem dixit: Iudæi conspirarunt ut rogarent te, uti crastino die educeres Paulũ in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: tu uero ne morem gesseris illis. Insidiantur enim ei ex eis uiri plures quadraginta, qui seipso deuouerunt, ne uel edant, uel bibant, donec interficiant eum, & nunc parati sunt expectantes, ut promittas.

Principes hu-
mani sint.

Destruit impiorum consilia dominus, non utiq; cum negotio, sed citra negotium, leui aliquo commento: ut uideamus quàm langueant uires nostræ aduersus ueritatẽ uerbi eius. Per adolescentulum ergo nepotem Pauli (habuit enim sororem maritatã apostolus) hoc loco destruit omnes Iudæorum conatus. Ita olim unius mulierculæ uiribus fortissima Assyriorum castra attriuit. Atq; hiẽ miris modis commendatur à Luca Centurionis & Tribuni humanitas atq; facilitas. Haud enim grauatim ille Paulo obsequitur, hic uero adolescentem libentissime audit. Huc enim pertinet, quod refert tribunum quàm familiarissime adolescentis apprehēdisse manum (hoc enim gestu significamus nos optime ei uelle cuius manum apprehendimus) secessisse ac rogasse, Quid haberet sibi significandum? Et cum iam omnem rem uti à Paulo commissa erat, & ut ipse à conūratoribus intellexerat, retulisset, nihil mali (quod tamen mirum) suspicatus Tribunus, quasi hæc narratio captiui artibus contexta esset, statim narrationi credidit: quod aliàs quoq; profunda huius gentis malitia sibi perspectissima esset, uel ex hesternâ proteruia atq; iniuria. Huius ergo Tribuni exemplo discant nostri principes prudentiæ humanitatem ac facilitatem iungere. Inuenias enim qui neminem nisi præsigni autoritate præditum amice excipiant aut audiant, præterea omnibus ex æquo grauatim credãt, quantumuis hoc quod dicitur multis cum cõiecturis tum testimonijs approbetur. At multis hæc difficultas exitio fuit. Vituperanda quidem est nimia credulitas, sed interim non laudanda ista quorundam supina negligentia. Notissimũ enim est uulgatum prouerbum,

prouerbium, Amyclas periisse tacendo. Contra uero, Qui cito credit (dicit Sapiens) leuis est corde, & delinquit in animam suam. Recte ergo Flaccus dicit, Virtus est medium uitiorum utrinque redactum. Iam & Pauli prudentia diligenter est obseruanda. Tamen si enim deo fideret, & patientia illi seruiendum esse sciret, tamen admonitionem fidelem opportunitatemque non negligit. Hoc ipsum & Chrysostronus annotauit, dicens: Et dignum fuerit cum stupore admirari Paulum ad hanc adolescentis admonitionem, non turbatum fuisse aut dixisse, Quid hoc est, nunquid decepit Christus, qui dixit, Oportebit te & Romæ testificari? Sed nihil tale cogitauit aut accidit ei, sed solum credidit. Iam etsi credidit, somniculosus tamen non fuit, sed quæ per humanam sapientiam contueri poterat, protulit. Hæc Chrysostronus. Videas & sanctos dei prophetas principum amicitiam, auxilia & consilia non aspernari. Vbi ergo nunc sunt qui clamant, Quid Euangelij prædicatoribus cum magistratu? Quid credenti opus stipendiarijs? Si deo & Euangelio credit, prodeat in medium hostium, & percussus in alteram maxillam, præbeat & alteram. Hæc enim uanorum hominum uerba sunt. Cur enim hic nõ prodijt Paulus in coniuratorum cuneum? Cur hoc negotium ad Tribunal retulit per Centurionem? Si ergo Paulo licuit prophano uti magistratu pro gloria Euangelij afferenda, suaque salute tuenda, cur idem non postularem ab ijs qui Christiano nomine gloriantur, imò qui & Christo nomina sua in baptismi symbolo dediderunt? Cæterum hanc rem tractauit diligentissime Aurel. Augustinus multis in locis aduersus hæreticos eadem iisdem penè uerbis obijcientes, maxime tamen in libris aduersus Donatistas scriptis, & in libro quo Petiliani respondet epistolæ. Illum autem hoc libentius cito, quod omnia huius negotij scripturis & rationibus sanis à fide & charitate nihil discrepantibus uideatur tractare. Quod si quis Augustini opera non habet, aut omnia illa euoluere non potest, hanc huius negotij summam accipiat, quam idem ille contexit in lib. de Correctione Donatistarum ad Bonifacium cap. 13. in hæc uerba, Quod enim dicunt qui contra suas impietates leges iustas institui nolunt, Non petiisse à regibus terræ apostolos talia, Non considerant aliud fuisse tunc tempus, & omnia suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum crediderat Imperator, qui ei pro pietate contra impietatem leges ferendo seruiret? Quando adhuc illud propheticum complebatur, Quare fremuerunt Gentes, & populi meditati sunt inania. Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in unum aduersus dominum & aduersus Christum eius? Nondum autem agebatur quod paulò post in eodem Psalmo dicitur, Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram. Seruite domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges domino seruiunt in timore, nisi ea quæ contra dñi iussa fiunt religiosa seueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim seruit quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, ei seruit uiuendo fideliter. Quia uero etiam rex est, seruit leges iusta præcipientes, & contraria prohibentes conuenienti uigore sanciendo. Sicut seruiuit Ezechias lucos & templa idolorum & illa excelsa, quæ contra præceptum dei fuerant constructa destruendo. Sicut seruiuit Iosias talia & ipse facièdo. Sicut seruiuit rex Niniuitarum uniuersam ciuitatem ad placandum deum compellendo. Sicut seruiuit Darius idolum frangendum in manus Danielis dando, & inimicos eius leonibus ingerendo. Sicut seruiuit Nabuchodonosor omnes in regno suo positos à blasphemando deo lege terribili prohibendo. In hoc ergo seruiunt domino reges in quantum reges sunt, quum ea faciunt ad seruiendum illi quæ non possunt facere nisi reges. Cum itaque nondum reges domino seruirent temporibus apostolorum, sed adhuc meditarentur inania aduersus eum, & aduersus Christum eius, ut prophetarum prædicta omnia complerentur, non utique tunc poterant impietates legibus prohiberi, sed potius exerceri. Sic enim ordo temporum uolebatur, ut & Iudæi occiderent prædicatorum Christi, putantes se officium deo facere, sicut prædixerat Christus, & Gentes fremuerunt aduersus Christianos, ut omnis patientia martyrum uinceret. Postea uero quàm cepit impleri quod scriptum est, Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes seruiet illi. Quis mente sobrius regibus dicat? Nolite curare in regno uestro, à quo tueatur uel oppugnetur ecclesia dñi uestri,

Paulus armis
Romanorum be-
ne utitur.

Vsus armorum
in rebus eccle-
siasticis.

4. Reg. 15.

4. Reg. 22.

Iona 3.

Danielis 14.

Dan. 6.

Dan. 3.

Ioan. 10.

Psal. 71.

Non ad uos pertineat in regno uestro, quis uelit esse siue religiosus siue sacrilegus, quibus dici non potest, Non ad uos pertineat in regno uestro quis uelit pudicus esse, quis impudicus: Et quæ sequuntur. Huc enim pertinet quod in 9. capite huius libri de uolenta Pauli conuersione citauimus.

Tribunus igitur dimisit adolescentem, præcepitque ei, ne cui effutias, inquiring, quod hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdam centurionibus, dixit: Parate milites ducentos, ut eant Cæsaream, & equites septuaginta, & lancearios ducentos à tertia hora noctis, & iumenta præbete, ut impositum Paulum, saluum perducant ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam:

Occultanda consilia,

Iterum laudatur tribuni prudentia, qui in hoc taciturnitatem ab adolescente postulat, ne Iudæi uel consilium mutarent, uel ex re manifestata æstimarent tribuni consilium, quale futurum foret. Maxima autem semper fuit in occultandis consilijs cura uetustis. Vnde Metellus pius in Hispania interrogatus quid postera die facturus esset? Tunicam meam si id eloqui posset (inquit) comburerem. Author Iul. Frontinus lib. 1. Stratag. cap. 1. Tribunus ergo ut Romanum ciuem iniquorum eriperet manibus, milites designat 470, hoc est equites 70, pedites 400, qui ipsum saluum ad Felicem perducant. Rursum ne conductus ille maioris existeret caussa tumultus, illum sub noctem, Iudæis nihil tale suspicantibus instituit. Multum enim refert quo tempore quæque faciamus. Porro Lucas per *στρωτάς*, quos interpres noster uertit milites, eos intellexit, quos nos uocamus pedites. At per *δξιοβόλας*, quos lancearios uertit, ferè sagittarios intellexit. Missilibus enim utebatur uetustas. Et *δξιοβόλας* dixit quod dextra mitteret missilia siue hastilia. Statim autem post illa uerba, Vt saluum perducant ad Felicem, sequitur in uulgatis exemplaribus, Timuit enim ne forte raperent eum Iudæi & occideret, & ipse postea calumniam sustineret tanquam accepturus pecuniam. Sed cum non extant in Græcis exemplaribus & e margine uideantur irrepsisse, ab interprete nostro omissa sunt.

Claudius Lysias potentissimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, cum iam esset interficiendus ab eis, superueniens cum exercitu, eripui, cognito quod Romanus esset. Volensque scire causam, ob quam accusarent illum, deduxi eum in concilium eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimen. Et cum indicatum esset mihi de insidijs quas parauerat illi Iudæi, protinus misi eum ad te, præcepto dato etiam accusatoribus, ut quæ habent aduersus eum dicant apud te. Vale.

Noluit esse Galilio iudex esse Iudaicarum quæstionum.

Nihil est non obuium & facile in hac epistola. Expositoria enim est, breui ac castrèsi stilo conscripta. Breuibus enim exponit quis Paulus sit, & quam ob causam in uincula deuenerit. Cæterum cum in ea palam dixisset nullum in eo crimen inuentum esse morte aut uinculis dignum, ac Felix obijcere potuisset, Cur ergo non dimisisti innoxium? præuenit & ait, Insidiæ Iudæorum id non permiserunt, publicæque pacis periculum. Quo circa misi eum ad te, accusatoribus etiam eius præcepto dato, ut & ipsi proficiscantur ad te, causamque istam coram te absoluant.

Milites uero iuxta quod sibi iniunctum erat, receptum Paulum duxerunt per noctem Antipatridem. Postero autem die dimissis equitibus, ut cum eo irent, reuersi sunt in castra. Qui cum uenissent Cæsaream, ac tradidissent epistolam præsidi statuerunt coram eo & Paulum. Cum legisset autem præses, & interrogasset ex qua prouincia esset, &

cogno-

cognouisset quòd ex Cilicia : Audiã te, inquit, cum accusatores quoq; tui aduenerint, iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

Omnia diligenter perscribuntur à Luca, ut uideamus quomodo deus sanctos suos exerceat, & omni periculo liberet. Cum autem res iam extra periculũ esset soli equites ab Antipatrida Paulum Cæsaream deducunt, eam inquam quæ quondam dicebatur Turris Stratonis. Hic & Felix Iudææ præses in signe æquitatis exhibet specimen, dum ait, Audiam te cum accusatores quoq; tui uenerint. Publicus enim omnium sensus clamat, & alteram partem esse audiendam. Vide autem quod ubiq; Gentes Iudæis meliores sunt, quanquam id quidem esset diuinæ gratiæ, qua Paulum ad uberiorem euangelicæ doctrinæ frugem uoluit conseruare. Quocirca & Felix hunc in prætorio Herodis, quod uidelicet ab Herode constructum erat, asseruari iubet. Prætorium autem illi uocant quod Germani appellamus *das radt oder richtbuß*.

Audiẽda etiam altera pars.

Post quinq; autem dies descendit princeps sacerdotũ Ananias cum senioribus & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem contra Paulum. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur in populo hoc per tuam prouidentiam, & semper & ubiq; comprobamus, præstantissime Felix, cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineã, oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus uirum hunc pestiferum, & concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe, & authorem sectæ Nazarenorũ, qui etiam templum prophanare conatus est, quem & apprehensum uoluimus secundũ legem nostram iudicare. Sed superueniens tribunus Lyffias, cum magna uireripuit eum è manibus nostris, iubens accusatores ad te uenire, ex quo poteris ipse inquisitione facta de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes hæc ita se habere.

CAP. XXIII.

Aliam nunc pugnam describit, in qua electionis uas Paulus uirtute Christi, mendaciorum & calumniarum nebulas discutiens, longe uicerit. Sed ut gloriosior esset ueritatis uictoria, magna uerborum euidentia aduersarios Pauli pingit, ac fori seueram aliquam oculis proponit imaginem: his omnibus obiicit Paulum eumq; solum omniq; præsidio humano destitutum, adeoq; & uinctum, interim tamen multa libertate utentem. Tanta est ueritatis confidentia. Oratio autem Tertulli in iudicali genere habita, admodũ est rhetorica, sed propter ineptam causam satis mendax & frigida. Exordium quo sibi præsidis fauorem eblandiri cupit, tractum est ab encomio beneficiorũ Felicis, habetq; adulationis & artis plurimum. Dum enim à seruandæ pacis cura Felicem commendat, simul & Pauli causam reddit odiosissimam, quem non alio crimine magis urget quàm tumultus & seditionis. Hoc autem dicit, Quod in tam prospera agimus pace, multaq; officia accipit populus Iudaicus id uni tibi tuæq; acceptum ferimus prudentiæ, adeoq; & gratias agimus immortales, simul & illud sperantes te & in hac causa, quam nunc deferimus nostræ gentis tranquillitati consulturum, His protinus adiicit, Sed ne diutius te detineã, oro ut pro humanitate tua nos paucis audias. Quæ sanè transitio est, à breuitate gratiam querens, & simul fidutiam quandam complectens bonitatis causæ, tanquam multis non sit opus præfari aduersum hominem seditiosum, coram illo qui publicæ tranquillitati adeo faueret. Ab his mox narrationem ipsam inquit, summatim complectens rem gestam, cum criminatione adiecta (*λοιμὸν*, id est, pestem uocauit hominem uehementer pestiferum) & nuda earum rerum enumeratione, de quibus Iudæi Paulum sperabant iudicandum, Tria autem potissimũ illi impingunt, Primum,

Victoria ueritatis.

Oratio Tertulli satis frigida.

Accusationis capita.

Testimonia.

Seditionem, quam & illo amplificat quod hanc non ipsis tantum, sed omnibus etiam Iudæis in uniuerso orbe excitari. Secundum, Nouum & impium dogma. Paulū enim appellant *ηγοςάρτω ἡ Ναζαρέων ἀγίοσως*, id est, præfectum, primarium, ducem atq; antesignanum sectæ Nazaræorum. Nam ipsum Christianorū uulgus probroso uocabulo Nazaræos, at ipsum dogma euangelicum Hæresim nuncupabant Nazarenicam. Tertium, Prophanationem templi. Id quod propter Trophimum Ephesium (ut in 2. cap. auditum est) impegerūt. Istis addunt testimonia coniecturalia, ipsa in quā uincula, quæ illi in templo nequaquam iniecerunt, nisi in tantis fuisset deprehensus flagitijs. Sed & Tribunum Lysiam testem statuunt. Postremo quotquot astabant adiecerunt ita habere omnia, sicut enumerat Tertullus. Iam enim simul & accusatores & testes facti erant, æqui, si dijs placet, uiri, hoc ipso prodentes impudentiam & iniustitiā illam suam maximam. Indicat autem hoc loco Beda uulgatā æditionem Noui testamenti, quæ suæ ætate fuerit recepta, sic habuisse hunc locum, Quem & apprehendimus, à quo poteris ipse iudicās de omnibus cognoscere: ut ablatius quo, referatur ad Paulum, uelut non negaturum quod illi obtēdissent. Idem mox aliam lectionem ex Græcis afferens exemplaribus, eandem substituit quam in præsentiarū recensuit Erasmus, qui tamen & ipse fatetur ista in multis Græcorum exemplaribus non haberi.

Respondit autem Paulus, cum annuisset ipse præses, ut diceret: Aequiore animo pro me ipso causam dico, cum sciā te multis iam annis iudicem fuisse genti huic, qui possis cognoscere quod non plures sunt mihi dies quā duodecim, ex quo ascēdi adoraturus Hierosolymam: & neq; in templo compererunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neq; in synagogis, neq; in ciuitate, neq; probare possunt ea de quibus me accusant.

Modestia Pauli.

Seditionis crimen à se amolitur.

Qui ergo Tertullum hæcenus strenue accusantem audistis, nunc oro ab istis asperginibus repurgantem sese Paulum patienter audite: cuius modestia nobis statim à principio commendatur, quod ad tantas calumnias nihil asperius respondens, facultatem dicendi sibi à iudice factam, expectarit. At cum illi iam facta esset, uide q̄ mature, quā prudenter & constanter ad omnia imò singula ordine respondet, idq; ex tempore. Initio beneuolentiam captat, sed partius & citra omnem adulationis suspicionem. Ducit enim exordium partim ab aduersariorum dictis, partim à iudicis persona. Quasi dicat: Gratulantur equidem aduersarij mei sibi eum obuēnisse iudicem, qui ut publicæ tranquillitatis acerrimus sit assertor, ita seditiosorum seuerissimus ultor: at ego mihi ipsi gratulor, quod is mihi obtigit iudex qui & longarum experientia didicit qui nam publicæ tranquillitatis turbatores sint maximi, illi nimirū qui quod ipsi sunt alijs impingunt: gratulor in quā mihi quod is mihi obtigit iudex qui facile quid uerum aut quid falsum sit deprehendere potest. Atq; hic protinus à tempore argumentū trahens primā diluit calumniam, dicens, Illi sanè seditionis me insimulant maximæ: cæterū cum non plures sint mihi q̄ dies duodecim, ex quo ascēdi Hierosolymam, ex breuissimo temporis spatio facile cognoscere potes, an ego rem tantam adornare ac facere potuerim. Deinde uero & à causarum loco argumentās addit: Neq; tumultuaturus, sed adoraturus ascēdi. Rursus à loco per partitionem suæ causæ fulcra admolens, Neq; in templo (ait) neq; in synagoga, neq; in ciuitate repererunt me cum quoquā disputantem, aut ullū populi concursum facientē. Demū uero ueluti mendaciorū pertelus paucis omnia dicit & ait, Sed quid pluribus opus? Mentiuntur, nec ullis idoneis argumentis probare possunt ea de quibus me impudentissime accusarunt, siue ut Græce significantius scriptum est, *οὐτε ἵδρασθῶσι με δῶσαντα*, id est, nec exhibere me possunt. Exhibere enim dixit pro conuincere. Id quod Germanice sic esserimus, *Sywerdeds nimmermec mögen vff mich bringen*. Hæc ad accusationē primam respondit. Nam quod præterea & pestē uocarat, ceu furda aure trāsfit, nolens conuictū rependere conuictio: ad ea quæ necessaria uidebātur responder.

Confiteor

Confiteor autem hoc tibi, quod iuxta uiam quam uocant hæresim, siccolo patrium deum, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in deum, fore, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum iustorum simul & iniustorum. Quin in hoc & ipse studio sine offendiculo conscientiam habere erga Deum, & erga homines semper.

Istis respondet posteriori accusationi expurgans se de nouo & impio dogmate, simul & claram synceramque libere confitens ueritatem. Non autem nego (inquit) quod Christianum mihi dogma obijciunt, hoc autem non agnosco, quod illud mihi tanquam errorem aut certe impium religionis morem obijciunt. Non enim nouum aliquem deum aut agnosco aut prædico, sed deum patrium: nec alio modo aliæ ratione, quam ea quæ lex & prophetæ præscripserunt. Maxime quod in Christo Iesu futura sit mortuorum resurrectio & uita æterna: quam & expecto & eius rei gratia innocentiam studeo cum erga Deum tum erga proximos. Hæc summa est eorum, quæ opposuit criminationi de nouo & impio dogmate. Poterat autem uideri Paulus hæreseos uocabulum mitigare uoluisse, cum dixit, κατὰ τὴν ὁδὸν ἣν λέγουσιν ἄριστοι, iuxta uiam quam dicunt hæresim, nisi Erasmus monuisset Hæresis uocabulum apud ueteres non fuisse tam odiosum, quam hodie apud nos sit, hac ergo Paulum ceu nota uulgo uoce exposuisse, quod magis ad Hebraicum idioma accedens dixerat uiam. Quin & paulò post in cap. 26. Hæresis uocabulum in bonam partem dum se dixit Pharisæicæ fuisse sectæ, usurpat: quemadmodum & Cicero apud nos in procemio Paradox, de Catone loquens, In ea est (inquit) hæresi quæ nullum sequitur florem orationis. Est & Sectæ uocabulum Latinis medium. Hæresis autem dicitur confirmata de aliquo dogmate opinio. Ex hoc autem loco clarissime liquet quinam hæresim doceant hodie, aut qui demum nouum & impium dogma in orbem disseminent. Certe Paulus sanæ doctrinæ potissima recensens capita, scopum ueræ religionis ostendit esse deum, nec quemlibet (sunt enim dii plurimi & idola innumera) sed patrium, id est, ueterem illum omnium rerum conditorem, quem Abraham Isaac & Iacob, denique omnes sancti patres coluerunt. Sed & modus colendi deum ex scripturis à Paulo sumitur & scripturis probatur. Non enim placet deo quiuis ipsum colendi ritus, sed quem ipse nobis præscripsit. Vnde iam consequitur illos tradere nouam fidem, qui nuper natos Diuos colere docent, modumque colendi iuxta humanarum legum instituta præscribunt. Iam & paulò tectioribus uerbis & Christi profitetur mysterium, cum resurrectionis & bonæ conscientiam meminit. Nam extra Christum nulla est resurrectio aut bona conscientia. Discimus ergo in solo Christo sperandam esse resurrectionem & uitam: denique iustitiæ & innocentiam studium, uerum dei esse cultum. Id quod iterum nostrorum temporum dogmatis repugnat ex diametro, quod ea habeant plurima alia quibus uitam & salutem tribuunt. Iudicent ergo Lectores qui nuperam tueantur fidem atque doctrinam.

Expurgat se de nouo et impio dogmate.

Hæresis noua et uetus doctrina.

Post annos autem plures accessi, elemosynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes, in quibus compererunt me purificatum in templo, haud cum turba, neque cum tumultu. Quidam autem ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant, si quid deprehenderunt in me iniquitatis, cum stem in concilio: nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans: De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis.

Ad tertiam hisce respōdet calumniam, qua illi intentarāt imane illud flagitium, quod prophanasset templum, atque orationem sic attemperat, ut simul & tumultus culpam omnem in Iudæos retorqueat auctores. Summa autem eorum quæ dicit hæc est. Si beneficia in populum conferre est pestilentem esse, si iuxta legem purificari, oblationes, prophanarit.

id est, sacrificia offerre, & tranquille in templo agere est templum prophanare aut seditionis author esse, iam planè fateor uera esse quæ illi mihi impegerunt. Si uero illi templum prophanant qui istiusmodi deditum interturbant, iam Iudæi tales sunt, qualè me esse uellèt. Ego enim ne quid turbæ nasceretur, raso capite & uoto suscepto intraui templum: ut nunc in ipsa oblatione (proch facinus) me adorti sint. Porro Asiatici Iudæi (ne quis me de præsentibus loquutum intelligat) totius turbæ huius omnisq; iniuriæ mihi interrogatæ authores fuere, qui si quid iustæ in me haberèt causæ, proculdubio, ut mei sanguinis sitientissimi sunt, adessent, nunc autem cum iudicium hoc declinarunt, apertissimè me de sese prodiderunt, quod causæ diffidentes, nihil habent quo me iure accusent. Imò ne hi quidem qui coram astant habent quod obijciant. Si enim quippiam habèt, non deprecor, proferant quicquid facinoris de me norunt: sed nihil (scio) norunt, nisi illud forsan uolent calumniari (ecce quàm prudenter præoccupat quod ab illis obijci poterat) quod iam pridem in consilium illorum adductus, clamaui, me quidem Pharisæum esse, id est, ea parte accedere placitis Pharisæorum, qua illi cum Christiana religione tuentur mortuorum resurrectionem, quam dum Sadducæi negant, dissensio inter illos orta est non modica. Id sanè seditionis agnosco ex libera mea ueri confessione ortum esse, si modo ea mihi impingenda est dissensio, quam ex confessione mea non iam primum concepere, sed iam olim longa & auita cõsuetudine aluere. Sanè (ut cunq; res cesserit) nihil aliud quàm quod uerum erat, & quod ipsi Pharisæi credunt, confessus sum. Cur ergo mihi id cū Pharisæis confitenti, uerteretur uitio, quod illis impune confiteri licet quoties libet? De elemosyna siue collectis sæpius iam dictum est. Porro harum in hac re mentione uidetur id maxime significasse, quod ij demum uerum domini templum sanctificent, qui beneficijs iuuant inopes. Illi enim sunt uerū dei templum. Notatur præterea & ingratitude humana, quæ & Christo pro beneficijs rependebat crucem. Annotauit & Erasumus illam sententiã, Quidã autem ex Asia Iudæi, quos oportebat præsto esse, inabsolutam, & proinde subaudiendum esse, Illi tumultum excitarūt, non ego. Cætera uero satis exposita sunt. Hac tenus enim de Apologia Pauli, qua ut nihil inuenias elegantius, ita nihil constantius: ut uel ex hac una liqueat quæ sit ueritatis confidentia & libertas.

Auditis autem his, Felix distulit illos, certo sciens quæ ad eam uiam attinebant, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam uestram, iussitq; centurioni ut custodiret Paulum, sineretq; eum relaxari, & ne quem ex illius familiaribus uetaret subministrare ei, aut adire eum.

Distulit illos Felix, id est in aliud tempus causam istã differre uoluit, duabus ex causis. Principio quod probe ipsi cogniti essent Iudæorū mores, perspecta quoq; dogmata Iudaica, unde potuit cõiectare Pauli causam non tam malã esse quàm hostes ipsius, inuidum genus hominum, undiq; corrasis coniecturis & frigidis argumentis exaggerabant. Deinde quod omne testimoniũ præsidium in uno collocassent Lysia Tribuno: à quo ipse interim Felix omnem rei gestæ seriem se perscrutaturum promittit: hac utiq; ceu commoda declinatione accusatores à sese repellens. Nam Paulum ipsum custodiri quidem iubet, sed mitiore custodia adeoq; & libera. *ἀνοιχθῆναι* enim, id est, relaxationem, ne scilicet durius aut arctius haberetur, illi dari iubet, neq; familiarium quenquam, aut qui ipsi aliquid beneficij conferre uellet, arceri præcipit: hoc ipso innocentia Pauli certum ferens argumētum. Cæterum discimus nos iterum quàm benignus sit dominus, qui nullibi sanctos suos deserit, sed ubiq; maxime uero in periculorū procellis dexter adest. Iterum enim infecta re discedunt Iudæi. Paulus cõtra ceu uictor exultat, interim tamen in custodia, sed libera. Præterea uidemus prophanas gentes indicesq; barbaros uerbi ministris olim multo fuisse mitiores, q̄ nunc quidam sint qui nomen Christianum adeoq; & religiosorum profitentur, re ipsa hypocritæ & crudeles bestia sunt.

Post

Post aliquot autem dies cum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua quæ erat Iudæa, accersuit Paulum & audiuit ab eo fidem, quæ est in Christum. Disputante autem illo de iustitia, & temperantia, & de iudicio futuro, tremefactus Felix respondit: In præsentia abi, cæterum opportunitatem nactus accersam te, simul & illud sperans, fore, ut pecunia sibi daretur à Paulo, ut solueret ipsum, propter quod & frequenter accersens eum, loquebatur cum eo.

De Felice hoc uiro aliàs satis prudente complura scripsit Iosephus. Sex. Aurelius Victor in uita Claudij parum ipsi tribuit laudis. Nam liberti (inquit) eius (Claudij uidelicet, aut Messalinæ potius, apud quam erat summa rerum administratio) potestatem summam adepti stupris exilio cæde proscriptionibus omnia scædabant: ex quibus Felicem legionibus Iudææ præfecit. Quibus & illud astipulatur quod hic à Luca refertur Drusillam fuisse Felicis uxorem. Fuit autem Drusilla hæc regis Herodis, quem in Cæsarea percussit angelus, filia, religione Iudæa, soror regis Agrippæ, de quo paulò post audiemus. Hic Aziazo regi Amasorum (ut recenset Iosephus Antiquit. lib. 19. cap. 9.) uolenti se circūcidere, Drusillam hanc dedit uxorem. Epiphanes enim Antiochi regis filius, cui uiuente adhuc patre desponsata erat, nolens Iudæorum sequi morem, nuptias eius refutauit. Nuptiæ ergo inter Aziazum regem & Drusillam celebratæ, mox huiusmodi causa solutæ sunt. Dum Felix in Iudæam uenisset administrator, uidens hanc cunctas mulieres pulchritudine præcellentem eius speciem concupiuit, & quendam Iudæum Simonem nomine, amicū suum, Cyprium genere, hominem magum, mittēs ad eam, suadebat ut derelicto rege Amasorum marito suo, nuberet ei, felicissimā illam fore promittens, si eius torum non despiceret. Illa uero eius flexa promissis, priore marito deserto, Felici nupsit. Ex quibus iam claret uerissimum esse quod de Felice prodidit Aurelius Victor. Quem deinde imitatus Eutropius lib. de Gestis Roman. 3. iisdem uerbis eadem de Felice testatus est. Felix ergo cum aliquousq; aliò commigrasset, iamq; rediisset, Paulum euocat in colloquium, & præsentem uxorem suam Drusillam, cupit à Paulo plenius edoceri de secta quam profitebatur, non utiq; quod ueritatis teneretur desiderio, sed quod curiositate & muliebri stultitia, quæ semper rebus delectatur nouis, impulsus, negotium Christi, de quo multa ferebantur mirabilia, audire cuperet. Paulus ergo nihil moratus qualis esset aut quo animo sciscitaretur, haud suauius aut delicatula, noua & admirabilia, sed illud potius quod uerum erat, & quod illis maxime necessarium uidebatur, magna autoritate & grauitate edicit, adeo ut toti ad prædicationem eius consternerentur. Nam de iustitia, temperantia & iudicio differit. Lucas autem non nisi capita orationis (pro more suo) ascribit: at nos interim ex rebus præsentibus tum alijs à Paulo scriptis, facile coniecturare possumus quid aut quomodo de hisce differuerit. De iustitia enim aliud dicere non potuit, quàm quod ad Romanos scripsit, iustum ex fide uiuere, & ueram iustitiam aliud non esse, quàm fidem in Iesum Christum. Cæterū cum Felix præterea & iudex & totius regionis prefectus esset, proculdubio & de ea latius disputauit iustitia, quæ unicuiq; suum tribuit. Rursus apud intemperantes & omnis luxus infamia commaculatos nihil potuit quadrantius dici, quàm temperantiam decere homines in conspicuo loco constitutos, quales sunt qui rerum summæ præfecti, alijs omnibus iustitia & honestate præluere debēt. Et proculdubio grauissime hoc loco accusauit scortationem, stupra, & uiolatam coniugum fidem, adeo ut & Felix & Drusilla facile intelligerent sibi hæc omnia dici, & istæc in se proprie cōpetere. Videmus enim & Ioannem Baptistam ad Herodem palàm dixisse, Rem te, ô Herodes, indignā & prorsus illicitam facis. Imò tota scriptura sacra nihil perinde persequitur atq; intemperantiam. Iam uero cum nulli arietes humanum pectus concutiant uehementius quàm spes & metus, tandem & de tremendo dei iudicio differit, ut metu pœnæ, & spe bonorum uitæ futuræ, ad pœnitentiam pertraheret. Sed frustra. Territus quidem dicitur Felix ad prædicationem

De Felice &
uxore eius.

Oratio Pauli
corā Felice.

Ad huc modum multi hodie Evangelium audiunt. nem Pauli, sed non ad pœnitentiam terrore conuersus. Atqui terror nihil prodest nisi adigat ad pœnitentiam. Imò quàm insyncera mente audierit uerbum domini confessione declarant. Nunc enim de Christo & iustitia plura disserere uolentem, ablegat. Non enim talem disputationem expectarat: nec Christum, nec iustitiam eius, nec temperantiam magni æstimabat, qui nihil aliud quàm mundum norat. Deinde eundem sepius reuocat Paulum, & plurima cōmentatur cum eo, sed denuo non ea mente quòd ueritatem amaret, sed quòd munera ambiret. Cum enim & Cæsarum legibus damnatum esset iudicium ære redemptum, Felix nihil audens postulare impudentius, saltem colloquio occasionem offerendæ pecuniæ uoluit suppeditare, nimirum ut cōtracta familiaritas perspectaq; præfidis facilitas excuteret pudorem, quem suspicabatur obstare, quo minus auderet Paulus offerre pecuniam: sed prorsus fallebatur. Damnatur autem hoc tam fœdo exemplo Felicis largitiones, corrupta iudicia, & auaritia. Verissime aut in Romanorum auaritiã apud Iustinum dixit rex Mithridates, Non temere iactare Romanos conditores suos lupæ uberibus alitos. Omnes em̄ Romanos luporū animos habere, inexpleriles sanguinis atq; imperij, diuitiarūq; illos auidos esse & ieiunos. Dominus ergo apud Mosen Exod. 18. Elige (inquit) tibi ex omni plebe uiros fortes, timentes deum, in quibus sit ueritas, & qui oderint auaritiam, & ex his magistratū constitue. Et Exodi 23. Non accipies (ait) munera, quia munera excæcant prudentes, & subuertunt uerba iustorū. De hoc ipso est & prouerbiū in Chiliadibus, Munerū corruptela.

Largitiones.

Biennio autem expleto, accepit successorem Felix Portiū Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulū uinctum.

Forte tum primum totius provincie procuratorem dedit.

Beda biennium intelligit ab initio captiuitatis Pauli supputatum, nō autem ad tempus præfecturæ præscriptum. Cui & illud accedit, quod paulò ante Paulus confessus est Felicem multis annis genti huic iudicem fuisse. Eusebius in Chronicis author est Claudium Imperatorem in Iudæam misisse Felicem anno regni sui undecimo. Idem testatur Felicem II. Neronis anno reuocatum, successorem accepisse Festum. Omnes ergo anni Felicis quibus Iudææ præfuit colliguntur plus minus sex. Porro Iosephus multo plures annos computauit. Nam in 19. libro cap. 9. palàm meminit decem annorum. Magis ergo placet Bedæ sententia, qui historias citans, Felicem ait eo tempore Hierosolymam esse missum, quo Agrippa, Herodis Agrippæ, quem angelus Cæsareæ percussit, filius, regno fuerit inauguratus. Id autem factum meminit Eusebius quarto Claudi anno: unde nunc plus minus duodecim anni præfecturæ Felicis colliguntur. Illud porro corrupti & prophani animi indicium est, quod in gratiam profligatissimorum nebulonum (nebulonum enim collegium erat, qui Paulum accusarāt) innocentem & sanctum uirum uinctum relinquit. Ita audiuius & in 12. cap. Iacobum in gratiam Iudæorum fuisse cæsum, & Petrum in carcerem coniectum. Sancti enim perpetuo impijs magnatibus ludendi sibiq; mutuo gratificandi materia fuerunt, atq; idem illis quoq; argumentum aliquando certissimæ damnationis erunt.

COMMENTARIORVM IN ACTA APOSTOLORVM LIBER VI.

PROOEMIUM.



Xtremo hoc libro absoluetur huius (ut sic dicā) fabulæ catastrophe. Postea quam enim coram Portio Festo & rege Agrippa diserte causam suā egisset, & Cæsarem appellasset, Iulio centurioni traditus, per uaria maris Mediterranei pericula, primum in nauī Adrumyttina, mox in Alexandrina Romam abducitur.

abdacitur. Cæterum in Adriatico mari naufragium perpetitur, sed saluus unâ cum reliquis (sibi à Deo donatis) quos ea nauis uexerat in insulam Meliten euadit. In hac uiperam e manu pendentem excutit in focum, & Publii patrem febribus & dysenteria grauius laborantē restituit. Deinde post tres menses iterum naui impositus, Puteolos appulit, inde uero pedes Romam deuenit, in hac uero biennium in libera custodia exegit, prædicans regnum dei, nemine prohibente.

Festus ergo suscepta prouincia, post triduum ascendit Hierosolymam ab urbe Cæsarea. Significaueruntq; illi princeps sacerdotū ac primores Iudæorum de Paulo, & rogabant eum, postulantes fauorem aduersus eum, ut accerferet eum Hierosolymam, in fidiâs tendentes, ut interficerent eum in uia. Festus autem respondit, ut seruaretur quidem Paulus Cæsareæ, se uerò breui illò profecturum. Qui ergo inter uos, inquit, potentes sunt, unâ nobiscum descendant, & si quod est in hoc uiro crimen, accusent eum.

Accinguntur aduersarij ad nouum certamen, in quo tamen non minore succumbunt confusione, quàm in superioribus succubuerāt. Graphice autem hoc loco describit Lucas quibus rebus confisi sint, & quibus armis se aduersus Paulum instruxerint. Dum (inquit) Portius Festus à Claudio Nerone in Iudæâ pro Felice missus, prouinciâ suscepisset gubernandâ, & iam Hierosolymâ quoq; (pro more) ascendisset, sacerdotū grex iniquitati iudicis confisus, fauorem Festi ambit, nempe ut hætenus ipsis faueret, ut Paulum Hierosolymâ reduceret. Siquidem coniurati pro prisca consilij ratione proficiscentem intercipere uolebant. Proinde nihil causæ fidebant, sed omnem spem ponebant in fauore iudicis & parricidarum infidijs. Hæc est spes & uirtus impiorum aduersus ueritatem & ministros eius. Et fauore ac odio iudicum uel hodie multi boni uiri pereunt, non pauci infidiarum technis. Cæterum fauor siue gratia domini, quæ hominum efficacior est, Paulum tutata est. Nam diuina sic uolente prouidentia, Festus nulla istorum ratione habita, dicit se Paulum Cæsareæ seruaturum, ibiq; illum, si quid aduersus eum habeant, ipsis exhibiturum. Quod autem paulò post mutatus & sui dissimilis Paulum interrogat, Vis Hierosolymam ascendere: prodit se istæc omnia non ex sese uel amore æqui uel iustitiæ fauore, agere, sed ex uirtute domini, quæ in prophano homine pro sancto suo efficax fuit. Neq; alia causa uidetur Achaïæ Proconsul Gallio Paulum simul cum Iudæis negligere, quàm quod Deus hoc uelut indubitato testimonio comprobare uoluit, se citra hominis præsidium, sua duntaxat gratia quos uelit seruare.

Demoratus autem inter eos diebus amplius quàm decem, descendit Cæsaream, & postero die sedit pro tribunali, iussitq; Paulum adduci. Qui cum perductus esset, circumsteterunt eum qui ab Hierosolyma descenderant Iudæi, multa & grauiâ crimina intendentes aduersus Paulum, quæ non poterant probare, Paulo pro se respondente, quod neq; in legem Iudæorum, neq; in templum, neque in Cæsarem quicquam peccasset.

Tertio iam producit Paulus, & Iudæorum calumnijs ueluti telis quibusdam exponitur petendus. Primum quidem Hierosolymis à Cl. Lyfia Tribuno. Deinde Cæsareæ à Felice accusante eum Tertullo. Postremo producitur hic à Festo. Lucas autem hic omnia breuissimis perstringit, quod eandem rem iam iam in 24. exposuisset. Eadem enim hic accusationis capita, quæ ibi recensita sunt; eadem quoque Apologia Pauli: nisi id fortassis uideatur nouum, quod Cæsaris fit mentio. Verum in hoc putarunt Paulum peccasse in Cæsarem, quod Hierosolymis excitasset tumultum; aut quod alium

prædicaret regem Iesum, De qua calumnia dictum est in capite 17. Non enim apostoli sic prædicabant Iesum esse regem siue Messiam, ut Cæsarem reijcerent. Nam & ipse dominus dixerat, Date Cæsari quæ Cæsaris sunt, & deo quæ dei sunt. De Templo præterea & Lege satis alibi disputatum. Iudæi enim nihil noui afferunt, sed inueteratam cantilenam.

Festus autem uolens gratificari Iudæis, respondens Paulo, dixit: Vis Hierosolymam ascendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus, Ad tribunal Cæsaris sto, ubi me oportet iudicari: Iudæis nullam iniuriã feci, sicut & tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recuso mori. Si uero nihil est eorum de quibus hi accusant me, nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tunc Festus cum consilio colloquutus, respondit: Cæsarem appellasti? ad Cæsarem ibis.

*Libertas dicendi
in Paulo.*

Clarissimo dilemmate increpat Festi improbitatem, Si (inquit) nocui, & quicquam capitis supplitio dignum commerui, mori non recuso. Neque necesse est ut aliò me abducas. Nam etiam hic ad tribunal Cæsaris asto, ubi iustitia, non fauor, damnare aut absoluerere debet. Si uero nemini, nedum Iudæis his feci iniuriam, nemo me illis cum quibus nihil mihi negotij donare potest, nedum tu, ô Feste, qui melius nosti me Iudæis nullam irrogasse iniuriam: sed quoniam illud forsan uis nescire, iam nunc ad Cæsarem appello. Nolo enim te pluribus detinere. Locus hic iterum commendat nobis constantiam & fortitudinem. De quibus satis dictum est in cap. 23. Nec uero Festus prouocantem ad Cæsarem frustra uit, sed proposita causa consilio suo & collatis sententijs, tãdem non citra nasum ac supercilium respondit, Ad Cæsarem appellasti, ad Cæsarem ibis. Hoc uero & dei dispositione factum est. Paulum enim oportuit & Romæ testificari de Christo. Qui ergo hunc locum ad contentiones fori rapiunt rabulæ, quasi huius præsidio impune altercari liceat, non expendunt quis sit huius historiæ scopus & usus.

Et cum dies aliquot transacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderunt Cæsaream salutaturi Festum. Et cum dies complures ibi commorarentur, Festus regi retulit causam Pauli, dicens: Vir quidam est relictus à Felice uinctus, de quo, cum uenissem Hierosolymam, significarunt mihi principes sacerdotum & seniores Iudæorum, postulantes aduersus illũ cognitionem. Quibus respondi: Non est Romanis consuetudo ob gratiam donare aliquem hominem, ut pereat priusquam is qui accusatur, præsentem habeat accusatores, locumque defendendi accipiat de crimine. Cumque ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci uirum. De quo cum stetit accusatores, nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar, sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam, num uellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari super istis. Paulus autem cum appellasset, ut seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum, donec mitterem eum ad Cæsarem.

Agrippa rex. Alia se hic offert occasio qua gloria uerbi dominici propagetur latius. Et ingens est gloria quoque Pauli, qui nomen domini etiã coram illustrissimis portauit principibus. Agrippa enim hic Herodis Agrippæ quæ Cæsareæ extinxerat angelus ex Bernice filius, gloria

gloria & magnificentia fuit inclutus, uir bonus & ad bene dicendum instructissimus. Bernicen uero hanc Chrysoftomus Agrippæ uxorem fuisse censet. Alij matrem: alij uero filiam: alij crediderunt fuisse sororem. De qua pluribus Iosephus libro Antiquit. 20. cap. 9. Cæterum pro more descenderunt salutatum Festum. Nam ipse rex Agrippa imperatorem agnoscebat Romanū. Huius enim auspicijs regno fuerat inauguratus. Tota autem narratio quæ hic à Festo textitur iam in superioribus exposita est: nisi hoc forsitan uideatur annotandum, Postulantes aduersus illum cognitionem, dictum esse pro eo quod est, Postulantes ut contra illum pronūciarem capitalem sententiam. Nam per *δικη* ius & pœnam intellexit. Deinde quod Romanam cōsuetudinem attinet, dictum est in capite huius lib. 16. dum mentionem faceremus legis latæ per Valerium Publicolam. Hinc uero cum maximo contemptu legendū est quod de superstitionibus Iudæis & Resurrectione Christi Festus recēset. Christus enim Gentibus stultitia est, Iudæis offendiculum. Dicit autem, Equidem suspicabar illos de rebus alijs Paulum accusatos, quàm de hisce nugis. Habet autem hæc Festi expositio plurimū tumoris & iactantia. Referunt hodie Festum hunc, qui sibiipsis plus nimio placentes, & nescio quam sibi arrogantes prudentiam, cœlestem sapientiam uerbum Euangelij prorsus contēptui habent, & de hoc ceu uanissima quapiam fabula ineptissima quæq; garrunt.

Bernice.

Ridebant
Athenienses
resurrectionem,
Act. 17.

Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire: Cras, inquit, audies eum. Postero autem die cum uenisset Agrippa & Bernice cum multo apparatu, & introissent in auditoriū cum tribunis & uiris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus.

Non uero & sincero corde quæ fuit dominum Agrippa, aliàs inuenisset: sed quem admodum Herodes tetrarcha, cuius hic Agrippa ex fratre pronepos extitit, ex curiositate quadam gaudebat Christum ad se duci, eo quod (ut Lucas ait) multo iam tempore uidendi illum desiderio detineretur: ita & Agrippa non ueritatis perdiscendæ gratia, sed noui quippiam audiendi desiderio detinetur. Nam etiam si non malus princeps, uanus tamen erat, ut ferè solet principū uulgus. Quò & illud pertinere crediderim, quod Lucas apparatus regium & quod *μετὰ πολλῆς φαντασίας*, id est, cum multa ostentatione & pompa in auditorium prodierint, descripsit. Haud enim magni apud illos penditur Christus, qui omnem uoluptatem in pompa constituere mundana. Vide autem mirabilem dei prouidentiam. Principes prophanī auro redemiti & pretiosa induti ueste, sed & bene curata cute, in præcellis confidentes tribunalibus, uelut ad spectaculum infirmitati, Paulum seruum dei expectant. Hic uero uir tantus & deo tam charus multis exhaustus periculis, & carceris situ squalidus, catenisq; ferreis uinctus atq; degrauatus ingreditur, lætus tamen & alacer, & pro nomine Christi grauissima quæq; perpeti paratus. O grande & rarum spectaculum: uerum ita uisum est domino sanctos suos per uaria rerum discrimina ducere ad astra. Patienter ergo seramus o fratres, si extreme afflictū, depressi & proculcati uideamus prophanū quencq; feliciores fortuna uti. Aderit aliquando uicissitudo rerum.

Audire uerbum
domini.

Festus uita.

Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorum interpellauit me, & Hierosolymis & hic: acclamantes non oportere eum uiuere amplius. Ego uero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Cæterum cum his ipse appellasset Augustum, statui mittere eum. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad uos, & maxime ad te rex Agrippa, ut examinatione facta, habeam quod scribam. Iniquum enim mihi uidetur mittere uinctum, & crimina de quibus accusatur, non significare.

Idem dicitur quod superius dictum est. Sed illud interim notandum, quod Paulus regibus & principibus spectaculum factus nihil à solita cedit dicendi agendiq; libertate. Deinde quòd innocentiae suae & Iudaicae perfidiae uel à prophano principe testimonium est latum. Festus enim palàm dicit, De quo quid certum scribam, nò habeo, &c. Quo cum & suam prodidit iniquitatem, quod eum non absoluit, quem innocentem esse non nesciuit. Cæterum ita dei uoluntate comparatum erat, ut & ueritatis synceritas & ministri eius innocentia copiosioribus & maioribus adhuc illustraretur testimonijs. Inde est quòd rex Agrippa Paulo pro se dicendi potestatem facit, sicut sequentibus exponit Lucas.

CAP. XXVI.

Agrippa uero ad Paulum ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tunc Paulus extenta manu pro se dicebat: Super omnibus de quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, existimo me beatum, qui causam dicturus sim apud te hodie: cum tu maxime sis gnarus earum, quæ apud Iudæos sunt, & consuetudinum, & quæstionum. Quapropter obsecro te, ut patienter me audias.

Oratio Pauli
corà Agrippa.

Facta sibi à rege potestate dicendi, mira claritate, euidencia & breuitate causam suam agit, nihil siue pronúciationis siue gestuum corporis omittens, quod ad insignem oratorem spectare uidebatur. Atqui nihil cum fuco aut affectatione, sed omnia cum decoro uerè simpliciter & synceriter. Cæterum oratio ipsa sub genus referenda est didacticum. Tota enim expositio est argumentosa, quæ qualis esse debeat, aut quomodo enarrari queat indicauit pluribus incomparabilis eruditionis uir Rodolphus Agricola de Inuentione dialect. lib. 2. cap. 16. Nihil enim moror nugones quosdã, qui si quid rerum dialecticarum sacris misceatur protinus clamitãt blasphemiam esse designatam, Nihil inquam moror præposterum perplexorum hominum iudicium. Constat enim dialecticam aliud non esse q̄ differendi rationem & cõmunis orationis filium, quo differentes ne naturali ordine excidant, aut aliorum scripta legentes scopo non aberrerẽt, ducuntur. Cum ergo naturali dicendi ordine dixerint scripserintq; apostoli, quid prohiberet istorũ monumenta non ipsidem explicare rationibus quibus scripta esse uidemus? Conferatur autem hæc præfens Pauli oratio ad illa quæ iam ex Agricola citauimus præcepta, quæ interim aliud non sunt quàm naturalis quædam orationis obseruatio, & nisi præclarum huic ex ijs affulserit lumen, uana sint quæ dixi. Expositione ergo argumentosa, hoc est ea quæ rei gestæ ubiq; causas coniecturas signa & omnis generis circumstantias immiscet, comprobatur se non excogitasse ullum (id quod Iudæi intendebant) dogmatis genus nouũ, impium, aut scripturis sacris aduersum: nihil se temere coepisse, nullam seditionem excitasse, nulla in re Iudæos offendisse, aut quicquã in legem eorum peccasse, qui semper fuerit eius studiosissimus, imò cuius præsidio etiam hodie posteaquam diuina uocatione in aliud uiuendi genus à Mose ad Christum transferit, omnia Christianæ religionis placita comprobare uelit. Et hæc quidem summa & hic scopus est narrationis præsentis. Exordium porrò fauorabile est & à persona regis & ipsa re siue causa petitum confidentiæ & constãtiæ habens plurimum. Qui enim in re aliqua male sibi sunt consci, prorsus obstupescunt, cum apud eos de ea re dicendũ est, qui rem probe cognouerunt. At Paulus gratulatur quòd is sibi cõtigisset iudex, qui earum rerũ erat gnarus, de quibus uertebatur quæstio. Agrippa enim ex maioribus suis (teste Iosepho) profelytus erat: unde non potuit nescire quæ de Christo, de resurrectione, de lege, de umbra legis, deq; alijs id genus dogmatis apud Iudæos tradebant. Commodissime ergo subdit, Proinde obsecro te ut me patienter audias.

Dicendi artifi-
cium.

Exordium.

Itaq; uitam quidem meam, quam egi ab adolescentia, quæ ab initio fuit in gente mea Hierosolymis, nouerunt omnes Iudæi, qui prius nouerant me ab initio, si uelint testimonium ferre, quod secundũ exquisitissimam sectam nostræ religionis, uixerim pharisæus.

Narratio

Narrationem ipsam iam ab ipsis in incunabulis. Multū enim refert quo in uiuendi genere quis educatus sit. Et ex infantia, adolescentia atq; educatione pleriq; ut ex uigine leo, æstimari solent. Quin & M. Cicero in oratione pro M. Cælio, Fieri enim non potest (inquit) ut animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, sæpe nimia copia, inopia etiam nonnunquam impeditus, hoc, quicquid est, quod nos facimus in dicendo, non modo agendo, uerumetiam cogitādo, possit sustinere. Ita in præsentiarum Paulus ipsa educatione, adolescentia & studio suo Agrippæ uoluit approbare, haud uerisimile esse taliter talibusq; institutum studijs facile potuisse quicquā aduersus legem agere, aut ad seditiones concitandas procliuem esse. Huc iam pertinet quod sectam, id est uitæ institutum, non citra laudem, uocat exquisitissimam, id est approbatissimam. Item quod per permissionem quandam huius rei ipsos etiam Iudæos statuit testes. De secta Pharisæorum plura scripsit Iosephus in 18. cap. 2. Alij porro פרושים exposuerūt interpretes, quasi quis dicat legis expositores. Alij uero separatos, quasi quis dicat monachos. Certe monachis nostris haud adeo dissimiles fuerunt pharisæi.

Adolescentia
Pauli.

Et nunc fretus spe repromissionis, quæ ad patres nostros facta est à deo, sto iudicio subiectus, ad quam duodecim tribus nostræ instanter nocte & die colentes deum, sperant se peruenturas. De qua spe accusor rex Agrippa à Iudæis. Cur incredibile iudicat apud uos, si deus mortuos suscitatur?

Naturali quadam dispositione à uitæ instituto delabitur ad dogma de Resurrectione, propter quod à Sadducæis resurrectionem negantibus maxima concertatio aduersus pharisæos, auspice, ut uidebatur, Paulo, Hierosolymis, præsentē tribuno Lysia, suscepta est. In hac ipsa idem Paulus totam salutis summam constare docuit in 1. ad Corinth. 15. cap. Vnde etiam hic eandē omnibus alijs dogmatis præteritis, protulit in medium, atq; ita, ut simul & illam ueram esse comprobaret, & Iudæorum maximam in se iniquitatem demonstraret. Res enim indignissima erat quod eius rei gratia Paulum in uincula coniecerant, & nunc eundem ceu capitis supplicio dignum, incusabant, cuius & ipsi confessores erant, imò ipsi deo dies atq; noctes supplicabant, ut futuræ resurrectionis mererentur fieri consortes. Hinc non immerito maxima indignatione, quæ tamen ad commiserationem commouere poterat, ingerit, De qua spe accusor rex Agrippa à Iudæis. De spe inquam illorū accusor ab illis qui ipsi resurrectionem credunt, neq; maiorem hac spem habent, Germanus adijceret, Ist das nit ein arme sach? Ad confirmationem resurrectionis illud pertinet quod per concessionem adijcit, Cur incredibile apud uos iudicatur si deus mortuos suscitatur? qui scilicet ex nihilo condidit omnia: qui hanc patribus promisit: qui eandem uarijs argumentis comprobauit? Ex istis autem facile potuit & Festus intelligere concertationem quæ erat Paulo contra Sadducæos, non esse de Afini (quod aiunt) umbra, & ut Festus dicebat de Iesu quodam defuncto, sed de spe Israëlitis. Potuit & Agrippa uidere accusationes à Iudæis in Paulū adornatas meras esse calumnias. Non enim nūc referam quòd totus orbis ex his æstimare potest dogma de Resurrectione proditum, non esse uanum aut nuperū, sed certum, & longa temporum

Resurrectio
mortuorum.

Numerus duodecim
tribuum
auget.

Et ego quidem existimabam me aduersus nomen Iesu Nazarenī multa repugnando facturum: quod & feci Hierosolymis. Et multos sanctorum ego carceribus inclusi, à principibus sacerdotum potestate accepta: & cum occiderentur, detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequenter puniens eos, compellebam blasphemare: & amplius insanians in eos, persequabar etiam in exteris usq; ciuitates. Quarum rerum studio cum irem Damascum, cum authoritate & permissu principum sacerdotum: die mediō, rex, in uia uidi è cælo supra splendorem

solis, circumfulsisse me lumen, & eos qui mecum faciebāt iter. Cum autem omnes nos decidissemus in terram, audiui uocem loquentem ad me, ac dicentem Hebraica lingua: Saul Saul, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulos calcitrare. Ego autem dixi, Quis es domine? At ille dixit, Ego sum Iesus quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos. Ad hoc enim apparui tibi, ut constituā te ministrum ac testem, & eorum quæ uidisti, & eorum in quibus apparebo tibi, eripiens te à populo & gentibus in quas nunc te mitto, ut aperias oculos eorum, ut conuertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad deum, ut accipiant remissionem peccatorum, & sortem inter eos qui sanctificati sunt per fidem quæ est erga me.

Cōuersio Pauli,

Paulus persequitur Christianos.

Vocatio Pauli qualis.

Vult & rei nobilitate & utilitate flectere.

Cum obijci ei potuisset, quòd aliter speraret quàm pharisæi, nimirū per Iesum quem ipse crederet esse Christum, ad quem & ante annis aliquot turpiter defecisset. Primum igitur Paulus indicat Agrippæ quàm infestus super omnes Iudæos Christianis per iniuria fuerit, & persecutionis subnectit argumēta. In hoc autem illud est uenustum, quòd ait, Et ego quidem existimabam me aduersus Iesu Christi nomen multa repugnando facturum. Nam in transcurfu & aliud interim agens innuit conatus istorum aduersus doctrinam Christianam esse uanos, non minus quàm suos, qui tamen neq; labori pepercit neq; crudelitatis quicquam intermiserit. Iam enim gradibus & per incrementum quodpiam exponit quomodo persequutus sit fideles. Multos (inquit) sanctorum inclusi carceribus: & dum occiderentur κατ'ἀνεγκά ψήφου, id est, detuli sententiam. Inceritum autem est (ut inquit Erasmus) an sentiat illum adduxisse decretum à synagoga factum, an ipsum quoq; suo suffragio damnasse Christianos. Beda ait se in quadam ædificatione legisse in hæc uerba, Occidendiq; eis detuli sententiam: quod sic exponit, Qualiter occiderentur ipse sententiam dedi. Budæus in Commentarijs linguæ Græcæ χερσὶ τῶν αἰσθητικῶν (ait) plebiscitum & ψήφισμα, à manuum sublacione dictum. Et ψήφου non modo calculus est τῶν λογισμῶν, sed etiam suffragia ferentiū in comitijs. ψήφου etiam dicuntur iudices sententiam ferentes. Plura apud illum. Ad incrementū superius pertinet, quod ait se Christianos adegisse ad blasphemiam, id est, ad palinodiam, quæ tormentis & morte perniciosior est. Illa enim perit anima, hac dūtaxat corpus. Est & illud crudelitatis postremæ argumentū, quod Christianos in exteris quoq; ciuitates transiens, inquirat & persequatur. Deinde ne leui aliqua causa commotum existimarent, ut Iesum quem hæctenus persequutus fuerat, iam Christum esse crederet & prædicaret, ostendit se admirabili ad fidem uocatione perductū fuisse. De qua expositione dictum est in cap. 9. Sermonem tamen Christi ad se factum hic uberius & alijs etiam quàm supra fecerit uerbis enarrat, sed non temere. Plurimum enim id præsentī conducebat expurgationi nosse quibus uerbis & quo consilio à deo esset uocatus. Erat autem illud huiusmodi. Ad hoc apparui tibi, ut constituerem te ministrum negotij mei quod partim nunc uidisti & intellexisti, partim uero posthac intelliges. Nec est quod metuas quenquam, ego enim tuebor te, & nunc ad Iudæos ac Gentes mitto te, ut oculos eorum aperias, id est, ut uerbo Euangelij errorum nebulas discutias, & scelerum fuliginem abstergas animisq; eximas, ut à seruitio diaboli liberati deo in timore & iustitia seruiāt, perq; fidem in eum sanctificentur, itaq; sortem accipiant æternæ ac cœlestis hæreditatis. Porro scripturæ loci qui hunc illustrare possint, legantur Ioan. 3. & 9. Ephesios 2. & 2. Timoth. 1. cap. rursus 2. Corinth. 4. cap.

Vnde rex Agrippa, non fui inobediens cœlesti uisioni: sed his qui sunt Damasci primum, & Hierosolymis, & per omnem regionem Iudææ: deinde & gentibus annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & conuerte

conuerterentur ad deum, opera facientes digna his qui resipuissent.

Ad certum scopum iam dirigit quæ hæcenus exposuit. Quasi dicat, Ex his autē omnibus intelligere potes rex clementissime, nulla me leui causa à pristino uitæ instituto descivisse ad nuperum quodpiam & impium uitæ doctrinæq; genus. Diuinæ enim uocationi obtemperās nihil aliud quàm pietatem docui hæcenus. Atq; ut magis gratiæ haberet responsio, & Agrippa uideret Paulum à præcepto domini nihil discessisse aut uariasse, summatim euangelicæ prædicationis capita perstringit. Huc (inquit) doctrina mea tota spectauit, non ut hominum mores corrumperem, sed melius instituerem, lucernamq; iustitiæ præferrem, nempe ut omnes ubiq; resipiscētes, ab idolis, superstitione & uana fiducia conuerterentur ad deum uerum, uiuum & æternum, in cuius timore perseverātes facerent digna (ut uulgata habet æditio) pœnitentiæ opera. Vbi Erasmus annotauit, Si digna sumis absolute, bene habet oratio: sin minus, opera digna pœnitentiæ seu pœnitentiæ sunt quorum iure pœniteat. Cæterum ex hisce omnibus iterum colligimus euangelicæ doctrinæ partes esse pœnitentiā & fidem in deum. Verum dei cultum constare innocētia & fide. Fidem in Christum iustificare. Præterea hac una & nullis alijs rebus externis sanctificari animā. Lumen rationis & cōmenta humana omnia tenebras esse: ergo & salutem solius esse gratiæ ac misericordiæ diuinæ.

Hac ex causa Iudæi me in templo comprehensum tentauerunt interficere.

Atq; hæc (inquit) est illa causa, qua inducī illi ex Asia uenientes Iudæi in templo *Capulum rei* istum quem mihi impingunt excitarunt tumultum, quæ an iusta aut eiusmodi sit *petit.* propter quam tanta turba fuerit commouenda, quisq; secum expendat. Certe quum nihil aliud fecerim, q̄ quod deus præcepit: neq; aliud docuerim, q̄ quod ipsi cōfitentur: præterea uero læserim neminem, causam tumultuandi in me nullam repperunt. Quo fit ut illi ipsi seditionis huius authores sint, cuius culpam in caput Pauli deriuabant.

Auxilium igitur nactus dei, usq; in hodiernum diem sto, testificans tum paruo tum magno: nihil aliud dicens, quàm ea quæ prophetæ prædixerant futura esse, & Moses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus.

Paulò liberius, posteaquam ad singula accusationis capita respondisset, Christum *Pauli prædica-* sum prædicat principibus, testificans Christianum dogma, non nouum esse, sed illud *tio è scripturis* ipsum quod olim diuinitus inspirati prophetæ tradiderint. Committit tamen hæc ipsa *petita et firma* superioribus ad hunc modum, Iudæi me propter ueritatem euāgelij dare neci uolueret *ta.* sed noluit dominus me ante tempus opperere, atq; in hoc tutatus est ut ueritati diuinæ ferrem testimonium. Seruatus itaq; illius gratia & præsidio, libere quod uerum esse scio profiteor, omnibusq; citra personarum respectum prædico, nempe quod deus generis humani, quod iam in peccatis & erroribus mortuum erat, misertus, filium misit propitiationē pro peccatis, & ut lumen atq; doctor esset totius mundi: hinc enim mortuus est, hinc resurrexit, coelos ascendit, & legatos huius rei testes, non ad Iudæos modo, sed ad omnes Gentes misit. Incredibile autem quibusdam uidebatur (ut liquet Ioannis 7.) Christum fore passibilem, aut ueritatis lumen Gentibus fore communicandum. Dicit itaq; Paulus, Ex prophetarum & horum principis Mosi oraculis confirmamus quæcunq; euangelica doctrina de Christo, de morte & resurrectione eius, deq; Gentium uocatione tradimus. Miram enim euidentiam habet quod dicit, *οὐδὲρ ἐκτὸς λέγων.* Nihil præter aut extra illud dicens, quæ prophetæ futura prædixerant. Nam & ad Romanos primo testatur Euangelium prædictum esse in scripturis sanctis. Vbi ergo nunc sunt, *Isaie 53.* qui dicunt non omnia Euangelij mysteria quæ ad salutem sint necessaria, scripturis esse *1. Corinth. 15.* prodita sanctis? Et tria hæc quæ hoc loco assignauit capita in sese totum comprehendunt Euangelij mysterium. Proinde si sapimus, iam in religionis negotio nihil suscipi *Isaie 49.* *Luce 2.*

mus, quàm quod literæ nobis prodiderunt sacræ, in his enim omnia ea quæ ad salutem necessaria satis diligenter sunt prodita, 2. Timoth. 3.

Hæc autem cum pro se diceret, Festus magna uoce ait: Insanis Paulus. Multæ te literæ ad insaniam conuertunt.

Paulus arrepti-
tius indicatus.

Alij hæc uerba Festo in malam partem exponunt, quasi Paulum ceu stolidum quempiam blatteronem increparit, cœlestemq; contempserit sapientiam. Verum hanc sententiam refellunt uerba consequentia, Multæ literæ ad insaniam te conuertunt. Ioânes Chrysostomus, Quoniam ad regem (inquit) loquebatur, non auertens se ab aspectu eius, quasi passus sit quidpiam, dicit, Insanis Paule. Cæterum in bonam partem & simpliciter id à Festo dictum accipi potest: ueluti cum nos eum furere dicimus, qui ueluti extra se raptus, non humana, sed diuina prorsus dicere uidetur. Sic enim commotus fuerat docta oratione Festus, ut istud ex admiratione uiro doctissimo oratoriq; clarissimo acclamaret. Præterea tradunt rerum medicarum periti, mania laborantes (Festus enim dixit, *μάνησιν Παύλῳ*) admiranda stupendaq; imaginare, eaq; protinus pro ueris iactare. Cum ergo Festus rerum Iudaicarum imperitus esset, interim uero multa audiret Paulum de uisione cœlesti, de Iesu quodam, deq; resurrectione mortuorum differere, forsan suspicabatur illum laborare mania, in quam (ut fit) immodico literarum studio abreptus fuisset. De insanix speciebus plurima L. Cœlius lect. antiq. 9. cap. 26. & 27.

Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Scit enim de his rex, apud quem & libere loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror. Neq; enim hoc in angulo gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quod credis. Agrippa autem ad Paulum ait: Modica ex parte persuades mihi ut fiam Christianus. Et Paulus ait: Optarim à deo, non solum modica ex parte, uerum etiam magna: non te modo, sed omnes etiam qui me audiunt hodie, esse tales qualis ego sum, exceptis uinculis his.

Certissima est
euangelica nar-
ratio.

Non (inquit) insanio, sed negotium certum refero, non ex mente corrupta, sed animo sibi undiq; constante. Licet enim Feste hoc ignores, ut qui nunc primum huc ueneris, scit tamen rex Agrippa quid illud sit de quo dissero. Hoc enim & liberius apud ipsum loquor, quod duplici nomine ipsum nihil istorum nescire scio. Principio enim ea quæ de Christo morte eius & resurrectione retuli, Hierosolymis non obscura Iudææ urbe gesta, hinc & per totam Iudæam rumore uerissimo dispersa sunt: nec minus clara est & conuersio mea, quæ clara luce ad clarissimam Damascenorum urbem, præsentibus itineris mei comitibus, facta est. Deinde cum ipsum dogma euangelicum scripturis nitarur prophetis, prophetas autem non nesciat Agrippa, intelligit sanè quod nihil hætenus dixerim, quàm quod constans, uerum ac certum sit. Hæc ad Festum, mox ad regem Agrippam conuersus, maxima libertate interrogat per permissionem, Credis rex Agrippa prophetis? & protinus per subiectionem siue correctionem subiicit, Sed quid rogo an credas, cum certo sciam quod credas. Hic iam addidisset, Si uero prophetis credis, nullum erit negotium aut difficultas ulla eadem opera & Christo fidere. Nam de hoc scripserunt propheta: quod ipsum & Christus Iudæis aliquando obiecerat, Ioan. 5. nisi orationem interrupisset Agrippa, qui & ipse eruditissima Pauli oratione ueluti extra se raptus palam fateretur, Parum abest, quin persuadeas me fieri Christianum. Fuit hæc uox non uere credentis, sed eatenus uerbo assentientis, quatenus uox aures feriens suauitate & euidentia animum sibi ipsi rapiebat. Nam quàm primum ea cessauerat, rursus redibat ad ingenium. De qua re ipse saluator Christus dominus iucunda lectu prodidit apud Matthæum in 23. proposita seminantis parabola. Cæterum tamen Paulus uideret operam & impensam apud huius mundi principes perisse, attamen nobile feruentis charitate animi, qui nihil nisi hominum salutem sitiebat, ædidit specimen, dicens, Equidem optarim à deo, ut non solum, &c. Proinde non fuerit satis, si aliqua aut mo-
dica

dica ex parte credas. Vere enim recte plene & ex toto corde credendum est, nisi lampades oleo anteferre uolueris. *Matth. 25.* Preferunt enim lampades oleo, qui speciem fidei nō ipsam fidem habent. At his aliquando dicit dominus, Nescio uos. Clamemus ergo cum discipulis, Adauge nobis fidem domine.

Et hæc eo loquuto, surrexit rex ac præses, & Bernice, & qui assidebant eis. Et cum secessissent loquebantur inter se, dicentes: Nihil morte aut uinculis dignum fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

Hiscæ commendatur nobis innocentia Pauli, in quo nihil damnabile inueniunt. Commendatur & prouidentia dei, qua fiebat, ut & Romæ hunc testificari oporteret, qui hæc nomen domini alacriter, & ad miraculum usque portauerat coram regibus, principibus, Gentibus & filiis Israel.

Postquam autem decretum est, ut nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum, & quosdam alios uinctos centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustæ. Conscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta loca Asig, soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Theffalonicensi. Sequenti autem die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur. Et inde cum soluissimus, subnauigauimus iuxta Cyprū, propterea quod essent uenti contrarij. Et pelagus quod est contra Ciliciam & Pamphylia, emensi, peruenimus Myram, quæ est Lyciæ, et ibi nactus centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, impofuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, uixq; deuenissimus contra Gnidum, prohibente nos uento, ad nauigauimus Cretæ iuxta Salmonem. Et uix præterlegentes illam, peruenimus in locum quendam, qui uocatur Pulchri portus, cui uicina erat ciuitas Lasæa.

CAPVT
XXVII.

Hæc historia comprobabitur quàm uere dixerit propheta, Militia est uita hominis super terram. Siquidem Paulus toties iam è manibus impiorum ereptus, hic tandem barbaro obijcitur elemento. Haud enim temere dicebat nauim maritimam ingressus Anacharsis, Hei me miserum atq; stolidum hominem, qui uitam meam tam barbaro crediderim elemento. Multa autem eaq; asperrima, multo etiam tempore Paulus hac nauigatione expertus, didicit Dominum suis semper adesse præsentissimū. Principio enim molestiam istam sodalitio leuat suauissimo. Aristarchus enim & Lucas Pauli in hac nauigatione comites lassum non parum refocillant. Deinde & ipse Iulius centurio per omnia comē & facilem, diuina sic disponente clementia, se præbet Apostolo. Nam olim quoque Iosepho adolescenti & Ieremiæ prophetæ in uincula coniectis, homines quosdam, qui ipsis benefacerent, destinauit. Porro cohortem Augustam primariam uocauit, Nam & Vegetius de re militari libro 2. tradit in legione cohortes fuisse decē, quarum prima reliquas & militum numero & dignitate antecesserit. Arbitror autem Augustam dictam esse à principe. Hoc enim felix erat faustumq; Imperatorum nomen, quod Ouidius Fasto. 4. ab auctu deriuat hisce uerbis,

Sanctorum uita
militia.

Sancta uocant Augusta patres, Augusta uocant

Templa sacerdotis rite dicata manu.

Huius & augurium dependet origine uerbi,

Et quodcunq; sua Iuppiter auget ope.

Cæterū mirus est hoc in loco Lucas. Sic enim hanc nauigationē deniq; totū periculum *Descriptionis
euidentiæ.*

& naufragium lectori ob oculos statuit, ut omnia se coram contueri credat. Atqui potuit hoc quidem facillime, ut qui ipse magna quoque huius tragediæ pars fuit. Denique multo etiam uividiora amœnioraque ista fient, si ad geographicas conferantur tabulas. Circumfertur autem quædam doctissimi uiri D. Petri Apiani non inelegans charta de Peregrinatione Pauli inscripta, in qua hæc coram contueri possunt quibus Ptolemæi tabulæ defunt. Quin & ipse Vadianus noster tam est felix in describendis regionibus, ut non scribere sed pingere uideatur. Ad huius ergo Epitomen remittimus, ut ex ea petat Lector quod in hisce Commentarijs nostris de locorum nominibus & situ desiderat. Adrumetina autem nauis siue Adramyttina, sicut & Alexandrina, nomina (ne quis illud forsitan nesciat) ab urbibus habent: ut si quis apud nos dicat Veneta nauis. Adramyttium enim celebre erat Aeolidis oppidum.

Multo autem tempore peracto, & cum esset iam periculosa nauigatio, ob id quoque quod iam ultra tempus sustinuissent inedia, admonerat eos Paulus, dicens eis: Viri, uideo quod cum iniuria multoque damno, non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum futura sit nauigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebatur, quam his quæ à Paulo dicebantur. Et quum aptus portus non esset ad hybernandum, complures ceperunt consilium soluendi illinc, si quo modo possent peruecti Phœnicen illic hybernare. Is est portus Cretæ, spectans ad Africum & ad Chorum.

Neque enim integro anno uis atque acerbitas maris patitur nauigantes, sicut tradit lib. quarto cap. 39. Vegetius: sed quidam menses aptissimi sunt, quidam dubij, reliqui classibus intractabiles. Intelligimus autem ex hoc loco dubijs mensibus, & hyberno etiam tempore nauigasse Paulum. Vnde & periculosam ait fore nauigationem, & propter iniuriam cœli, & quod inedia laboraretur, & alimonia atque comœtu nauis fati prouisum non esset. Nam quod Ioannes Chryostomus de ieiunio annotauit Iudaico, satis confutatum est in Annotationibus ab Erasmo. Cæterum animarum nostrarum dixit pro uitæ nostræ, ad morem linguæ Hebrææ. Ita & paulò post dicit, lactura animæ nulla erit, pro eo quod est, Nemo nostrum peribit. Præterea indicat hic locus dominum satis tempestiue & fideliter monere, sed nos humana potius quam diuina amplecti consilia. Proinde in maxima quæque pericula delabimur non dei morositate aut negligentia, sed nostra inertia ac stupiditate. Centurio hoc loco admonetur à Paulo, homine non imperito rei nauticæ, utpote qui præter id quod diuinitus esset inspiratus, multa quoque experientia didicerat quis esset pelagi genius. Nam & alibi dicit, Noctes atque dies in profundo egi, ter naufragium feci: sed contemnebat ille Pauli consilium (tantum malum est consilia ex personarum æstimare respectu) magisque naucleri fidebat iactantiæ, imò confidentiæ. Atqui confidentes & iactabundi raro in periculis constantes atque fortes sunt. Hybernare autem seu hyemare naues dicimus, cum in quieti littoris portu manent. Aptiores autem sunt ad hybernandum portus qui penitus sese littoribus innuunt & aditibus sunt angustioribus. Fit enim hoc naturæ præsidio, ut nulla uentorum uis aut procellarum impetus naues quaterere aut collidere possit. De uentis autem quorum hoc loco meminit Lucas satis copiose scripsit in Epitome Vadianus. Porrò uel ex hoc uno capite intelligimus quam necessarium sit sacras literas cum iudicio & fructu legere uolenti, honestas antea disciplinas & artes uere liberales delibasse, imò & iusto tempore recte imbibisse.

Aspirante autem Austro rati se propositi compotes, cum soluissent Asson, præterlegebant Cretam. Verum haud multo post coortus est contra ipsam uentus Typhonicus, qui uocatur Euroaquilo. Cumque

correcta

Satis tempestiue
monet dñs.

Hybernare.

Studium artium
liberalium.

correpta esset nauis, nec posset obniti uento, data naue flatibus, ferebatur.

Sentit historicus illos prosperis Austri flatibus allectos cum pelago se credidissent panis uelis, subito factum ut contraria cœli parte Euroaquo exortus nauim in Meridiem & Africam propulerit tanto impetu, ut obniti uento non potuerint, sed cesserint necessitati. De Typhone autem, quem Lucas Euroaquilonem, hoc est tempestuosum, *Typhon.* Vadianus Cæciam, Plinius præcipuam nauigantiũ pestem, ut qui non antennis modo, uerumetiam ipsa nauigia contorta frangat, appellat, Aristoteles copiose scripsit in libro de Mundo, quem Gulielmus Budæus Galliarum decus nuper mira dexteritate donauit Latinitati. Idem Meteororum 3. tradit Typhonem Græcis uentum dici turbidum & gyrantem sese. Et Plinius in secundo de repentinis flatibus capite 48. de hoc felicissime & clarissime scripsit.

In insulam autem quandam deuecti, quæ uocatur Clauda, uix potuimus obrinere scapham. Qua sublata, adiutorijs utebantur, subcingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, demisso uase, sic ferebantur.

Scaphæ dicuntur nauiculæ piscatoriæ, atq; illæ etiã quæ nauibus onerarijs usui sunt *Scapha.* in litore petendo quoties uadofis locis prohibitæ maiores naues appellere nequeunt: quod genus apud nos sunt lintres è solido trunco cauata, & ad celerrimam traiectionem accommodæ. Sentit autem Lucas scapham uix obtentam, sublata fuisse in nauim, ne auulsam procellæ raperent, ac protinus uas demissum quod ipsis ad firmandã nauim usui fuerit. Intelligimus autem per illud uas adiutoria ac pondera quantacunq; funibus demissa, quæ ancorarum grauitatem in naui retinenda iuuerint, hoc est quæ nauis impetum retardarint, atq; Syrtes cauerint. Et Beda hoc loco tradit nautas in Britannico Oceano coercere solere naues molaribus saxis in profundum à fune demissis. Ne ergo in Syrtes impingerent etiam hic tale quippiam fecerunt. Syrtes autem in Africo *Syrtes.* littore duas esse scripsit Salustius in bello Iugurthino, & Plinius in quinto earũdem meminit. Dictæ sunt ἀπὸ τῶν συρτάων, id est traho. Ventus enim arenarum cumulos incertis sedibus condit, quibus qui impingunt, certo etiam pereunt. Extant Maronis aliquot carmina quæ mire huc congruant: sunt autem huiusmodi,

Tres (naues) Eurus ab alto

In breuia & Syrtes agit (miserabile uisu)

Illiditq; uadis atq; aggere cingit arenã.

Plura de Syrtibus scribit Strabo libro Geographiæ ultimo.

Cum autem uehementi tempestate iactaremur, sequenti die iactum fecerunt, ac tertio die nostris manibus armamenta nauis proiecimus.

Iactum facere est nauim alleuiare, quod fit dum eiectis mercibus eam exoneramus, *iactum facere.* ne uado hæreat, aut confragosis illidatur. Armamenta uero sunt instrumenta nautica. Nam Græce est σκευή. Et Seruius Grammaticus 1. Aeneidos enarrans omnium artium instrumenta arma uocari tradit. Et Syponinus, Armamenta (inquit) dicuntur quæ ad instruendum aliquid pertinent, ut in nauibus armamenta sunt non solum arma, sed remi, uela, antennæ, rudentes, clauus & alia huiusmodi. Cæterum quod ait, ἀυτὸχέρως τῶν σκευῶν τῶν πλοῦν ἐπιλάμεν, proprijs manibus nostris proiecimus arma naualia, indicat periculi magnitudinem, quod ubi ad summum peruenit, nemo non anxie annititur & laborat.

Porrò neq; sole, neq; syderibus apparentibus ad complures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ.

Auget & hoc periculi magnitudinẽ, & in hoc tam accurate pinguntur, ut uideamus

Descriptio tempestatis, in qua rerū discrimina suos coniciat deus. Elegans est & apud Maronē similis tempestatis descriptio, quæ mire huc quadrat, unde operæpretiū putauī uersus illius recitare,

Ac uenti (ait) uelut agmine facto
Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant,
Incubere mari, totumq; à sedibus imis
Vna Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis
Africus, & uastos uoluunt ad littora fluctus
Insequitur clamorq; uirum stridorq; rudentum,
Eripiunt subito nubes cœlumq; diemq;
Teucrorum ex oculis, ponto nox incubat atra
Intonuere poli & crebris micat ignibus æther,
Præsentemq; uiris intentant omnia mortem.

Cum autem multa iam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem ô uiri audito me non soluere à Creta, nec accersere nobis iniuriam hanc & iacturam. Et nunc hortor, ut bono animo sitis. Iactura enim animæ nulla erit ex uobis, sed tantum nauis. Adstitit enim mihi hac nocte angelus dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo esto te uiri. Credo enim deo, quod sic erit quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos eijci.

Alacritas et fortitudo Pauli.

In hisce periculis omnium conciderunt animi, unus Paulus summi dei minister, moerentes solatur. Ex quo facile liquet quid sit deo seruire, quantaq; erga deum confidentia polleant sancti, quantaue ille uicissim erga fideles suos utatur benignitate ac diligentia. Oratio autem Pauli qua illos consolatur supra modum alacris & prudens est. Prudentiæ enim erat, quod hanc ab increpatione auspicabatur, ita tamen ut paucissimis increparet, statim uero ad consolationis locos descenderet. Prudentis enim uiri est minime ad errores conuiuere, & sicubi offertur occasio istos inculcare. Cæterum imprudentis est in medijs calamitatibus satis alijs afflictis, plus nimio erroris, negligentiae ueterumq; iniuriarum meminisse. Paulus ergo illorum stultitiam quæ in ista pertraxerat pericula ita increpat ut ne quid nimis. Dicit enim, Potuissetis, ô uiri, incommodum hoc & rerum iacturam euitasse, si nostro obedissetis consilio, quod in Creta cum adhuc omnia in tuto erant, dabam. Videtis ergo quid sit bonis non obsequi consilijs: sed quoniam factum infectum esse nequit, missis istis, superest ut uel sero sapiatis. Hic uero protinus breuibus quidem uerbis, sed consolatione plenis totum salutis negotium exponit & ait, Ne desperaueritis de salute & incolumitate uestra. Causa, Nullus ex uobis peribit: tantum nauis erit iactura. Istud porro confirmat argumento à pronuntiatis petito, quo minus esset moeroris & plus spei. Nam deus meus (ait) quem ego colo, & cuius minister sum, angelum suum (ut cultoribus suis deditissimus est) misit, qui referret, absq; pauore essem, me hic minime periturum, sed Romam fore abducendum: quin & uos omnes unam mecum euasuros. Ecce enim (inquit) donauit tibi deus omnes qui nauigant tecum. Iterum ergo infert, Propter quod bono animo estote uiri. Porro huic illationi aliud quoq; Epicherema coniungit, à ueritate & constantia dei petendum. Nihil dubito quin id sic futurum sit, quemadmodum fore promisit. Deus enim & uerax est & potens, qui quæ pollicetur præstare potest. Magna autem est sanæ ac firmæ fidei uirtus. Iam ut omnia adhuc certiora essent, modum quoq; per quem seruandi sint describit, dicens, In insulam quandam deferemur, in qua fracta naui diuina uirtute seruabimur. Hæc de consolatione Pauli. Sunt autem qui hunc locum trahant ad patrociniū intercessionis diuorum, e quorum numero est & D. Hieronymus. Atq; mirandum quidem tantum uirum hoc quicquid est dogmatis de diuorum intercessione tam infirmis im-

Hierony, de intercessione diuorum sententia excutitur.

posuisse

posuisse epicherematis. Quis enim sanæ mentis dixerit Eadem in cœlis facere sanctos quæ aliquando fecerunt in terris? Atqui nihil aliud dicit Hieronymus, neq; alijs argu-
 mentis Diuorum intercessionem probat. Si (inquit) orauerunt in terris, quanto magis
 post coronas uictorias & triumphos? Quid quod exempla & facta sanctorum omnia
 referenda sunt ad dogmata? Dogmata uero expressis & certis fulta debent esse scripturæ
 re testimonij, quale illud est, Vnum esse deum, hunc solum largiri mortalibus omnia,
 unde & soli fidendum soli q; per Christum sit supplicandum. Porrò quicquid dogma-
 ti alicui solido uero & plano aduersum est, licet speciem ueritatis habere uideatur, reue-
 ra tamen falsum est. Quod si scripturæ locos qui ad hoc falsum dubiumq; dogma con-
 firmandum detorti sunt, diligenter expendas, aliud dogma agnoscunt. Iam uero si di-
 uorum intercessionem componas cum eo dogmate quod iam iam ex scripturis assigna-
 uimus de unius dei essentia, potentia & cultu, protinus inter se pugnare uideas. Cæte-
 rum cum illud certum & expressum sit, necessarium est hoc flaccidum & inane esse, &
 proinde locos de Paulo & Stephano productos ad aliud quodpiam dogma referri de-
 bere: nimirum ad illud, Quod misericors dominus per gratiam suam sæpius etiam ma-
 los conseruat salutemq; illam suam ad sanctos suos refert, ut hos in hisce terris ad hoc
 glorificet, ut uerbis eorum habeatur fides. Atq; istud quidem consentit cum primo illo *Hic uertitur rei*
 dogmate, imò parum aut nihil ab eo distat. Quod si iam addas, Istis ergo supplicandum *cardo.*
 esse propter beneficium de: de tuo id addis etiam contra sanctorum sententiam, qui om-
 ni uita sua nihil tam accurate docuerunt, quàm uni deo fidere. Deinde non expendis
 longe aliud esse si fatearis deum aliquid hisce in terris agentibus sanctis suis donare: ali-
 ud uero si in cœlo degentibus eadem donare credamus. Nam quæ hic donauit propter
 gloriam uerbi sui donauit. Dono ergo fidem in se excitare uoluit. Iam si in cœlis secum
 recubentibus idem donaret, iam fidei istud incōmodaret. Deficerent enim hominum
 animi ad ipsos Diuos. Quod ergo multis propter Abrahã, Loth, Mosen, Samuelem et
 Paulum in hisce terris agentibus pepercit, propterea pepercit, ut uideremus illorū cultū
 deo acceptum & doctrinã eorum ueram esse: crederemus itaq; & ipsi, & ita deo seruire-
 mus sicut illi seruierunt. Atqui hi solum deum inuocarūt, soli seruierunt: qui ergo sapi- *Nullum diuum*
 unt, idem faciunt. Porrò qui istud non faciunt, nullis Diuorum intercessionibus salua *nauticum inuo-*
 ri possunt. Nam & Isaias in cap. 63. Abraham (inquit) nesciuit nos, & Israel ignorauit *cavit Paulus.*
 nos. Tu domine pater noster, redemptor noster, à sæculo nomen tuum. Et dominus ap-
 pud Ezech. in 14. Si fuerint (inquit) tres uiri in medio eius Noë, Daniel & Iob, ipsi iusti-
 tia sua liberabunt animas suas. Et apud Ierem. in 15. cap. Si steterint Moses & Samuel co-
 ram me, non est anima mea ad populum istum. Conditionalis autem ista Si steterint,
 uehementer impugnat istorum intercessionem. Quin & ipse Hieronymus scribens in
 hunc Ezechielis locum multo syncerius in Commentarijs quàm in contentione ad-
 uersus Vigilantium, de hoc negotio loquens, Iustitia (inquit) iusti erit super eum, & ini-
 quitas iniqui in ipso commorabitur. Vnusquisq; peccato proprio morietur & iustitia
 sua saluabitur. Frustraq; dicunt Iudæi Abraham pater noster, cum opera Abrahã non
 habeant. Quod si in aliquo fiducia est, in SOLO DOMINO confidamus. Maledictus e-
 nim omnis homo qui spem habet in homine, QVAMVIS SANCTI sint, quamuis
 prophetæ. Legimus, Nolite confidere in hominibus. Et iterum, Bonum est confidere
 in domino quàm confidere in principibus. Non in principibus tantum sæculi, sed &
 in principibus ecclesiarum, qui suas tantum animas si iusti fuerint liberabunt, Hac-
 tenus Hieronymus.

Sed posteaquam quartadecima nox superuenit, nauigantibus no-
 bis in Adria circa medium noctis, suspicabantur nauitæ apparere sibi
 aliquam regionem. Qui & demissa bolide, reppererunt passus uiginti,
 ac pusillum inde digressi, rursumq; demissa bolide, reppererunt passus
 quindecim. Timentesq; ne in aspera loca inciderent, de puppi iactis
 ancoris quatuor, optabant diem oriri.

Bolis.

Bolis dicitur à *βολος* quod est mittere. Id est pondus (ut inquit Erasmus) funiculo affixum, quo deiecio nautæ explorant altitudinem maris. Lucas unico uerbo complexus est, quod interpres duobus reddidit. Dixit enim *βολιστες*. Porro cū prius uiginti passus mensi essent, mox quindecim deprehenderent, indicium erat approximantis littoris. Ea de re ne fideret nauis, iactæ sunt ancoræ, donec dies exoriretur. De ancora plura in Chiliadibus Erasmus.

Nautis uero quærentibus fugere è nauī, cum demississent scapham in mare, sub prætextu uelut è prora ancoras extēsurī, dixit Paulus centurioni & militibus: Nisi hi in nauī manserint, uos salui fieri non potestis. Tunc absciderūt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere.

*Fides humana
præsidia non
prorsus tollit.*

Quamquam pollicitationi diuinæ crederet Apostolus, nihil tamen rerum externarum, quæ ad salutem spectare uidebātur, negligit: imò palàm dicit, Nisi hi in nauī manserint, uos salui fieri non potestis. Sciebat enim nautas maris esse gnaros gubernādæq; nauis peritos. Proinde commoda in rebus quibusuis media à fideli non negliguntur aut aspernantur. Contemptores & prophani clamitant, Si saluum me uult dominus non est quòd de modo quicquam cogitem. Secus egit Paulus etiam tum cum (ut in superioribus audiuimus) adolescentem cum mandatis ad Tribunū mitteret. Apud Matthæum in sexto non uult dominus suos esse de uictu sollicitos, interim tamen laborem ubiq; præcipit. Quòd autem milites centurionis imperio funes scaphæ in sciderūt, magno argumento est centurionem Pauli consilijs diligenter obsequutum ab ore eius pendisse totum. Obserua & temerariorum hominum inconstantiam. Nam qui paulò ante inuito Paulo nauigare, illi ipsi nunc turpiter nauī subterfugere uolebant, Sed retinentur prudenti consilio Pauli. Fuit enim hic multa exercitatione harum rerum callentissimus: uir in omnibus rebus excellentissimus.

Et cum dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes sumere cibum, dicens: Dies hic decimusquartus est, quòd expectantes ieiunī permanetis, nihil accipientes, propter quod hortor uos, ut sumatis cibum: hoc enim ad salutem uestram pertinet, quia nullius uestrum capillus de capite cadet. Et quum hæc dixisset, sumpto pane, gratias egit deo in cōspectu omnium: & cum fregisset, cœpit edere. Porro animis iam recreatis omnium, sumperūt & ipsi cibum. Erasmus uero uniuersæ animæ in nauī ducentæ septuaginta sex. Et satiati cibo, alleuabant nauem, eijcientes triticum in mare.

*Etiā nature
sua iura persol
uenda sunt.*

Iterum consolatur incœrentes consternatosq; erigit, primum oratione familiari, deinde & alacri exemplo. Fieri autem nequit lege naturæ ut in ediam quatuordecim dierum homo sustineat. Verbis igitur subest hyperocha: aut certè ipsa uerba sic accipienda sunt, ut sentiat Paulus tempestate, labore & ærumna uexatis nō uacasse ut ullo tempore satiarentur pro more: sed grauē famem perpeffis iam primum datam occasionem edendi. Iam ut cibum alacriores sumerent certam pollicetur salutem. Huc enim pertinet illa sententia, Nullius uestrum capillus de capite cadet. Quo loquutionis genere ipse etiam dominus usus est apud Matthæum in decimo, cum significaret discipulos tutissime habituros. His & exemplum iungit. Nam primus quod suasit alijs ipse suscipit, sed non citra religionem. Gratijs enim actis (ita magistri exemplū referens) in cōspectu omnium, edit. Quòd & alij eius exemplo commoti, fecerūt. Iam ad miraculi magnitudinem facit, quòd numerus hominum recēsetur. De iactura diximus paulò ante.

Cum autem dies esset, terram non agnoscebant: sinum uero quendam animaduertunt, habentem littus, in quòd cogitabant, si possent impingere nauem. Et cum ancoras sustulissent, committebant se
mari,

mari, simul laxatis iuncturis gubernaculorum, & sublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad littus.

Vide amice Lector quomodo deus suos etiam in medijs promissionibus exercent. Posteaquam enim iam terram exoptatissimam aspicerent, tamen quo nam terrarum delati essent ignorabant. Parabant ergo nauem ut ipsam protinus in littus subducerent. Mira autem *ἠάρηα* istud describit, ubi interim illud annotauit Erasmus, esse qui pro artemone artemonem malint scribi. Cæterum artemonem positum esse pro genere ueli. Nomen enim illi à suspendendo siue assuendo inditū; quod imis uelis soleat affigi pars aliqua, quo plus uenti concipiant. Illud autem notius est quàm annotandum sit gubernacula poni pro remis. His enim solet & promoueri & gubernari nauis.

Et cum incidissent in locum bimarem, impegerunt nauem. Ac pro ra quidem infixam manebat immobilis: puppis uero soluebatur à uindarum. Militum autem consilium erat, ut uinctos occiderent, ne quis cum enataisset effugeret. At Centurio uolens seruare Paulum, compefcuit eos à consilio, iussitq; ut qui possent natate, abijcerent se primos, & in terram euaderent, cæteri q; partim in tabulis, partim in quibusdam nauis fragmentis. Et sic factum est, ut omnes incolumes euaderent in terram.

Εἰς τόπον διδάλωνον, id est in locum bimarem. Latini autem uocant bimarem locum angustum, qui hinc & illinc mari alluitur. Iam enim ipsum describit naufragium, sed paucissimis. Notatur præterea militum ingratitude & insignis cæcitas, qui rebus tantis hæcenus per Paulum gestis non amplius fuerant commoti quàm ut iam in summo periculo de parricidio consultarent. Verum illud est mundi ingenium, quod non iam primum sese exerit, sed prophetarum quoq; temporibus quàm impudentissime ostentauit. Atqui eiusmodi consilia ex instinctu satanæ sunt, qui sanctorum uitæ insidiatur insensissime: sed promiserat deus Paulo salutem. Seruat igitur per centurionem, qui hæcenus per Paulum erat seruatus. Cæterum quòd tanta diligentia ad finem capitis appenditur, Et factum est ut omnes incolumes euaderent in terram, diuinam nobis ueritatem commēdat, qua tandem factum est ut post multas afflictiones iuxta uerbum domini seruati sint omnes. Nemo ergo posthac desperauerit in tentationibus. Mundus hic mare quodpiam malorum est. Vita autem nostra nauis similis est quæ uarijs agitatur procellis. Sed subducat hanc quoq; aliquando in portum dominus, si modo solida fide in uero semper perseuerauerimus.

Veritas dei.

Vita nostra nauis similis fluctibus exposita.

CA. XXVIII.

Et cum euassissent, tunc cognouerunt quòd Melite insula uocaretur. Barbari uero præstabant non uulgarem humanitatem nobis. Accensa enim pyra, recipiebant nos omnes propter hymbrem qui imminebat, & propter frigus.

Qui Græci aut Latini non essent, à Romanis Barbari dicti sunt. Melitenses uero licet nomine Barbari essent, re tamen ipsa fuere humanissima: adeo ut Lucas humanitatem eorum non possit satis digne laudibus euehere. Certe Paulus in 13. ad Hebræos capite hospitalitatem maxime commendat fidelibus. Hanc & Cicero Officiorum secundo libro impensissime laudat. Et Chrysostomus in hunc locum scribens, Ruborem (inquit) nobis afferant Barbari. Nesciebant enim qui nam essent illi, sed ob calamitatem iam miserantur quod homines essent.

Barbari.

Hospitalitas.

Cum congregasset autem Paulus sarmentorum multitudinem, & imposuisset in ignem, uipera è calore prorepens inuasit manum eius. Ut uero uiderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, inter sese dicebant: Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari uis-

tio non sinit uiuere. Et ille quidem excussa uipera in ignem, mali nihil passus est. At illi existimabant futurum, ut incenderetur, aut concideret repente mortuus. Diu autem illis expectantibus, & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dicebant eum esse deum.

Labor & alacritas Pauli.

Nuspian temere miracula faciunt sancti.

Homicidium.

Vindicta certissima in malos.

Offert se ingens miraculi occasio, nimirum ut infigne aliquod facinus patratum, Paulo apud Barbaros auctoritatem pararet, quo & commodius apud eos agere, & ueritatem ualeat prædicare. Multa autem hisce in speciem quidem minutis egregia insunt documenta. Principio enim uidemus Paulum laborare, & suis ipsius manibus contrahere sarmenta, quæ Latini uocant uitium purgamenta, Nam sarpere (auctore Sexto Pompeio) antiqui pro purgare ponebant: unde & generali uoce pro quibusuis superfluis & abscissis purgaminibus ac proiectionibus uirgultis usurpari cœptum, cuius generis apud nos sunt *Spen vnd rassen*. Illud autem uehementer damnat otium & ignauiam, maxime quod tantum uirum non pudet sarmenta colligere. Deinde ut nuspian temere miracula fecit, ita ægre hic quippiam cœpisset, nisi ipsa necessitas & dei prouidentia ad miraculum patrādum compulisset: imò nihil ipse designat, sed deum in se agentem unā cum spectatoribus collaudat. Dei ergo omnis gloria est, qui interim seruis suis ad hunc modum auctoritatem uoluit parare. Nam in Euangelio Marci dixerat, Serpentes tollent, & si quid lætale biberint non nocebit eis. Proinde excutit uiperā in focum Paulus, quam dominus in hoc illi immiserat, ut omnium animos in ipsum conuerteret. Porro *ἔχιδνα*, quam interpretis uertit uiperam, dicta est *πρὸς τὸ ἔχειν ἐν αὐτῇ πλὴν γὰρ πλὴν ἀρχῆς δαυάτου*, id est, ab eo quod factum intus contineat ad interitum usque. Quod sane cum his congruit, quæ de uipera scribuntur à Plinio libro Naturalis historię decimo, cap. 62. Quæ ergo torpuerat frigore hætenus, calore ignis & excitata & in furorem concitata mordicus manum Pauli arripuit. Nam Plinius libro 11, cap. 37. Viperæ dentes (inquit) gingiuis conduntur. Hæc eadem prægnans ueneno impresso dentium repulso uirus fundit in morsus. Præsentissimum autem est huius bestię uenenum. Hinc Lucas, Barbari (inquit) existimabant futurum ut incenderetur intumescensque repente concideret mortuus, ueneni ui ad cor irrumpente. Illud uero in primis obseruandum est, quòd Barbari omnes clamitant, Omnino homicida est homo hic, quem seruatum è mari *Δίκη*, hoc est, ultio non sinit uiuere. Inde enim nos intelligimus, quòd homicidium uel apud ferissimas nationes & gentes Barbarissimas inter profligatissima & extrema reputatum est flagitia. Id quod illi hodie parum expendunt qui stipendijs principum conducti tot Christiani fundunt sanguinis. Sed stat uerbum domini, Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. Reperiet ergo deus nocentem, Nam uirum improbum (ut fertur prouerbio) uel mus mordeat. Et *Δίκη* quidem, quam interpretis ultionem uertit etiam dea est iudiciorum, quæ lites dirimit. De hac Hesiodus, *ἡδ' ἔτε πρὸ θένος ἐστὶ Δίκη, δῖος ἐργεργαία*. Virgo Ultio est prognata Ioue. Fortassis ergo senserunt Barbari quòd ultrix malorum dea tandem in hoc tam nephario homine commissum nephas punire uoluerit. Hanc alij Nemefim Adrastiam insolentiæ & arrogantię uindictam appellat, quæque spes immoderatas & uetet & puniat: *ἀδραστία*, dicta *ἀπὸ τοῦ ἀσδραστὸς μορὶς ἡγοῖσθαι*, quod nemo nocens meritam pœnam usquam effugerit etiam si quando serius assequitur. Ausonius de statua huius elegans ex Græco epigramma in hæc uerba traduxit,

Me lapidem quondam Persæ aduexere trophæum

Vt fierem bello, nunc ego sum Nemefis:

At sic ut Græcis uictoribus asto trophæum,

Punio sic Persas uaniloquos Nemefis.

Iam quod ex miraculo Melitenses Paulum deum esse existimant, ex leuitate gentili & falsa de dijs persuasionem enatum est. De qua re dictum est in capite 14.

In locis autem illis erant prædia primati insulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduo benigne tractauit hospitio, Contigit autem patrem

trem Publii febris, ac dysenteria uexatum decubere. Ad quem Paulus intrauit, & cum orasset, imposuissetque ei manus, sanauit eum. Hoc igitur facto, cæteri quoque qui habebant infirmitates in insula, accedebant & sanabantur, qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerunt quæ necessaria erant.

Aliud iam miraculum describit, quod uerius beneficiū uocaueris. Aliud enim & hospitalitatis exemplum in Publio proponitur. Quemadmodum ergo Sunamitis olim ab Helizeo ingenti beneficio propter hospitalitatē affecta est: ita hoc loco Publius pristinae sanitati restituitur, nimirum quod miseros tam humaniter excepisset. Voluit ergo istis denuo declarare dominus quod hospitalitas laudem & præmium apud deum & homines habeat. Cæterum hoc dei beneficio Pauli opera Publio præstito reliqui insularum homines permoti ægrotos suos adferebant, & per uirtutem nominis Christi sanabantur: quæ sanè non aspernenda coniectura est Melitenses fidem Christianam suscepisse. Quò & illud spectare uidetur quod paulò post sequitur, Qui etiam multis honoribus nos honorauerunt, & soluentibus imposuerunt quæ erant necessaria. Hi enim sunt fructus fidei, de quibus diximus in capite 16. Et de impositione manuum sæpius iam dictum est, Germani dicimus, *Dhand bicien*. Manum porrigere, pro auxiliari. Ergo manuum impositio symbolum est futuri auxilij diuini. De prædijs copiose scripsit Val la ex Vlpiano libro sexto Elegantiarum capite 41. Dysenteria uero ut tradit Archigenes ulceratio arteriarum ac uiscerum perseverans: ex causis extrinsecus, uidelicet frigoris, caloris, potionis cibi que minime concocti ac acuti. Habet similitudinem cum Tineismo qui uoluntas est inefficax excreandi, sanguinis tantū aliquid emittens. Hunc morbum Celsus dicit Tormina à Latinis appellari. Hæc ex Volater. Philol. lib. 24.

Hospitalitas
præmiū habet.

1. Cor. 9.

1. Tim. 5.

Titum 3.

Impositio manuum.

Post menses autem tres nauigauimus in nauī Alexandrina, quæ in insula hyemauerat, cui erat insigne Castor & Pollux. Et cum uenissemus Syracusas, mansimus triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & post unum diem afflante austro, postridie uenimus Puteolos, ubi reperitis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septem, & sic uenimus Romam. Et inde cum audissent fratres de nobis, prodierunt in occursum nobis usque ad Appij forum ac tres tabernas. Quos cum uidisset Paulus, gratijs actis deo, sumpsit fidutiam.

Hicte ad Epitomen remittimus. Beda, Castorem & Pollucem ob id (ait) gentiles in deos inuocant, quia in prodigijs nautarum, si solitariae stellæ in nauī uel antennis apparuerint, periculosi, si uero geminae prosperi cursus sunt nuntia. At postrema illa mutatus est ex trigesimo septimo capite secundi libri Plinij. Quæ autem præterea de Dioscuris fabulantur poëtæ longum esset hic recensere. Lucas certe mentione istorum superstitionem taxauit gentilitiam: id quod & Chrysostomus annotauit. Turpissime enim errant qui istos ad idolorum cultum defendendum producant. Nolim autem te hic impingere ubi Lucas refert Paulum recta Puteolis uenisse Romam, deinde uero enumerat Appij forum & tres Tabernas. Non enim hi loci in urbe sunt, sed Lucas hystorologia usus est. Principio enim in genere dixit Romam uenimus: deinde iterum redit ac describit quo loco salutatum à fratribus egressis excepti, & quomodo ingressi sint urbem. Habuit enim Roma plurimos in fide Christi optime institutos, qui Pauli erant studiosissimi, unde & obuiam ei proficiscentes (rumor enim Romam ad fratres pertulerat Paulum Puteolos uenisse) non parum Pauli animum refocillarunt. Gaudebat enim multos Romæ esse, qui sincero pectore fauerent Euangelio, hinc & maiorem animi concepit fidutiam.

Dioscuri insigne nauis.

Confirmantur
sancti fidei mutua.

Cum autem uenissemus Romam, centurio tradidit uinctos principi

exercitus. Permissum est autem Paulo, ut maneret solus cum custodia ente se milite.

Paulus Romam uenit.

Paucis nunc ea quoque delineat quæ Romæ fecit Paulus. Multis (inquit) laboribus exantlatis tandem attigit Romam, ita ut promiserat dominus. Quemadmodum uero ubique diuino stipatus auxilio propitios sibi habuit Romanos, ita hic quoque permissum illi, ut in libera ageret custodia. Neque dubium quin Centurionis illius qui illum à Syria adduxerat, multamque prudentiam, constantiam & sanctimoniam in hoc uiderat, opera commendatus, melius per omnia habuerit. Dat autem suis gratiam dominus (ut perhibet scriptura) in conspectu principum.

Post tertium autem diem conuocauit Paulus Iudæorum primores. Cumque uenissent, dicebat eis: Ego, uiri fratres, cum nihil fecerim aduersus plebem aut instituta maiorum, uinctus ab Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum: qui cum examinassent, uoluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me. Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, non quasi habeam de quo gentem meam accusem. Propter hanc igitur causam aduocaui uos, ut uiderem & alloquerer. Propter spem enim Israël catena hac circumdatus sum.

Quid Romæ cum Iudæis egerit Paulus.

πᾶσι ἐστὶν ἡ λέξις ἡ αὐτοῦ

Describit quid egerit cum Iudæis, quomodo his prædicauerit Christum, & quomodo hi uicissim erga Paulum sese gesserint. Igitur Apostolus uelut præuerturus sinistram Iudæorum de se suspicionem, uocatis illis, exponit cur uinctus Romam uenerit, & quod nihil mali in legem aut maiorum instituta aut in ipsum populum Iudaicum mali piaculue commiserit. Quod uero appellarit, in causa fuisse nimiam Iudæorum in Syria agentium morositate. Nihil autem asperius nunc in illos dicit: sed summam totius negotij magis colligens mira euidencia ad calcem orationis suæ adpendit, Propter spem Israël catena hac circumdatus sum. Spes uero Israël erat Christus dominus, qui & uita & resurrectio est fidelium. Nihil autem hic dicitur, quod non sit dictum prius.

At illi dixerunt ad eum: Nos neque literas accepimus de te à Iudæa, neque adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut loquutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire quæ sentias. Nam de secta ista notum est nobis, quod ubique ei contradicatur.

2. Petri 4. supra cap. 24.

Hæc iterum testantur quam illibata fuerit Pauli innocentia, rursus quam iniqua summi pontificis Ananiæ & complicum inuidia. Quod ergo Paulus ab istis hæcenus erat perpeffus nullius maleficii, sed ueritatis tantum gratia perpeffus erat. Cui dominus amplissimam hic ansam suppeditat iustitiam in Christo prædicandi Iudæis. Hi enim sententiam Pauli de secta Nazarenorum sponte sibi exponi postulât. Vbi tamen sectæ uocabulo non in malam partem interim uero non citra Iudaicum supercilium usi sunt. Vide præterea quam ingrata sit orbi ueritas. De secta ista id (inquiunt) nobis cognitum, quod ubique ei contradicatur. Causam exponit Christus Ioan. 15.

Cum constituissent autem illi diem, uenerunt ad eum in hospitium complures, quibus exponebat, testificans regnum dei, suadensque eis de Iesu ex lege Moysi & prophetis, à mane usque ad uesperam: & quidam credebant his quæ dicebantur, quidam uero non credebant.

Christum prædicat hic quoque Paulus ut ubique.

Lucas pro ueteri suo more non nisi capita disputationis Pauli assignat. De quibus cum iam toties dictum sit, molestissimum foret eadem toties repetere. Et quemadmodum ubique audiuius alios quidem pro electionis gratia humanique ingenij uarietate credidisse, alios minus, ita idem hic quoque indicatur. Illud porro diligentia & ardoris est, quod à mane ad uesperam usque Christum prædicat.

Cumque

Cumq̄ inter se non essent concordēs, discedebant, ubi dixisset Paulus unum uerbum: Bene spiritus sanctus loquutus est per Isaiam prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis & non intelligetis; & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauius audierunt, & oculos suos compresserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit uobis, quod Gentibus missum est hoc salutare dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem.

Paulò obscurior est hæc oratio à principio. Est qui sic explicet, Cum inter se non essent concordēs cœperunt abire, Paulo proluxa orationi unum adhuc uerbum adijciente. Cæterum uidetur per epanaphoram sic posse exponi, Cum non essent inter se concordēs, & obmurmuraret ueritati, protinus id uerbi illis ingessit, quod apud Isaiam in sexto capite de Iudaica cæcitate legitur, quo simul ita exasperati sunt ut euestigio sese ex auditorio proriperent. Hic autem illud interim intelligendum est quod data opera redierit Lucas, & copiosius illud ipsum explicarit, quod iam parcius delibarat. Neq̄ enim temere ad finem huius operis tam copiose meminit Iudaicæ excæcationis. Siquidem istud prudenti consilio fecit, quasi dixerit, Quod autem adeo ueritati euangelicæ repugnauit deo dilectus quondam populus scripturarumq̄ peritus, neminem offendere debet, quasi euangelica doctrina propterea sit de errore suspectior. Vera enim & iusta hæc adeoq̄ ipsa ueritatis lux est, sed Iudæorum oculi ad hanc caligant. Quod non ipsi primum in Iudæorum dicimus inuidiã, sed idem prædixit ante nos Isaias propheta. Hæc de consilio Lucæ. Interim uero Paulus non minus Iudæos hoc testimonio ut aliã sæpe reuincit, comprobans euangelicam doctrinam esse iustam & ueram, deumq̄ ipsum populo suo obtulisse salutem, sed illi hanc propria malitia aspernari: ipsum ergo sua culpa periturum, & regnum dei ad Gentes fore transferendum. Quæ sententia iam quidem præsens negotium pulchre claudit. Hactenus enim floruit Gentium ecclesia, Iudæorum synagoga misere proculcata. Quæ autem hoc loco de Prædestinatione dei, de excæcatione impiorum, & electione sanctorum dici poterant, diligentius ab ipso Paulo exposita sunt in Romanis cap. 9. 10. & 11. Neq̄ hic à Paulo alia aduersus Iudæos dicuntur, quàm quæ in fine 13. huius operis capite audiuius.

Iudaica excæcatio.

Manfit autem Paulus biennio toto in suo conducto, & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum dei, ac docēs quæ sunt de domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente.

Cæterū Pauli gesta breuibus hisce perstringit. Manfit (inquit) toto biennio in conducto suo, id est, in ædibus quas conduxerat, humaniter excipiens omnes cum Iudæos tum Gentes, qui ipsum forte aduersus perdiscendæ ueritatis gratia. Illis autem summa diligentia exposuit negotium fidei Christianæ, idq̄ libere, nemine prohibente. Quod bifariam accipi posse tradit Erasmus, à nemine inquam uetitū esse: aut tali animo præditum fuisse, ut à nemine posset impediri. Verum prior sensus simplicior est. Ex epistola ad Philippenses liquet, quod Romæ plurimos sibi etiam ex Cæsaris familia habuerit amicos, quodq̄ apud plerosq̄ in magno fuerit habitus pretio.

Hucusq̄ uero persequutus est Lucas Actū apostolorū Pauli potissimū historiam, Cætera scriptores (referente Erasmo) non indiligentes, ex uarijs coniecturis uidentur addidisse: uidelicet Paulum primū apud Neronem dicta causa fuisse absolutū, ac libere ubi uellet Euangelium prædicasse annos decem. Tandem ubi Neronis sæuitia iam processisset in rabiem, reuocatum esse ad eius tribunal & capite truncatum. Cæterum quod ipse Lucas historiam non longius persequutus est, non modo ea uidetur esse

Interitus Pauli.

2. Timoth. 4.

Cur Lucas non continuari historiam.

causa quæ à plerisque creditur, quod morte interceptus, plura non potuerit: sed quod eatenus illam persequi uoluit, quatenus religioni Christianæ conduceret ac necessarium uideret: id ergo cum hæcenus satis fideliter præstitisset, nõ erat quod Lectorem copiosiori oneraret historia. Iam etsi Hispanias & Gallias denique ipsam Italiam peragrasset Apostolus, ipseque Lucas & hanc profectioem hisce adiecisset, quid obsecro post locorum, urbium & miraculorum diuersitatem ab ijs quæ dicta sunt noua aut diuersa dixisset? maxime cum uideamus in superiori historia eandem rem decies esse repetitam.

Heb. 13.

Christus enim heri & hodie idem in sæcula. Quorsum ergo opus erat multa Lectorum molestia eadem subinde oberrare chorda? Sanè prudentiæ ascripserim quod hæcenus duntaxat historiam scripserit.

2. Cor. 14.

Cæterum quæ nos hæcenus VI. hisce Commètariorum libris differuimus, iudicio ecclesiæ fidei submittimus, quando apud hanc Paulo, imò ipsi deo placuit esse iudiciũ: interim oro ut quisque fidei & charitatis regula singula expedit, bonique hæc nostra consulat, quæ ad promouenda piorum studia ædita sunt. Ego sanè in religionis summa me nullibi aberrasse confido, in tradendi autem modo iudicandique de locis perplexioribus felicitate, fateor plures esse qui hoc ipsum felicius & breuius absoluere queant: sed in rem tuam prolixior fui. Nec inuideo si alius meliora eruditioraque tradat. Nec moror Lectorum applausum. Christi gloriam quæro, ad Christum te hoc labore nostro manu ducō, proinde si eius suauitatem expertus uni adhæseris, gaudeo.

FINIS.

TIGVRI APVD CHRISTOPHORVM FROSCH-
uerum Mense Augusto, Anno M. D. XXXV.

THE APOCALYPTIC
REVELATION
OF
ST. JOHN THE DIVINE
TO
THE SEVENTH
CHAPTER

770089-12